COMMENTARIUS

IN DECEM PARTES

Constitutionum Societatis Jesu.

COMMENTARIUS

IN DECEM PARTES

CONSTITUTIONUM

SOCIETATIS JESU.

Opus manuscriptum: composuit

AUGUSTINUS OSWALD, Soc. JESU sacerdos.

EDITIO TERTIA.

RURÆMUNDÆ.
Societas anonyma Typographica.
ROERMONDSCHE STOOMDRUKKERIJ.
ANNO DOMINI MDCCCCII.

SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTO IGNATIO

PARENTI CARISSIMO

FILIUS MINIMUS.

PRÆFATIO.

Hae declarationes Constitutionum Societatis Jesu originem trahunt ex enarratione data ab Instructore Patribus tertiae Probationis. Quibus cum studium Instituti tantopere commendetur, uti necessarium non solum vitae ipsorum recte ordinandae, sed non minus etiam bene fungendis officiis in posterum subeundis et ministeriis utiliter peragendis, ipse Instructor non potest non habere hanc partem muneris sui pro gravissima, ut explicanda assumat omnia et singula, quae in Constitutionibus ad componendam vitam nostram dirigendasque actiones sapientissime proponuntur. — C. 20. D. 15.

Jam vero has ipsas instructiones qui legerit, brevi intelliget, eas ex modo, quo ortae sunt, habere etiam formam propriam atque esse sane aliquando minus concinnas minusque breves, imo non carere repetitione nonnunquam alicujus materiae jam tractatae. Attamen cum liber hic eo maxime spectet, ut offerat legenti materiam, quam quaerit, uno in conspectu totam, ne necesse sit recurrere ad alios locos aliasve paginas, lector facile id, quod ceteroquin juste improbatur ac reprehenditur, indulgebit. Quam veniam eo fortasse certius licet sperare, quod scriptoris hoc potissimum fuit consilium, ut tertiae Probationis Patribus librum pararet, in quo post peractam Probationem invenire iterum cum delectatione possent ea, quae in sacra solitudine non modo intellectus cognitione percepissent, verum etiam animi ardore complexi adamassent, moverenturque ad excitandum amorem vocationis suae sanctae, renovandumque identidem voluntatis propositum, componendi e forma in Instituto exhibita vitam suam et internam et externam. Hoc si fiet, scriptor id omne, quod sibi, augendae Dei gloriae suorumque in religione fratrum spiritualis profectus juvandi causa, proposuit, erit assecutus. Quod quidem Dei gratia fortunet.

Quae modo dixi, eadem rationem reddunt, cur volumen istud impressum sit forma manuscripti: *contineri enim id inter domesticos parietes fas est Societati, neque ullo modo divulgari in publicum aut in manus hominum externorum emitti.*

Usus est hujus Commentarii scriptor libris eorum maxime Patrum Societatis Jesu, quos P. de Reverseaux in celebri sua editione Francisci Suarez »Tractatus de religione Societatis Jesu« in fine quam accuratissime et plenissime recenset. Accedunt autores recentiores, qui vel ex professo de Instituto nostro scripserunt, vel data occasione in scriptis suis quasdam materias huc spectantes tractarunt. Novissime prodiit praeclarum opus: „Compendium Inst. Soc. Jesu, Responsis Romanis et sententiis Auctorum illustratum"; primitus a P. Henrico Ramière editum, nunc multum auctum a P. Julio Besson. Liber est utilissimus ad habendam cognitionem etiam practicam rerum nostrarum.

Agentes igitur gratias omnibus, qui quomodocunque nos in scribendo hoc libro adjuvarunt, optamus et rogamus ut opus ad intelligendas amandasque Constitutiones a S. P. N. Ignatio Societati propositas Nostris utile evadat.

Ex Collegio Sancti Ignatii in Valkenberg.
(Holland. Limburg.)

Index Capitum et Articulorum.

(Secundum numerum paginarum.)

Prooemium Constitutionum.

De triplici fundamento Societatis JESU.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

Prima Pars Constitutionum.

De admissione ad Probationem.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

Tertia Pars Constitutionum.

De iis conservandis et promovendis, qui in Probatione manent.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

Quarta Pars Constitutionum.

De iis, qui in Societate retinentur, instruendis.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

Quinta Pars Constitutionum.

De admissione in corpus Societatis.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

Sexta Pars Constitutionum.

De cooptatis in Societatis corpus, quod ad ipsorum personas pertinet.

PRÆLIMINARIA QUÆDAM.

CAPUT PRIMUM.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT SECUNDUM.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QUARTA.

APPENDIX PRIMA.

APPENDIX SECUNDA.

APPENDIX TERTIA.

APPENDIX QUARTA.

CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QUARTA.

CAPUT QUARTUM.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

Septima Pars Constitutionum.

De operibus in proximorum salutem in vinea Domini suscipiendis

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

Octava Pars Constitutionum.

De iis, quæ conferunt ad mutuam unionem.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

Nona Pars Constitutionum.

De Præposito Generali et de gubernatione in Societate.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

Decima Pars Constitutionum.

DE TERTIA PROBATIONE.

CAPUT UNUM.

Nota. — Hoc signum „C.C." significat consultationes Romanas, a R. P. Generali cum Assistentibus habitas. Cetera signa perspicua sunt satis.

Procemium Constitutionum.

AGITUR in hoc procemio de triplici fundamento, quo Societatem Jesu sustentari sanctus Ignatius asserit; sunt nimirum Dei bonitas et sapientia, interna charitatis lex, denique regula. Sequitur dein in Declaratione adjecta enumeratio decem partium Constitutionum, et rerum quae in eis continentur brevis enuntiatio: de admissione, dimissione, et cetera, ita ut totius Societatis Jesu quasi idea ordine genetico plane et breviter evolvatur et ante oculos ponatur.

CAPUT PRIMUM.

Divina sapientia et bonitas.

DEUM ipsum statuit sanctus Ignatius esse Societatis nostræ aucto- 1
rem et consummatorem: summa enim sapientia et bonitas DEI Creatoris ac Domini nostri dignata est inchoare hanc minimam Societatem JESU; ipsa eam conservat, gubernat atque promovet in suo sancto servitio; — sunt verba notissima in exordio Summarii Constitutionum posita. Sancto enim Parenti nostro firmissime persuasum erat, Societatem a se fundatam ratione prorsus singulari opus DEI esse; idem etiam summi Pontifices sentiebant sæpiusque clare affirmabant his et similibus verbis in litteris Apostolicis vel alias prolatis: „Spiritu sancto, ut pie creditur, afflati"; „Spiritu sancto cooperante"; „digitus DEI est hic." — Et hæc verissime fuisse dicta, res ipsæ probant. Nam:

1. — Proprium est divinæ sapientiæ et bonitatis, in Ecclesia sua, prout diversus rerum ejus status exigit, novas vires et nova adjumenta excitare ad eam defendendam, fulciendam, promovendam, prout præsens ejus necessitas exigit. Quæ est ipsa ratio maxima, cur tam diversæ religiones diversis temporibus exortæ sint. Etenim hæ ipsæ religiones sunt quasi Ecclesiæ partes integrales, quibus hic et nunc, prout congruit ipsius vitæ individuali, vel periculum quoddam ab ipsa arcetur, vel ejus necessitati cuidam providetur, vel adjumentum ipsi affertur; et similia.

2. — Ejusmodi remedium et adjumentum in Ecclesia DEI ut esset

Societas JESU, divina Providentia ordinavit tunc temporis. quo ista nata est; at ejusmodi remedium et adjumentum fuit Societas non solum isto suæ originis sæculo, sed deinceps semper erat et est etiam nunc. Quod nemo negare audebit, si consideraverit tum ipsius hujus Societatis formam et rationem, tum naturam et indolem hominum, qui tunc erant, quique revera semper manent iidem natura et indole.

a. — Nimirum, sæculo jam decimo quinto exeunte, tempora inceperant, omnino alia esse et homines mutari: per viros nimirum sagaces et strenuos partes hujus globi hucusque prorsus incognitæ detegebantur aliæ post alias, quas fabulabantur ditissimas esse auro et argento. Novæ etiam res inventæ, ut ars imprimendi libros et pulvis explosivus, consuetam hucusque hominum conditionem mutabant, civilem, scientificam et socialem. Quæ omnia id effecerunt, ut hominum animi a consueto modo cogitandi et agendi abstracti, ad naturalia et terrena deflecterent, et cupiditate habendi fruendique vehementissime accensi, animi quadam inquietudine ad abjicienda vetera et consueta, et ad consectanda nova impellerentur.

Sequebantur mox novatores in fide, qui summam a DEO in religione constitutam auctoritatem repudiabant, statuentes, in rebus fidei singulos homines quoad intelligenda dogmata et interpretandos libros sacros sibi ipsis sufficere, et esse sibi summum tribunal, in quo res religionis auctoritative definirentur. Facile apparet, hoc statuto principio, quo homo in rebus maxime essentialibus auctoritatem super se ullam non agnoscit, cupiditatem libertatis falsæ et illegitimæ iudependentiæ debuisse accendi et revera accensam esse, modo societati hominum maxime periculoso. Quare non miramur, spiritum quem vocant revolutionis, id est, falsam proprii ingenii elationem et omnis legitimæ auctoritatis in religiosis et civilibus abjectionem, tunc temporis hominum animos vi quadam infectiva occupasse; aliis verbis: videmus ibi originem datam esse rationalismo, reformationi, ac tandem revolutioni.

b. — Ad reprimenda hæc mala ubique fere jam grassantia, præter alios ordines, exsurgebat Societas JESU recens nata, tum docendo tum agendo. Nam exemplo et doctrina indomitam hanc cupidinem habendi et fruendi condemnabat, per contemptum rerum terrenarum et per culturam strictissimæ paupertatis; item hanc falsam libertatem et mentis independentiam per exercitium strictissimæ obedientiæ erga legitimam auctoritatem ecclesiasticam et civilem; demum hanc negligentiam rerum supernaturalium et cœlestium per amplissimum ministerium sacrum, quo homines a nimia cura rerum terrestrium et caducarum abstraherentur et ad debite æstimanda et quærenda bona cœlestia et

æterna compellerentur. Revera Societas JESU et institutione sua et actione, quam exserit, directe opponitur huic spiritui revolutionis eique bellum infert usque ad internecionem.

c. — Et quis infitias ibit, hunc spiritum rationalismi, independentiæ, revolutionis, inde ab istis temporibus non solum exstinctum non esse, sed viguisse atque etiam crevisse super totam faciem terræ; imo nostris temporibus omnes hominum classes infecisse, inferiores atque superiores. Unde clarum fit, Societatem JESU, sicuti ab initio fuit, sic per hæc ultima sæcula semper fuisse, et nostro sæculo a fortiori ex DEI providentia quasi esse paene necessariam ad impugnandas et destruendas has pravas potentias, quæ omnem ordinem subvertere et totum hominum genus a fine suo ultimo abstrahere conantur.

3. — Divina sapientia et bonitas elucet etiam intra ipsam Societatem, præcipue in ratione, qua totum hoc corpus constituitur et operatur. Principali enim ejus fini apostolico, qui est operari strenue et indefesse ad salutem animarum, accommodatæ sunt omnes Constitutiones, regulæ, consuetudines, etiam minimæ, cum sapientissima ponderatione finis assequendi et mediorum ad hoc convenientium; et ratione quidem tam mira, ut supernaturalem illuminationem auctori Instituti plenissime affuisse, perfecte cernatur. Ex hoc supernaturali adjumento, quo usus est sanctus Ignatius, fluit ista vis et energia, isteque vigor et fervor in Societate, quo periculum stagnationis cujusdam et depravationis semper ab ea arcebatur, totumque corpus vegetum floridumque permanebat.

4. — Demum ipsa historia fundationis Societatis, ejus propagationis et confortationis docet nos, divinam sapientiam et bonitatem ei nunquam defuisse ad superandas omnes contradictiones, oppositiones, impugnationes in ipsam irruentes, non solum ex parte sæcularis potestatis, sed sæpius etiam ex parte præsulum ac prælatorum. Attamen non obstantibus cunctis his impedimentis statim ab initio Societas JESU forti et securo passu ingrediebatur finemque sibi propositum feliciter attingebat. — Et hæc quidem de divina sapientia et bonitate.

CAPUT SECUNDUM.

Interna charitatis lex.

QUEMADMODUM Societas JESU solidum fundamentum habet in divina 2
sapientia et bonitate, sic intra se coalescit interna charitatis lege, quam

Sanctus Spiritus scribere et cordibus nostris imprimere solet. Nimirum hæc est indoles Societatis et singulorum Societatis membrorum, ut moveantur et agant ex ista supernaturali charitate, quæ diffunditur in cordibus nostris per inhabitantem in nobis Spiritum sanctum, qui datus est nobis; magis etiam, quam per externas regulas et externa mandata. Hæc interna charitatis lex nihil est aliud, quam effectivus amor DEI super omnia et proximorum propter DEUM, quo jubemur, facere voluntatem DEI in omnibus et singulis, pura intentione quærentes solam ipsius gloriam proximique salutem. — Objectum, in quod tendit hæc voluntatis dispositio et energia, sunt ea omnia, quæ spectant ad DEI famulatum, tum qua sumus homines, christiani, religiosi, tum qua Jesuitæ; et non in genere tantum, sed quoad res minimas et particulares. Motiva vis autem hujus internæ dispositionis præ aliis est conceptus lucidissimus, concipiendus de summa DEI majestate et supremo ejus dominio super omnia, cujus proprium sumus et a quo dependemus semper, ubique, in omnibus. Præterea vivida apprehensio finis nostri supernaturalis et sincera æstimatio vitæ æternæ et bonorum, quibus eam assequamur. Hæc interna charitatis lex est dispositio animi nobis propria, qua vivamus, moveamur, operemur, a mane usque ad vesperam; quare necesse est, ut intime penetremur hujus dispositionis æquitate et necessitate. Nimirum:

1. — Jam per baptismum christiani effecti, renascimur ad statum istum supernaturalem adoptionis filiorum DEI, acquirentes jus et certam spem bonorum istorum sublimium in vita hac et vita futura, sensu eminentissimo, quo filii a Patre ditari solent. Cum ergo filii DEI nominemur et simus, convenit, ut filiali quoque affectu complectamur eum, ad quem clamamus: Abba, Pater; imo injuriam faceremus ei, qui se Patrem nostrum esse voluit, si hunc filialem affectum erga Patrem, a quo omnia nostra bona descendunt, negligeremus.

2. — Religionem ingressi profitemur istum statum perfectionis, quo supra communem christianorum conditionem elevati, majoris et altioris amoris acquirendi et exercendi obligatione tenemur, in iis nimirum operibus perficiendis, quæ supererogationis vocantur, cum in istis major gradus charitatis eluceat. Et sic interna charitatis lex est nobis quasi obligatio status. Et quod pluris est: ad hanc perfectiorem charitatem exercendam ex DEI benignitate abundamus mediis copiosis iisdemque saluberrimis; et quidem præter omnia nostra merita præcedentia. Ex quibus omnibus emanat iste fons indeficiens gratitudinis et charitatis, qua continuo quasi urgeamur ad agendum pro CHRISTO generosissime.

3 — Societatis JESU demum membra effecti eo magis obligamur ad hunc spiritum charitatis acquirendum et exercendum, cum Societatis vita, existentia, progressus, efficacia in eo fundata sint. Scilicet:

a. — Quæ sint nostra in Societate JESU sensa propria, haurimus præcipue in meditationibus de regno CHRISTI, de tribus hominum classibus, de tribus gradibus humilitatis. Nonne exhibetur in istis amor ille heroicus. plena illa ad personam CHRISTI dedicatio et traditio, in qua libere et libentissime cunctis renuntiamus, quæ naturæ placent, præferentes et eligentes omnia contraria propter JESU amorem et reverentiam? Verum igitur socium JESU urget ista interna charitatis lex ad exhibenda sacrificia etiam maxime pretiosa et nobilia.

b. — Imo in ipso Societatis regimine charitatis lex dominari debet. Nam etsi Superiores fortes esse in tuenda auctoritate supponuntur, nihilominus suavitatem cum severitate miscere docentur; imo tantopere paternus in agendo cum subditis affectus commendatur, ut hi, etiam dum pro culpa commissa puniuntur, ultro sibi persuadeant, ex mera erga ipsos charitate punitionem hanc proficisci, ut loco timoris offensæ succedat amor; uti alibi dicetur.

c. — Cum hoc cohæret, quod in Societate JESU nulla constitutio vel regula obligationem ad peccatum inducit, ut excluso timore amor et desiderium omnis perfectionis nos dirigat et confortet ad quærendam et exercendam omnem virtutem juxta ejus exigentiam.

d. — Hæc charitas urgens nos, quæ est lex nostra interna, facit nos effusos ad exibenda proximis juxta Institutum omnia ministeria, ita ut ne corporalia quidem misericordiæ opera, licet abjecta et sordida, recusanda sint, nisi obligationes altiores nos prohibeant ea præstare.

e. — Et hæc est etiam ratio, cur charitas fraterna inter nos tanti æstimetur, cum omnis amoris supernaturalis objectum proximum sint ipsi familiares. His ipsis succurrere et prodesse præ omnibus aliis, expostulat regula; imo sic intelligitur etiam obligatio manifestandi delictum alterius, nimirum ut opem feramus necessitati ejus spirituali, ex pura intentione charitatis exercendæ. Quantopere autem in Societate JESU dilatentur spatia charitatis, si quis corpore deficiat vel morbo vel ætate, et quam solliciti sint tunc omnes, ad quos cura infirmorum spectat, luculenter nobis constat experientia quotidiana. Hactenus de interna charitatis lege.

CAPUT TERTIUM.

De regula in Societate Jesu.

SOCIETATIS fundamentum tertium, quasi externum dicendum est esse ipsam regulam; quo verbo complectimur ea omnia et singula, quæ Institutum continet generalia et particularia, quibus formetur et dirigatur vita eorum, qui in Societate degunt. Sanctus Ignatius exponit: primum, necesse esse, ut habeamus regulas; deinde, quales istæ debeant esse.

ARTICULUS PRIMUS.

NECESSITAS REGULÆ.

3 Ut demonstret, necesse esse nos habere regulas, tres dat sanctus Ignatius rationes notissimas.

1. — Quia suavis dispositio divinæ Providentiæ suarum creaturarum cooperationem exigit. Et ita revera est, tum in ordine naturali tum in supernaturali, in omnibus DEI operibus: ubique statuit DEUS leges fixas, superiores et inferiores, ex quibus omnia evolvantur et ordinentur ad finem a Creatore præfixum consequendum. Exspectare igitur, ut DEUS singulos homines quoad finem proprium prosequendum immediate semper dirigat, illuminando, suadendo, movendo, est frivola præsumptio et injuria divinæ sapientiæ illata. Extraordinaria talis assistentia DEI creditur tantum sancto Ignatio concessa esse in condendis Constitutionibus.

2. — Quia CHRISTI Domini nostri Vicarius ita statuit. Et ut ita statueret, summus Pontifex adigebatur muneris sui obligatione: cognoscendi nimirum, priusquam confirmaret qualemcunque religionem, ipsius finem specialem mediaque et constitutiones ad finem hunc consequendum proposita, an omnia sint apta et convenientia. Insuper Sancta Sedes, custos vigil omnium, quæ intra Ecclesiam fiunt, tenetur continenter providere, ne qua nova afferantur contra legem divinam et ecclesiasticam; debet igitur singularum religionum regulas accurate cognoscere, ut sua auctoritate summa, si forte incongruum quid fiat, statim reprimatur.

Qua ratione summi Pontifices hoc mandatum condendi Constitutiones Societati dederint, et quo modo eas confirmarint, ipsi expressis verbis edicunt. Sic Paulus III. „Regimini" 27 Sept. 1540: „eis nihilominus

concedentes, quod particulares inter eos Constitutiones, quas ad Societatis hujusmodi finem et JESU CHRISTI Domini nostri gloriam ac proximi utilitatem conformes esse judicaverint, condere libere et licite valeant."

Hæc facultas amplior etiam facta est ab eodem Paulo III. „Injunctum nobis" 14 Martii 1543: „ac quod, quascunque inter eos Constitutiones particulares quas ad Societatis hujusmodi finem... conformes esse judicaverint, condere, et tam hactenus factas, quam in posterum faciendas Constitutiones ipsas, juxta locorum et temporum ac rerum qualitatem et varietatem, mutare, alterare, seu in totum cassare et alias de novo condere valeant, quæ... eo ipso Apostolica auctoritate præfata confirmatæ censeantur, eadem Apostolica auctoritate de speciali gratia indulgemus."

3. — Sanctorum exempla ita nos docent. Exstat adhnc quæ vocatur regula sancti Augustini, brevis quidem sed accurate concinnata. Hæc regula jam diu a Sancta Sede, priusquam novam religionem confirmet, proponitur uti norma fundamentalis, ad quam eam convenire necesse sit. Secutæ sunt aliæ regulæ, sancti Benedicti, Francisci, etc. Itaque quod tanti viri salubriter fecerunt, Ignatius noluit prætermittere.

4. — Ratio ipsa suadet, ut habeamus regulas. Nam cum diversæ religiones diversum sibi proponant finem specialem præter communem omnibus acquirendæ perfectionis, requiritur, ut secundum rationem hujus finis particularis ea statuantur, quæ ad eum assequendum in ordine vitæ agendæ proprie conducunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

HABEMUS REGULAM.

Itaque etiam nobis a fundatore regula data est vitæ instituendæ 4
secundum rationem nostri status in Societate JESU. Hæc regula jam statim ab initio ä Paulo III. „Regimini", et dein plurimis Pontificum bullis confirmata fuit. Vocamus autem „regulam" ea omnia, quæ filiis Societatis proponuntur in ordinanda vita sua secundum finem specialem, promovendi DEI gloriam in exercendo ministerio sacro pro salute animarum. Hæc autem varia sunt, generalia et particularia; nec omnia eamdem habent vim nec eamdem obligationem; unde necesse est ea enumerare et recensere secundum gradum obligationis, quem habent, incipiendo a summis.

1. — Primo loco veniunt Bullæ Pontificum, tum ingenere emissæ 5

pro religiosis, in his etiam Societate, tum in specie pro sola nostra Societate; habent enim summam pro nobis auctoritatem, ut patet, cum Papa sit caput et supremus legislator totius Ecclesiæ ipsiusque nostræ Societatis. Sed habent hæ bullæ alium etiam valorem, cum fere omnes Societati luculentissimum testimonium exhibeant, summis laudibus eam exornando propter soliditatem virtutis et præstantiam actionis Demum cum emanaverint hæ bullæ plerumque certa data occasione, simul offerunt non exiguam partem historiæ Societatis, attingendo prolixius ea præcise, quorum causa summus Pontifex laboranti Societati succurrat.

Sequentes bullæ præ ceteris a nobis indicandæ sunt:

Paulus III. „Regimini militantis Ecclesiæ", 27 Sept. 1540; confirmatio prima Societatis.

Idem „Injunctum nobis", 14 Mart 1543; magis ampla.

Julius III. „Exposcit debitum", 21 Julii 1550; iterum confirmatur.

Pius V. „Æquum reputamus", 17 Jan. 1565 [6]; contra apostatas.

Gregorius XIII. „Ascendente", 25 Mai. 1584; ampla confirmatio.

Gregorius XIV. „Ecclesiæ cath.", 28 Jun. 1591; forma regiminis.

Pius VII. „Sollicitudo omnium eccl.". 7 Aug. 1814; restitutio Societates.

Leo XIII. „Dolemus inter alia", 13 Julii 1889; privilegia omnia confirmantur.

6 2. — Sequuntur Constitutiones cum Declarationibus, in decem partes divisæ. Hæ omnes ab ipso S. Ignatio compositæ sunt, non obiter et temere, sed inter assiduas orationes, consultationes, considerationes, uti decebat virum tam sanctum et opus tam sublime. Hæ Constitutiones continent invariabile fundamentum et substantialia principia nostri Instituti; ipsæ erigunt, ut ita dicam, ædificium Societatis secundum omnes ejus partes, id est, internam ejus structuram et omnes ejus relationes et operationes. Incipit Ignatius a fundamento, nimirum ab admissione in Societatem, et progreditur tunc per singula vitæ nostræ stadia, agendo de novitiis, scholasticis, primis et ultimis votis...; ita ut quodammodo coram oculis nostris Societas oriatur, crescat, operetur, donec in suo capite, Patre Generali, completa et perfecta sit. Præmittitur Examen generale et Procemium.

7 Sanctus Ignatius Constitutiones idiomate Hispanico composuit, cum ipse origine Hispanus esset. Hujus primæ compositionis scriptum authenticum exstat in archivis Societatis, sicut etiam transcriptio ejus authentica et a Congregatione Generali approbata et sigillo munita. Attamen pro textu authentico Societas utitur non originali ista con-

scriptione Hispanica, sed translatione ejus Latina, maxima cum diligentia sæpius revisa, a Congregationibus approbata et pro authentica præscripta. Juvat de historia textus originalis et translationis Latinæ quædam proferre.

a. — Textus originalis Hispanicus sæpius approbates est. Jam in 8
C. I. D. 15: „propositum fuit, an liceret et etiam an expediret, ex Constitutionibus aliquid mutare. Et visum est ac statutum, eas firmas ac ratas habendas esse et etiam observandas, prout in exemplari originali P. N. Ignatii habentur." — Præcipue vero in C. I. D. 78: „decima Septembris 1558 cum convenissent Patres, in plena Congregatione decreverunt, probatum esse quoddam exemplum Examinis, Constitutionum et Declarationum ex autographo Patris Ignatii exscriptum et cum eo collatum, cum additionibus et emendationibus, quæ sunt in margine, auctoritate Congregationis factis. In quorum fidem M. Joannes de Polanco, Secretarius Societatis JESU, ex præscripto Congregationis et omnium nomine subscripsit librum illum et sigillo Societatis obsignavit."

Præter hoc exemplar Constitutionum authenticum datur alterum idiomate Hispanico confectum et approbatum in C. 5. D. 61: „propositum fuit Congregationi quoddam exemplum Hispanicum Constitutionum ex autographo Patris Ignatii de verbo ad verbum bene ac fideliter descriptum; ob eam causam, quod istud autographum jam obsoletum ac fere lacerum esset; et cum eo atque cum alio authentico a prima Congregatione generali D. 78. approbato et manu Patris Polanci subscripto per quosdam Patres linguæ Hispanicæ peritos diligenter collatum; postulatumque fuit, ut Congregatio illum librum probaret. Congregatio autem decrevit, illum librum, postquam denuo per aliquot Patres a Patre Generali designandos cum autographo collatus fuerit, probatum fore et pro approbato haberi debere. In quorum fidem Congregatio mandavit Patri Laurentio Magio, Secretario, ut ex ejusdem præscripto et omnium Patrum nomine subscribat librum illum post prædictam collationem factam, et sigilli Societatis impressione muniat."

b. — Cum Societas recens nata tam cito per diversas regiones 9
spargeretur, jam fere initio patebat, Constitutiones Hispanice conscriptas non posse pro usu communi per totam Societatem valere, sed Latinam versionem requiri. Inde jam in prima Congregatione exemplum aliquod Latinum approbatum fuit. — C. I. D. 79: „de Examine et Constitutionibus et Declarationibus ex Hispanico idiomate in Latinum versis quæsitum est, an imprimi oporteret, et quam auctoritatem habere

deberent. Et primum quidem statutum fuit, aliquos esse deputandos, qui cum originali conferrent versionem: et deputati fuerunt complures ab ipsa Congregatione; et quæ apud ipsos erant dubia, in congregatione privata cum Generali tractabantur. Et sic ad plura suffragia complura dubia resoluta sunt circa versionem; et ut haberet auctoritatem versionis, statutum est, i. e. ut ordinaretur ea utendum esse; nec licere privata auctoritate et sine Congregatione aliam edere versionem; et impressionem statim inchoandam ab examine prius reviso a deputatis." — Quæ prima versio Latina emendata fuit in C. 2. D. 52: „petitum est, an deberet R. P. Præpositus committere aliquibus, ut conferrent translationem Constitutionum Latinarum cum Hispanico textu, et juxta illius veritatem emendarent, ubi emendatione opus esset. Et placuit Congregationi, ut id fieret."

10 *c.* — Hæc prima versio Latina mox alteri versioni locum cedere debuit. Jam in C. 3. D. 26: „cum duæ jam exstent Latinæ Constitutionum editiones et in multis ab invicem discrepent, postulatum est a quibusdam Patribus, ut statueretur a Congregatione, vel primam vel certe secundam editionem esse verum originale Constitutionum, ne posthac recurrendum sit ad exemplar Hispanicum, quod cum impressum non sit nec omnibus commune, posset fortasse successu temporis facilius immutari. Decrevit autem Congregatio, ut deputarentur aliquot Patres arbitrio R. P. Generalis, qui has duas versiones inter se et cum autographo, acceptis ab aliis Patribus, quas ad eos afferrent, observationibus, primo quoque tempore diligenter conferrent et posteriorem versionem examinarent, ut illa tamquam vulgata et qua omnino utendum sit, a Congregatione probetur. Autographum porro Hispanicum conservandum esse, et ad illud, si qua in re R. P. Generali vel Congregationi videretur, pro explicatione recurri posse, constitutum fuit. Deputavit autem R. P. Generalis sequentes Patres, sc. P. Jacobum Mironem, P. Michaelem Goviernum, P. Petrum Ribadeneira, P. Paulum Hoffaeum, P. Dionysium Vasquez, P. Antonium Possevinum." — Dein decretum fuit C. 3. D. 34: „ut hæc secunda editio, quæ cum exemplari Hispanico magis convenire inventa est, deinceps pro communi et vulgata haberetur in Societate, saltem donec sequens futura Congregatio aliud statuerit."

d. — In quartu Congregatione res iterum tractatur, D. 8. et D. 33: deputandos esse Patres, qui universas Constitutiones emendent et ad veritatem autographi restituant, ita ut ea emendatio et restitutio, ubi absoluta fuerit, authentica sit auctoritate hujus Congregationis. — Tandem in D. 50: „et quoniam ea omnia, quæ in Constitutionum

versione corrigenda erant, lecta sunt in Congregatione et approbata, commissum est Generali, ut secundum ejusmodi correctiones Constitutiones denuo imprimantur, et ejusmodi editio deinceps in universa Societate pro vulgata habeatur."

Et ita res ad finem perducta fuit. Nam cum in C. 5. D. 76, aliqui Patres iterum proponerent, versionem Latinam esse emendandam, Congregationi visum est: „ea de re jam nihil agendum esse, cum præsertim Latinam editionem habeamus a C. 4. D. 50. approbatam." etc.

e. — In C. 23. D. 27. placuit, ut a Patre Generali deputarentur 11
Patres idonei ad recognoscendam vulgatam editionem Constitutionum S. Patris Nostri, eamque cum hispanico exemplari diligenter conferendam; etc. — Demum C. 24. D. 27: „quum elenchus locorum vulgatæ Constitutionum versionis, quæ emendatione egere videbantur, cum eorundem locorum emendationibus a Patribus ad id deputatis fuisset confectus... omnes unanimiter censuerunt, nihil in ipso versionis textu esse in præsens emendandum; commendandum autem Patri Generali, ut emendationes propositas... typis mandandas curaret, easdemque sive ad calcem secundi voluminis Instituti Societatis, cujus editio nunc paratur, sivi in proprio ac separato folio cum universa Societate communicaret; quo fiet, ut schema correctionis vulgatæ editionis ad fidem autographi hispanici recognoscendæ, in proxima Congregatione generali Patribus discutiendum atque probandum proponi possit."

Nota. — Prodiit jam anno 1892 opus quam maxime splendidum, cura Patris 12
Joannis Josephi de Latorre: „Constitutiones Societatis JESU latinæ et hispanicæ, cum earum declarationibus. Matriti, typis Aloysii Aguado, 1892". — Hæc editio est imitatio quam accuratissima primæ talis editionis Constitutionum, typis mandatæ Romæ, in Collegio ejusdem Societatis, 1606 sub Claudio Aquaviva. — Diligentissime notati sunt loci, in quibus a Vulgata textus hispanicus discordat, cum accurata translatione hujus variationis.

Coroll. — Jam ab initio Societatis fuit cura maxima, ut Constitu- 13
tiones a sancto Ignatio conscriptæ integræ et immutatæ servarentur. Plura igitur statuta fuerunt:

a. — Nihil ex iis expungi debet. — C. 3. D. 23: „cum quidam ex Patribus proposuissent, utrum Constitutiones, quæ ratione temporum, vel alias ob causas in praxi non sunt, expungendæ essent, responsum est: nulla ratione id faciendum esse; sed potius oportere, ut omnes inviolatæ permaneant, ut quales a sanctæ mem. R. P. N. Ignatio acceptæ sunt, tales identidem ad posteros transmittantur; notandum tamen esse aliqua ratione, quod non observandum esse Congregatio judicaret."

b. — De substantialibus Instituti agere omnino non licet. — C. 1.

D. 16: „non solum in universum non esse agendum sed nec particulatim de Constitutionibus substantialibus nostri Instituti. De aliis posse quidem tractari, sed sine experimento, vel ratione clarissima nihil posse immutari. Licet tamen de omnibus declarationem petere, referendo ad Congregationem, ut ipsa censeret, qua declaratione opus esset." — C. 2. D. 6: „cum mentio facta fuisset de difficultatibus, quæ circa Constitutiones occurrebant, placuit omnibus communi consensu, ut nihil ad substantialia Instituti nostri pertinens posset immutari, ut in D. 2. de Constitutionibus in præcedenti Congregatione fuerat constitutum." — C. 4. D. 26: „prohibetur, ne quis deinceps in Congregationibus provincialibus audeat de hujusmodi rebus (substantialibus) quocunque prætextu verba facere; tum si quis de his rebus, aut ibi aut alibi, usquam quæstionem instituat, serio a suis Superioribus corripiatur et corrigatur." — Nec de dubie essentialibus Instituti potest in Congregatione provinciali tractari. Quod constituit C. 6. D. 12: sub pœna a R. P. N. statuenda.

14 *c.* — Quæ vero substatialia Instituti sint, vel claris verbis enuntiatur, vel statuitur ratio, unde hoc cognosci possit.

α. — Quæ essentialia esse putanda sint, in Congregatione quinta jam enumerantur. Cum in D. 45. plures Patres hanc rem agendam proponerent, re ad deputatos delata statutum est C. 5. D. 58: „substantialia Instituti ea imprimis sunt, quæ in formula seu regula Societatis Julio III. summo Pontifici, proposita et ab eo aliisque ejus successoribus confirmata continentur. Deinde ea, sine quibus illa aut nullo modo, aut vix constare possunt; cujusmodi sunt:

Primo, esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo; — secundo, non esse necessarium, ut in dimittendo forma judicialis servetur; — tertio, reddendam esse Superiori conscientiæ rationem; — quarto, contentum esse debere unumquemque, ut omnia quæ in eo notata fuerint, per quemvis, qui extra confessionem ea acceperit, Superioribus manifestentur; — quinto, paratos esse omnes debere, ut se invicem manifestent debito cum amore et caritate: et alia his simills, a quibus nunc declarandis Congregratio brevitatis causa supersedendum censuit; cum præsertim Generales Præpositi ea pro tempore ad praxim declarare possint, dum in aliis Congregationibus generalibus non declarantur. Quæ omnia Congregatio probavit et supradictum D. 45. ad hoc decretum quinquagesimum octavum exigendum esse decrevit." — In eodem sensu postea factum est C. 7. D. 40. — cf. Suarez de rel. Soc. tr. 10. c. 14. n°. 3.

15 *β.* — Et cum definitum esset, nec de dubie substantialibus in Congregatione provinciali posse tractari, clare dein enuntiatum est, quando

res pro dubia habenda esset. — Form. Congr. prov. 45: „et quoniam ut superius dictum est (C. 6. D. 19. §. 3. et C. 7. D. 35.) de substantialibus Instituti, nec quando res quidem dubia est, in Congregationibus provincialibus tractare licet, visum est in eorundem favorem hanc regulam constituere, ut tunc res dubia et de illa tractari non posse intelligatur, si vel unus deputatorum absolute affirmet (non tamen, si solum dubitet) rem propositam esse de substantialibus Instituti; multoque magis, si Provincialis ita censeat, cujus est, totam Congregationem dirigere atque omnino efficere, ut Decreta serventur, eosque coercere, qui contra Institutum aliquid forte molirentur, ut dictum est."

d. — De aliis rebus Instituti agi potest, — C. 1. D. 16. p. el. et 16
etiam decerni per plura medietate suffragia. — C. 2. D. 7. p. el. — Restrinxit tamen hanc facultatem Congregatio sexta, ita ut non possit tractari de aliqua re nisi ad plura medietate suffragia, nec de ea decerni nisi ad duas partes tertias suffragiorum. Sic cum magno pietatis sensu decrevit C. 6. D. 11: „cum tamen appareat, non solum plures particulares personas, sed nonnullas etiam Congregationes provinciales non ea, qua par est reverentia erga Constitutiones affici, facileque de illarum mutatione Generali Congregationi proponere: quia res novitatis et periculi plena est, et viam munit non solum ad contemptum Constitutionum nostrarum, quas ut sanctas a B. Patre Nostro tot lacrimis et orationibus conditas venerari debemus, sed etiam ad aliam sensim religionem condendam; cum propositum propterea fuisset, statuendum, ut de Constitutionibus immutandis non solum decerneretur ad plura medietate suffragia... sed nec liceat quidem de iis in Congregatione tractare, si quid unquam proponeretur, nisi ad plura medietate suffragia de eo tractrandum statuatur; ipsa vero deliberatio et Decretum non fiat, nisi ad duas tertias partes, non obstantibus decretis et § formulæ Congregationis Generalis... visum fuit majore suffragiorum parte, Decretum hoc esse a Congregatione faciendum: atque ita factum constitutumque fuit." — Form. Congr. Gen. 68: idem.

3. — Tertia pars regulæ vel Instituti sunt Decreta Congregationum 17
Generalium, et qui vocantur Canones Congregationum brevius concinnati, qui exstant. Nam cum Congregatio Generalis legitime constituta una cum Patre Generali repræsentet Societatem JESU qua talem, habeatque plenam protestatem legislativam a Sancta Sede concessam et pluries approbatam, sequitur, Decreta et Canones Congregationum Generalium eandem prorsus habere vim et auctoritatem atque ipsas Constitutiones. Dixi: Congregationem cum Generali, uti corpus perfectum cum suo capite, ita ut, quæ decreta sunt in Congregatione ante

electum Generalem, post electionem ab ipsa Congregatione cum Generali confirmanda sint; non quasi Generali subsit Congregatio, sed quia Generalis est pars integralis Congregationis. Soli vero Congregationi plenæ et integræ competit summa auctoritas etiam legislativa. — C. 1. D. 115.

18 *Nota 1.* — Canones Congregationum exstant tantum usque ad Congregationem undecimam inclusive. Sunt hi Canones ex ipsis Decretis excerpti et brevius concinnati, de nonnullis rebus magis occurrentibus; et patet, esse eodem prorsus valore, quo ipsa Decreta. Primis temporibus hi Canones tantum promulgabantur, non vero Decreta Congregationum. — C. 2. D. 46: „lecti fuerunt et approbati Canones ex Decretis hujus Congregationis extracti; et P. Generali cum Definitoribus fuit commissum, ut etiam ex Actis prioris Congregationis similiter Conones ad praxim pertinentes extraherentur, eo ordine numerorum et ea cum distinctione, quæ ipsis videretur. Reliqua vero Acta utriusque Congregationis bene servanda esse, quamvis Canones hi communius circumferantur." — Et C. 3. D. 9: „propositum item fuit, an aliqui alii deputandi essent ad Acta 1. et 2. Congregationis p. el. revidenda, et Canones ex Actis 1. Congregationis conficiendos. Et placuit, ut fieret hujusmodi deputatio ad arbitrium P. Generalis; et ut ex illis duabus et præsenti Congregationibus Canones, qui ad observationem et praxim communem pertinere possent, desumerentur et seorsim imprimerentur ac soli vulgarentur; reliqua vero Congregationum Acta et Decreta asservarentur."

19 *Nota 2.* — Quæ vocatur Formula Congregationis Generalis, Provincialis, Procuratorum, et ad Vicarium eligendum sunt decreta ad hunc particularem finem ex variis Congregationibus collecta; ergo habent eandem vim atque auctoritatem, quam ipsa Congregationum Decreta.

20 4. — Partem quartam Instituti constituunt quæ sensu strictiori in Societate vocantur Regulæ: Summarium, Regulæ communes, ceteræ. Ex Decretis Congregationis secundæ liquet, has regulas magna ex parte jam tunc temporis exstitisse; supponunturque jam a Patre Lainez esse compositæ. Decernitur enim C. 2. D. 28. et dein 57: „regulæ generales, quæ incipiunt: „Summa Sapientia," integræ conserventur; reliquæ vero, et examinentur, et quoad ejus fieri poterit, breviores fiant. Verum earum ratio habeatur, quas certo constiterit esse a R. P. N. Ignatio editas, si tempori consentaneæ et bono universali utiles esse censebuntur. Præcipue vero Regulæ officiorum Provincialis et Rectoris, aliorum etiam officialium examinentur et contrahantur." — Juste inde colligitur, Patrem Borgiam et post eum imprimis Patrem Mercurianum curam hujus rei suscipientes singulorum munerum regulas in breviorem formam redegisse.

Regulæ istæ, quæ continent materiam ad vota religionis spectantem, habent vim et obligationem votorum; similiter eæ, que ex Constitutionibus desumuntur, eandem atque hæ. — De obligatione regulæ

generatim postea agetur; sufficit hic notasse, regulas per se non obligare sub peccato.

5. — Ad quintam partem Instituti venimus, scil. Ordinationes Gene- 21
ralium, quarum plures Instituto formaliter insertæ sunt. Attamen, quæ emanant a Generalibus Ordinationes, non omnes eundem habent valorem et obligationem; unde distinguendum est:

a. — Generalis habet facultatem condendi Ordinationes, quæ obligent, utiregula obligat. — C. 1. D. 143: „responsum fuit, solum Præpositum Generalem auctoritatem habere (condendi regulas); et alios (præpositos inferiores) eam duntaxat, quam ab ipso acceperint; et cum ea si quid ordinabunt, transmittant Præposito, ut id examinet, et si videatur expedire, confirmet." — Tales Ordinationes non cessant morte Generalis; sed permanent in eodem vigore, donec a successoribus revocentur; sunt igitur hæ Ordinationes vere leges stabiles.

b. — Ordinationes Generalium tum demum hanc obligationem inducunt, si fundantur in Constitutionibus et regulis, alias habent vim doctrinæ, uti colligitur ex quodam Responso Gen. 1608.

c. — Cognoscitur autem Ordinatio Generalis hanc regulæ obligationem inducere, si non sit temporaria, sed destinetur ad perpetuam gubernationem, statuaturque tanquam norma permanens in regimine Superiorum. — Resp. 1575.

d. — Porro esse Ordinationem non temporariam, sed perpertuam, dignoscitur ex eo, quod Generalis jubeat eam inscribi in libro ad hoc destinato apud Provincialem et Rectorem inter eas Ordinationes, quæ stabiles sive perpetuæ censentur. Hoc a fortiori valet de iis Ordinationibus, quæ jam Instituto formaliter insertæ sunt; hæ ultimæ tamen non aliam vim habent, quam quævis Ordinatio Generalis perpetua. — C. 7. D. 81.

Nota. — Nostro tempore emanarunt duæ Ordinationes gravissimi momenti: Ord. R. P. Beckx „de arca seminarii" 19 Martii 1859, et Ord. R. P. Martin „de rerum temporalium adminisiratione" 21 Junii 1894. — Vide n⁰ 736 et n⁰ 750.

Coroll. 1. — Præter Ordinationes a Generali alia quædam emanare possunt, quibus Superiores in regendo et subditi in obediendo juventur; sunt tamen diversi valoris.

a. — Generali jus competit, Declerationes edere de Constitutionibus 22
et Decretis Congregationum. Hæ Declarationes non habent vim decreti vel stabilis ordinationis, sed juvant tantum Superiores ad bene juxta Institutum regendos subditos. — C. 4. can. 21: „Præpositus Generalis auctoritate sua ordinaria Constitutiones et Decreta generalia declarare

potest. Hæ tamen Declarationes non habent vim legis universalis, sed valent tantum ad praxim bonæ gubernationis; cum Congregationis Generalis, cujus est leges condere, sit etiam eas hoc modo declarare."

b. — Instructiones Generalium, quæ differunt ab Ordionationibus, minoris quam hæ sunt valoris, cum sint tantum ad dirigendos Socios. — C. 7. D. 81: „probavit Congregatio, eam (formam abbreviatam Ordinationum) vim habere, quam reliquæ Generalium Ordinationes habere consueverunt. Instructiones vero tantum directionis vim retinere."

24 *c.* — Aliter de Responsis Generalium quæ vocantur. Habent vim directivam ubique, præceptivam autem in iis solis provinciis, ad quas mittunter (22 Sept. 1646). Nihil tamen obstat, quin aliis quoque provinciis communicentur et, si libeat, ab iis etiam acceptentur. Sic de Responsis Generalium ad singulas provincias, imprimis ad earum Postulata. Si vero a Generali respondetur Superiori vel alii interroganti, tunc ejus Responsum vel directivam vel præscriptivam vim habet, prout ex natura rei vel tenore Responsi colligitur.

25 *Coroll.* 2 — Habetur etiam in Societate JESU jus consuetudine introductum, quod habetur in omni Corporatione legitima legibus ordinata. Diverso tamen ab aliis Congregationibus modo Societas hac in re sentit.

a. — Cum „melior legum interpres sit consuetudo", patet, etiam in Societate JESU plurium Constitutionum et regularum sensum per usum vel consuetudinem definiri posse et revera definitum esse.

26 *b.* — Et cum pro diversitate temporum et locorum eandem prorsus rem diverso modo applicare et accommodare conveniret, quamvis una lex interna charitatis semper, ubique et in omnibus vigeret, sic factum est, ut præter legem in diversis regionibus diversi usus stabilirentur, v. g. diversi modi pœnitentiarum in publico, diversi usus visitandi Sanctissimum statis temporibus, et ejusmodi. Unde evenit, ut singulæ provinciæ proprium haberent quod vocatur Consuetudinarium. Et rationi consonum hoc est. — C. 7. D. 90: „rogatum, placeretne, Ordinationum libris in domibus et Societatis Collegiis consuetudinum librum addere, quo Superiores et Ministri ad manum habeant ea, quibus ordinem domesticum certius dirigant. Placuit librum talem reliquis addi, in quem receptæ et a Provincialibus approbatæ consuetudines referantur; placuitque, hunc etiam Visitatoribus in visitationibus probandum offerri."

27 *c.* — Proprium autem est Societati JESU, quod non habet consuetudines contra legem, i. e. consuetudines, quæ diutius toleratæ et sic legitime præscriptæ eo ipso legem communem abrogent, ejusque locum occupent. Talis usus, si adsit, vult P. Claudius, vocetur potius abusus

vel corruptela. 1587. — Potest quidem concedi, etiam in Societate jus commune per se valere ad introducendam, loco legis exstantis, contrariam consuetudinem legitime præscriptam per tolerantiam et tacitam approbationem legislatoris; tamen de facto Societas, quæ sui ipsius est legislatrix, huic communis legis favori renuntiavit, statuendo modum unicum fixum, et satis difficilem, quo possit Constitutio vel regula quædam mutari, nimirum in Congregatione Generali ratione supra explicata. Et ita Societas tacite semper protestatur contra quemvis alium modum derogandæ legis.

Coroll. 3. — Porro ad servandum Institutum integrum lege sancitum est, ne quis contra id scribat, vel glossam faciat aut id impugnet. 28
Gregorius XIII. in „Ascendente" jam statuit excommunicationem Papæ reservatam in ejusmodi conatum. Prolixius rem tractat Paulus V. „Quantum religio Societatis", 4 Sept. 1606, ut morem gereret Societati, valde sollicitæ, uti apparet in C. 5. D. 54. et C. 6. D. 2. In C. 9. D. 25. accuratius describuntur impugnantes Societatem: „Quique a Paulo V. describuntur in Bulla „Quantum religio". His vero adnumerandos esse, qui libellis scriptis aut impressis Societatem ejusque vivendi aut gubernandi modum, aut Superiores traducunt, quique ita palam ac passim de Instituto obloquuntur ut censeri possint velle alios in suam sententiam pertrahere." — Eadem pietatis sensa tenet Societas restaurata, in C. 22. Act. 36: „Patres deputati ad detrimenta cognoscenda Congregationem rogarunt, ut auctoritate sua compesceret quosdam e Nostris, qui dicere non verentur, ab ea quæ nunc est temporum conditione exigi, ut nostræ Constitutiones temporibus aptentur. Ut hæc res audita fuit, non potuit Congregatio, quin ex indignatione simul tota conclamaret. Res quidem vix credibilis videbatur; sed Patribus deputatis fides non potuit non haberi. Aliqui petebant, ut in illos homines utpote Societatis perturbatores severiori decreto animadverteretur. Verum quum huic teterrimo malo plane provisum sit C. 5. D. 54., C. 6. D. 2., C. 9. D. 25., quumque hujus criminis reos non appareat esse nisi paucos, Congregationi visum est novo decreto opus non esse; sed Superioribus demandandum, ut in hujusmodi homines inquirant, sique de delicto constiterit, ea quæ in illis decretis præscripta sunt, exequantur.

Coroll. 4. — Quantumvis Societas sollicita sit, tum ut Institutum 29
existat integrum, tum ut omnes Constitutiones fideliter observentur, noluit tamen suos quasi vi cogere, ut id fiat; et statuit propterea, ut regula non sub culpa obliget. — P. 6. §. 5: „cum exoptet Societas, universas suas Constitutiones, Declarationes ac vivendi ordinem, omnino

juxta nostrum Institutum, nihil ulla in re declinando, observari; optet etiam nihilominus suos omnes securos esse, vel certe adjuvari, ne in laqueum ullius peccati, quod ex vi Constitutionum hujusmodi aut Ordinationum proveniat, incidant: visum est nobis in Domino, excepto expresso voto, quo Societas summo Pontifici pro tempore existenti tenetur, ac tribus aliis essentialibus, paupertatis, castitatis et obœdientiæ, nullas Constitutiones, Declarationes, vel ordinem ullum vivendi, posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere, nisi Superior ea in nomine Domini nostri JESU CHRISTI vel in virtute obœdientiæ juberet: quod in rebus vel personis illis, in quibus judicabitur, quod ad particulare uniuscujusque vel ad universale bonum multum conveniet, fieri poterit: et loco timoris offensæ succedat amor et desiderium omnis perfectionis; et ut major gloria et laus CHRISTI Creatoris ac Domini consequatur."

Attamen inde non sequitur, ex neglecta regula nunquam peccari, cum aliunde fieri possit et sæpissime fiat, ut in negligenda regula culpa contrahatur. Postea plura de hoc.

CAPUT QUARTUM.

Finis religionum.

ANTEQUAM ad ipsas Constitutiones explicandas aggredimur, expedit, de fine Societatis nonnulla præmittere; quæ ut rite intelligantur, exordium facimus agendo de statu religionis in genere et de diversitate religionum in specie.

ARTICULUS PRIMUS.

DIVERSITAS RELIGIONUM.

30 1. — Essentia religionis sive ordinis in eo est, ut sit religio status perfectionis acquirendæ. Cum autem ulla religio non possit esse, nisi in Ecclesia catholica, necesse est, ut ad efficiendum *statum* religionis accedat approbatio ejus, ab Ecclesiæ auctoritate profecta; duplici quidem ex causa. Primo: Ecclesiæ competit jus, imo incumbit officium, ut inquirat de quavis communitate in ipsa nascente, an finis, quem hæc sibi proponit prosequendum, honestus sit et utilis hic et nunc; dein, an media ad hunc finem prosequendum proposita revera convenientia sint et apta. Secundo: cum omnes religiones existant in Ecclesia

quasi partes ejus integrales, necesse est accedat auctoritas Ecclesiæ ad dandum ei existendi jus et modum. In summa: non potest esse in quacunque religione jus ullum vel privilegium, nisi derivatum a legitima Ecclesiæ auctoritate approbante et concedente.

2. — Constat, esse in Ecclesia multas et inter se sat diversas 31
religiones. Clarum est, hanc diversitatem non posse esse in communi omnium religionum fine tendendi ad perfectionem, neque in essentialibus ad hunc finem consequendum mediis; nam in istis omnes conveniant oportet. Sed hæc diversitas religionem est in fine particulari, quem præter communem quævis religio sibi præfigit; et in mediis consequenter tendendi ad hunc finem. Unde nonnulla fluunt:

a. — Quævis religio nascens consueverat, supposito fine generali cujusvis religionis, hunc suum finem particularem directe et præ aliis intendere, et secundum eum, quæ essent sua propria, definire et explicare; et ita suam propriam religionem quoad suam concretam speciem et formam proponere. Unde factum est, ut hic finis religionis particularis simpliciter vocetur finis talis religionis, imo etiam finis ejus principalis.

b. — Hæc diversitas religionum in fine et mediis oritur quidem ex eo, quod singulorum hominum vires, cum sint sat imperfectæ et debiles, natura sua non sufficiant ad quælibet bona efficienda. Causa vero proxima sita est in tam diversis necessitatibus generis humani, in societate civili et ecclesiastica occurrentibus, quibus tamen satisfieri necesse est. Sciunt omnes, diversis temporibus, prout tempora procedebant, modo hæc modo alia in mundo fuisse utilia et necessaria, ad succurrendum malis et ad providenda bona hominibus. Et mirum sane est, rebus sic se habentibus, qua cum sollicitudine divina Providentia laboranti generi humano succurrerit, excitando singulas religiones pro remedio et adjumento, prout pro tempore temporisque conditione conveniret.

c. — Dein patet, hanc diversitatem religionum esse etiam ornamentum et decus Ecclesiæ catholicæ, quum eo ipso, quod mediis apparenter diversis unum nobilissimum humanæ vitæ finem unitis inter se viribus prosequuntur, exhibeant in eleganti varietate pulcherrimam amœnissimamque unitatem. Et quod præstat etiam: hæc diversitas finis et operationis, ex qua plurimorum vires uniuntur ad speciale aliquod bonum et utile procurandum, majorem energiam et efficaciam addit communiter operantibus; quo fit, ut ipsi increduli et inimici Ecclesiæ catholicæ non possint non mirari fructus splendidissimos, quos Ecclesia catholica per diversissimas religiones tam utiliter protulit et profert adhuc.

d. — Et si quis objiciat, diversitatem in eadem re, i. e. in statu religioso, non posse non nocere et non impedire ex natura sua finem omnium religionem communem, cum certe inter diversas vias una sit præ aliis aptior, respondemus, hanc esse præcise in Ecclesiæ Pastoribus vigilantiam et curam, ut singulis religionibus pro ratione sui finis specialis ea via designetur, quæ ipsis sit maxime conveniens et apta secundum finem suum specialem, et ut ab hac tenenda nunquam deflectant.

32 3. — Sunt tria genera religionum, secundum diversam rationem finis attingendi: contemplativæ, activæ et mixtæ; et intelligitur ex ipsis verbis, quid sibi velint et in quo differant. Si finem communem omnium religionum spectas, i. e. unionem cum DEO procurandam, contemplativæ sub hoc respectu præcellunt ceteris religionibus, activis et mixtis, cum directe et unice tendant in finem omnis religionis. Cum vero mixtæ, non neglecto fine contemplativo, addant alium nobilissimum et utilissimum, sc. operari in salutem hominum, ex hac causa primo loco veniunt hæ. Ceterum, quæ sit religio præstantior aliis, judicare licet ex præstantia finis specialis et ex aptitudine mediorum ejus. Singulis vero personis ea religio præferenda est, ad quam a DEO vocantur juxta dona naturalia et supernaturalia. — Th 2. 2. q. 188. a. 6. — q. 182. a. 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

FINIS SOCIETATIS JESU.

33 1. — His præmissis accedimus jam ad proponendum finem Societatis JESU, qui juxta Constitutiones est duplex: salus et perfectio propria, et simul salus et perfectio proximorum procuranda. — Ex. c. 1. §. 2: „finis hujus Societatis est non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere." Hi duo fines vero reipsa unum tantum finem constituunt. — Suarez, *De rel. Soc. Jesu,* l. 1. c. 2. §. 5: „ita vero sumendus est hic finis, [scil. salus et perfectio proximorum,] ut ab alio, scil. perfectionis propriæ acquirendæ, non separetur, sed sit quasi determinatio ejus, vel potius mutuo se determinent; et ita ex eis confletur unus adæquatus et perfectissimus finis talis religionis." — Quod ita esse, ex natura utriusque finis sic conjuncti clare patet, et expressis verbis in Constitutionibus dicitur. Etenim:

a. — Salus et perfectio propria assequenda statim ab initio in Bullis Pontificum proponitur finis attingendus eorum, qui primi in hanc Societatem convenirent: „sint vere humiles, exercitati; probati, an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta consilium Dominicum possint consummare." Et similia. — Ita etiam Summ. 2. et 15: „omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus, in absoluta omnium Constitutionum observatione, nostrique Instituti peculiari ratione adimplenda prætermittamus." Item Summ. 16: „virtutum solidarum et perfectarum studium." Utique cum simus ad hoc positi, ut in animarum salutem procurandam incumbamus, imprimis impellimur habere curam animæ propriæ, utpote nobis ipsis proximæ. Et de facto difficile esset invenire aliquem, qui ingrediens religionem non proxime et directe intendat, salvare suam ipsius animam eamque tutius et facilius, quam in mundo fieri potest, in viam salutis dirigere. 34

b. — Attamen præter hunc finem ab omnibus eo ipso attingendum proponitur clare et distincte tanquam finis Societatis JESU salus et perfectio proximorum procuranda. Jam Paulus III. „Regimini": „ad hoc potissimum instituta Societas, ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana, ad fidei propagationem per publicas prædicationes et verbi DEI ministerium, spiritualia exercitia et charitatis opera, et nominatim per puerorum in Christianismo institutionem, ac CHRISTI fidelium in confessionibus audiendis, spiritualem consolationem præcipue intendat." — Et sic in plurimis locis Instituti, Bullarum et Constitutionum. Imo hic finis pro præcipuo et principali proponitur, ad quem consequendum Societas potissimum instituta sit. — Ex. c 1. §. 2. — P. 5. c. 3. §. 3. form. vot. profess. — c. 4. §. 2. et 4. 35

c. — Hæc utriusque hujus finis conjunctio non est insolitum quid ac novum, sed per ipsum Salvatorem nostrum jam in Evangelio innuitur. — Luc. 9, 59-60: „ait autem [JESUS] ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum. Dixitque ei JESUS: sine, ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade et annuntia regnum DEI." — Marc. 10, 29: „amen dico vobis: nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut filios aut agros propter me et propter evangelium, qui non accipiat centies tantum." — Invitat Dominus ad sequelam suam, i. e. ad viam perfectionis, et simul ad annuntiandum Evangelium, i. e. ad vitam apostolicam. Et hanc vitam mixtam Ecclesia in approbandis religionibus apostolicis secuta est.

d. — Audiamus de hac re etiam sanctum Thomam, modo suo rem

clare exponentem. — 2. 2. q. 188. a. 2: „religionis status ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ se extendit ad dilectionem DEI et proximi. Ad dilectionem autem DEI directe pertinet vita contemplativa, quæ soli DEO vacare desiderat; ad dilectionem autem proximi directe pertinet vita activa, quæ deservit necessitatibus proximorum Et sicut ex charitate diligitur proximus propter DEUM, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in DEUM, secundum illud Matth. 25,40: quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Unde et hujusmodi obsequia proximis facta, in quantum ad DEUM referuntur, dicuntur esse sacrificia quædam, secundum illud Heb. 13, 16: beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur DEUS. Et quia ad religionem proprie pertinet, sacrificium DEO offerre, consequens est, quod convenienter religiones quædam ad opera vitæ activæ ordinantur." — Et dein art. 4: „magis autem procuratur utilitas proximorum per ea, quæ pertinent ad spiritualem animæ salutem, quam per ea, quæ pertinent ad subveniendum corporali necessitati, quanto spiritualia corporalibus sunt potiora... Et ideo convenientissimum est, ad prædicandum et ad alia hujusmodi, quæ pertinent ad salutem animarum, aliquam religionem institui." — Sic ille.

36 2. — Uterque igitur finis prosequendus in Societate ubique clare et presse commendatur; proin quæritur, quæ sit inter utrumque relatio, an alter altero sit inferior eique postponendus. Designatur quidem in Bullis et Constitutionibus procuranda proximorum salus et perfectio esse finis præcipuus et principalis, ad quem recta tendit Societas. Finis tamen iste generalis omnis vitæ religiosæ, sc. ut nosmetipsos salvemus et perficiamus, non modo non excluditur, sed tanquam finis personaliter nobis proximus præcipue nobis ante oculos versatur, et eam induit perfectionis specialem formam, quam procuratio salutis et perfectionis alienæ expostulat. Nimirum laboramus strenue in propria perfectione procuranda, sed ea intentione et eo modo, ut simus apta instrumenta in manu DEI, quibus utatur ad salvandas animas proximorum. Proin virtutes Apostolicæ quæ vocantur, scilicet quæ præ ceteris virum Apostolicum ornant, uti contemptus mundi, studium paupertatis, zelus animarum, etiam præ aliis nobis cordi sunt, et quidem eo quoque animo, ut exemplo talium virtutum et earum efficientia facilius et efficacius proximorum animos DEO lucremur.

37 Cum igitur hoc modo propria sanctificatio et propria sanctitas etiam appareat uti medium adhibitum pro salvandis animis, jure dicimus, salvationem proximi procurandam esse finem principalem et præcipuum

Societatis. Vice versa autem, cum labor Apostolicus, quo in lucrificandos DEO proximos incumbimus, eo modo et eo animo a nobis impendendus sit, ut per ipsum hunc laborem non solum non negligamus propriam animam, sed potius eam solidius et universalius sanctificemus, recte dicit Suarez, alterum finem ab altero determinari et sic effici unum adæquatum et perfectissimum finem Societatis JESU. — Ex his, quæ diximus, nonnulla sequuntur:

a. — Facile nunc intelligimus, in Bullis Pontificum et in Constitutionibus sacrum ministerium, sc. laborare in procuranda proximi salute et perfectione, appellari finem Societatis præcipuum, cui propria sanctificatio etiam inserviat. — Clare hoc enuntiatur in Bulla Julii III. „Exposcit debitum" 21 Julii 1550. Postquam dixit Papa, Societatem JESU ad hoc potissimum institutam esse, ut ad fidei defensionem et profectum animarum in vita et doctrina christiana præcipue intendat, protinus prosequitur: „diu multumque meditentur, an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta consilium dominicum possint consummare, hoc est, an Spiritus sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus, illo adjuvante, se laturos sperent, et postquam Domino inspirante huic JESU CHRISTI militiæ nomen dederint, diu noctuque succincti lumbos et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt."

Sic etiam in Constitutionibus P. 1. c. 2. §. 8: „nostrum Institutum ad animas juvandas et disponendas ad ultimi sui finis de manu DEI Creatoris nostri ac Domini consecutionem recta tendit." — P. 3. c. 1. §. 9: „Societas tota ad majorem DEI gloriam ac universale bonum et utilitatem animarum instituta est." — P. 4. Procem.: „scopus, ad quem Societas recta tendit, est suas ac proximorum animas ad finem ultimum consequendum, ad quem creatæ fuerunt, juvare." — P. 7 c. 1. §. 1: „Quæ erga proximos... observari debent, qui finis nostri Instituti valde proprius est."

b. — Sequitur etiam, ex fine Apostolici laboris assumendi non solum 38
modificari qualitatem propriæ sanctificationis, sed etiam multa alia ad vitam externam spectantia. Sic:

α. — In ipsis votis complura constituuntur nos obligare, quæ immediate tangunt vitam apostolicam; v. g. in paupertate, ne quid accipiamus tanquam stipendium seu compensationem pro labore in sacro ministerio exhibito. Imo quod tribus votis substantialibus additum est quartum, quo obligamur Pontifici ad missiones, quo alio spectat, quam ut vita nostra tota et in omnibus omnino rebus referat hanc indolem muneris Apostolici?

β. — Ea quoque, quæ magis etiam respiciunt vitam externam, juxta hunc finem ordinantur; v. g. quod sunt in Soeietate plures hominum classes, nimirum scholares, operarii, professores, etc., quoad speciem occupationis multum inter se differentes. Item, quod non ex regula obligamur ad certas mortificationes suscipiendas, ne debiliores adigantur ad eas assumendas cum detrimento virium corporis exercendo muneri apostolico necessariarum.

39 γ. — Similiter constituuntur impedimenta pro admissione in Societatem, quæ unice fere afficiunt vitam agendam in publico; ut impedimentum originis, et eorum, quæ notam infamiæ secum trahunt. Et ea etiam, quæ adesse in Candidatis positive requiruntur, talia esse cernuntur, quibus quis aptus fieri potest ad laborem Apostolicum — P. I. C. 2. §§. 6-12.

40 δ. — Omnia dein, quæ in Societate adhibentur ad educandos juvenes nostros, tum in moralibus, tum in scientificis, mensurantur et ordinantur ex hoc fine, uti primo intuitu conspicitur. Inde etiam est, quod constituimus ordinem Clericorum regularium, qui vocatur, cum labores Apostolici a nobis assumendi supponant, nos esse clericos, aptos ad functiones sacerdotales peragendas. Ex eadem causa tamen eximimur ab officio divino communiter in choro dicendo, ne impediamur, totum nostrum tempus proximis immendiate impendere. Et alia.

41 *c.* — Hunc finem Apostolicum in vita et operatione demum Societas præfigit sibi ratione speciali et significativa præ aliis ordinibus. Nimirum:

α. — Ante sanctum Ignatium non aderat alius ordo religiosus in Ecclesia, qui finem Apostolicum vi regulæ tam directe et immediate prosequebatur. Nam veteres ordines monachales potius contemplationem immediate prosequebantur, secundo autem loco et quasi accessorie tantum assumebant sacrum ministerium et puerorum eruditionem, v. g. Benedictini, Præmonstratenses, Carthusiani et alii. Et etiam qui vocantur ordines mendicantes, quamvis et ipsi in curam animarum vi regulæ incumberent, præprimis tamen indolem monasticam retinebant et fovebant. Et quod summi momenti est, nullius Ordinis socii tam stricte et unice obligabantur ad vitam Apostolicam, quam professi Societatis, qui etiam speciali voto edito summo Pontifici strictissima obligatione adeundi quasvis missiones subduntur.

β. — Et vix invenitur alius ordo religiosus, qui tantum temporis tantumque mediorum impendat ad vitam Apostolicam profitendam. Jam ab initio ingressus in Societatem quot anni insumuntur, quotque homines et facultates adhibentur, ut juvenes nostri ad munus Apostolicum idonei formentur! Et Deo sint laudes, non sine successu. Nam lætabundi conspicimus, semper adfuisse et etiam nunc ubique adesse

in Societate viros strenuos, qui effuso corde incumbunt in ea omnia, quibus aliis prodesse possint, scribendo, docendo, erudiendo, prædicando; brevi, qui se impendunt totos et superimpendunt pro regno CHRISTI firmando et salute animarum promovenda.

Coroll. — Est igitur, prout exposuimus, Societas JESU ordo eminenter 42
Apostolicus; hanc indolem profitetur tum in organismo totius corporis et in modo quo hoc sustentatur et vegetatur, tum in omnibus occupationibus et operationibus suis, quas assumit pro gloria DEI et salute animarum. Et propter hujus vitæ et operationis suæ excellentiam tota etiam Societas JESU occupat cum ceteris ordinibus Apostolicis excellentem locum in Ecclesia DEI; sunt, qui hos ordines Apostolicos statui episcoporum qui constituti sunt ad pascendum populum DEI, comparent. — Th. 2. 2. q. 188. a. 6. — Quo propius enim aliquis ex status sui conditione accedit ad hanc episcopalem operationem eo magis etiam fit particeps ejusdem dignitatis. Quod cum verum sit, multum nihilominus differunt ex hac parte. Nam:

a. — Episcopis munus Apostolicum competit ex officio suo et 43
proin principaliter, cum sint positi a Spiritu sancto regere Ecclesiam DEI, uti sanctus Paulus ait. Econtra ordinibus Apostolicis incumbit munus Apostolicum ministerialiter tantum, ut ita dicam, cum in hac re immediate subditi sint summo Pontifici, supremo Pastori et Rectori universalis Ecclesiæ, cui nos voto directe obstringimur; ergo in summa dependentia ab eo.

b. — Episcopis datur potestas pascendi gregem per ipsam ordinationem, qua in statu episcopali constituuntur; quare etiam supponuntur habere jam sanctitatem huic statui convenientem: sunt in statu perfectionis acquisitæ, uti dicitur. Nobis status religionis non dat potestatem pascendi gregem DEI, sed vocationem seu destinationem ad hoc; et proin non constituit nos in statu perfectionis acquisitæ, sed acquirendæ, subministrando nobis media nobilissima et aptissima ad culmen perfectionis attingendum.

c. — Nobis dein hic finis vitæ Apostolicæ ita proponitur, ut ipsa hujus finis prosecutio sit iterum medium propriæ perfectionis assequendæ: proficimus in sanctificatione nostra ipsorum eo ipso, quod laboramus in salutem proximorum. Noster labor Apostolicus ita ordinatur, ut juvet nos in virtutis soliditate perficienda simulque ornet nos virtutibus istis, quæ virum Apostolicum decent.

ARTICULUS TERTIUS.

MEDIA AD HUNC FINEM CONSEQUENDUM.

Sicut vocationis nostræ præstantia elucet in duplici ejus fine et in utriusque hujus finis connexione, ita non minus in dignitate et copia mediorum, quæ ad finem nostrum prosequendum nobis exhibentur.

44 1. — Pro sanctificatione propria perficienda, quam proxime semper intendimus, suppetunt nobis in Societate media efficacissima et nobilissima.

a. — Nam quæ sunt media omnibus Christianis communia ad unionem cum DEO perficiendam, sc. oratio et usus Sacramentorum, ista nobis non modo non subtrahuntur minuunturve, imo mirum in modum augentur multiplicanturque. Nobis offeruntur ex hac parte singulis diebus plura et uberiora, quam Christianis communibus per hebdomadam, mensem, annum, modo numerum et tempus respicias. Et quod valde attendendum est: ista media communia uberiorem nobis fructum afferunt quasi per se, per assiduitatem nempe, diligentiam et curam, quam in usu eorum facile est exhibere ex regula et ordine diurno. Præterea ea omnia cum fiant communiter, i. e. ab omnibus simul spiritualiter unitis, specialem nobis benedictionem acquirunt, ex verbo Christi: „ubi sunt duo vel tres congregati nomine meo, ibi sum in medio eorum."

b. — Quæ sunt media communia omnibus religiosis, nimirum vota, regulæ, etc., in Societate juxta finem nostrum ita ordinata sunt, ut etiam magnam afferant utilitatem. Nam quo accuratius quis inspicit singulas Instituti nostri materias, eo lætior redditur in cognoscendo, quam mira aptitudine etiam ordinaria et minutissima composita sint ex principiis generalibus, quibus totum corpus Societatis fulcitur. Ita fit, ut usque ad infima et quotidiana habeamus normam vitæ nostræ religiosæ omnino determinatam; quam proin ex fide viventes, facillime supernaturalem et meritoriam reddimus. Quod non potest non dare nobis continuam cordis lætitiam et mentis fiduciam, qua bonos religiosos imperturbatos frui conspicimus.

45 2. — Pro altero fine, perficiendæ salutis et perfectionis proximorum, etiam plurima et efficacissima a Societate subministrantur media.

a. — Inspiciamus primo breviter positiva illa media, quæ ex conditione status nostri nobis largissima suppeditantur et omnia simul modo valde efficiente. Societas enim est ordo clericorum regularium, et vult proin nos esse Sacerdotes; unde omnia nobis præsto sunt, quæ status sacerdotalis continet.

α. — Sacerdotium ipsum, quo ornari nos ex vocatione nostra convenit, quam largum nobis aperit gratiæ fontem in quotidiana oblatione Missæ et recitatione officii divini, nobis et etiam proximis!

β. — Functiones sacerdotales in utilitatem proximi ex vocatione nostra frequentius et uberius exercemus in administrandis sacramentis, prædicando verbo divino.

γ. — Et quod ad sacerdotium suscipiendum præmittimus studium, quam ampla et strenua arma nobis suppeditat!

b. — Veniunt dein quæ vocare possumus media dispositiva, quæ sunt in organismo Societatis et in iis, quæ inde fluunt. Huc pertinet divisio hominum Societatis in varias classes: Scholares, Coadjutores, Professos; nam ita fieri potest, tum ut pro administratione totius corporis semper suppetant idonei viri, tum ut juvenes maxima cum sollicitudine paulatim formentur ad ea acquirenda, quæ postea exercere debent.

c. — Nec desunt in Societate, ut ita dicam, media negativa, i. e. licet nobis, ne impediamur in exercendo ministerio, omittere plura, quæ in aliis religionibus requiruntur:

α. — Liberi sumus a recitando officio communiter in choro et a sacris functionibus adjunctis, ut plus temporis in curandos proximos impendere nobis fas sit.

β. — Liberati sumus a cura ordinaria monialium similiumque, ut operibus magis utilibus vacare possimus.

γ. — Non cogimur interesse processionibus aliisque publicis functionibus, quæ multum temporis insumunt.

d. — Neque obligamur ad pœnitentias ex regula obeundas, ne quis destituatur viribus corporis aliter necessariis.

Nota. — Quæritur, num Societas sit religio severa. Si externas austeritates 46
spectas, aliæ utique nobis præstant. Si expendamus, quam arcte et presse finem suum duplicem prosequatur, quam maxime rigorosa dici potest.

Prima Pars Constitutionum.

De admissione ad probationem.

In hac parte de tribus agitur; nimirum qui habeant potestatum admittendi, et quo modo eam exercere debeant; quis admitti possit et quis non; de modo admittendi et quid in admissione observandum sit.

CAPUT PRIMUM.

De eo, qui admittit ad probationem.

1. — Potestatem admittendi ad probationem in Societate JESU, i. e. facultatem statuendi, ut quis incipiat novitiatum et consequenter ut membrum Societatis haberi debeat, plures habent, diversa tamen ratione pro diversitate muneris sui.

47 *a.* — Hac potestate plene et absolute fruitur Pater Generalis, eadem ratione, qua etiam ad vota sive prima sive ultima admittendi jus habet. — Paulus III. „Regimini": cujus proprii cujusque gradus judicium, et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Præpositi seu Prælati per Nos eligendi, ut congruus ordo servetur, in omni bene instituta communitate necessarius". — Sic in multis Bullis sequentibus et demum in Pii VII. „Sollicitudo" : „concedimus et indulgemus dilecto filio presbytero Thaddæo Brzozowsky, moderno Præposito Generali Societatis JESU, aliisque ab eo legitime deputatis, omnes necessarias et opportunas facultates ad Nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum, ut in cunctis præfatis Statibus et Ditionibus omnes illos, qui in regularem ordinem Societatis JESU admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere ac licite valeant", etc. etc. — Per se hoc patet; nam cum Generalis exerceat plenissimam potestatem executionis in omnibus, quæ spectant ad personas et res Societatis, sequitur, eum a fortiori jus habere istius primæ actionis exercendæ, qua quis ipsius jurisdictioni subesse incipit ut membrum Societatis, Item patet, Generalem hanc potestatem alteri cuilibet pro suo arbitrio tribuere posse.

48 *b.* — Potestatem admittendi ordinariam, i. e. vi muneris, habet Provincialis, qui potest eam, acceptis informationibus, etiam in absentes

exercere. — Reg. Prov. 32: „eos ad probationem per se vel per alios admittere poterit, quos ad Institutum nostrum idoneos in Domino judicaverit; cavebit tamen, ne cujusquam admissio justam aliquam externorum offensionem aut Societatis nocumentum pariat; quod cum iis potissimum observandum erit, qui in scholis nostris instituuntur." — Potest Provincialis hanc suam potestatem etiam aliis communicare.

c. — Jure extraordinario exercent hanc facultatem Commissarii a 49
Generali vel Provinciali deputati. — P. 1. c. 1. B: „extraordinarie vero quivis Commissarius Præpositi Generalis vel ejusdem Provincialis" („admittere poterunt in absentia").

d. — Ceteri Superiores (locales) gaudent tantum potestate præsen- 50
tandi aliquem, ut in Societatem admittatur. — Reg. Rect. 77. et 78: „in Societatem neminem admittat, nisi a Generali vel Provinciali id ipsi committatur; sed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat vel scribat, quales illi sint et quibus donis DEI præditi." — „Si is, qui admitti petit, ad Institutum Societatis valde idoneus videbitur, et necessitas urgeret, poterit eum tanqum hospitem domi recipere, donec responsum a Provinciali accipiat, vel ad eundem mittere, si expedire judicaverit"

2. — Ejus qui admittit, gravis obligatio est, ut caute attendat ad 51
facienda et omittenda, quæ in actu hoc exercendo occurrunt facienda vel omittenda, præcipue pro bono Societatis tuendo et promovendo.

a. — Cum finis in Societate attingendus sat arduus sit, et quæ sunt nostræ vocationis sat gravia et difficilia, imprimis tenendum est, non sufficere ordinaria signa religiosæ vocationis cujuscunque, sed requiri in admittendo altiora quædam et singularia; unde etiam dicitur in Bullis et Constitutionibus, ut „selecti" tantum recipiantur.

Julius III. „Exposcit": „nonnisi diligenter examinati et idonei reperti ad eundem finem Societatis, admittantur ad hanc JESU CHRISTI militiam." — P. 4. Procem. A: „juvenes, qui bonorum morum et ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul ac doctos viros ad colendam CHRISTI Domini nostri vineam essent evasuri." — P. 10. § 7: „ut perpetuo totius hujus corporis bonus status conservetur, confert plurimum, quod in prima, secunda et quinta parte dictum est de turba et hominibus ad nostrum Institutum ineptis, ne ad probationem quidem admittendis.„ — Imprimis Instr. 6. §. 1: „quoniam prima boni status Societatis origo in admittendis iis consistit, qui nostro Instituto congruunt, ideo Superiores, ad quos admittendi munus spectat, in admittendo non sint nimii, sed delectum personarum habeant; nec Nostrorum vel aliorum importunitate moveri se sinant; nec bona

externa, vel Nostrorum affinitatem, sed potius ad nostrum Institutum aptitudinem in admittendis sequantur." — Reg. Prov. 34: „meminerit, quod inepta turba ad Institutum nostrum admitti non debet; et observari faciat in hoc diligenter regulas officii examinatoris." — P. 1. c. 1. §. 3: „refert plurimum ad divinum servitium, convenientem haberi delectum eorum, qui admittuntur et diligentiam adhiberi, ut intelligatur, quæ eorum sint dotes et vocatio."

Ratio, cur caute seligendi sint, qui admittantur, habetur in P. 8. c. 1. §. 2: „multitudo enim magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem, quæ in CHRISTO Domino nostro tam necessaria est, ut bonus status ac procedendi modus hujus Societatis conservetur." — Hoc tamen non impedit, quominus in Societatem plurimi admittantur, modo idonei sint. — Decl. B: „hoc autem non excludit numerum (licet magnum) eorum, qui idonei, ut in Professos vel Coadjutores formatos vel Scholasticos approbatos admittantur; sed hoc eo spectat, ut commendatum habeatur, ne qui tales non erunt, idonei, præcipue ad professionem, facile censeantur; et cum bene observabitur, quod in 1. et 5. Parte dictum est, satis erit. Qui enim hujusmodi essent, turba existimari non deberent, sed potius gens electa, tametsi magna ea esset."

b. — Ex hoc generali principio in admissione tenendo requiruntur in iis, qui hujus actionis partem habent, i. e. tum in admittente ipso, tum in iis, qui examinant vel proponunt, duæ res, prudentia scilicet et diligentia, qua ducantur et dirigantur.

α. — Prudentia requiritur; i. e. plenam, oportet, habeant cognitionem earum rerum, quæ spectant Societatem et quæ in sociis ejus adesse debent. Dein habeant amorem erga Societatem sincerum, ne inordinato aliquo affectu in judicando abripiantur. — Reg. Prov. 32: „cavebit tamen, ne cujusquam admissio justam aliquam externorum offensionem aut Societatis nocumentum pariat; quod cum iis potissimum observandum erit, qui in scholis nostris instituuntur." — 33: „attendat, ne nimii sint Nostri in hominibus ad Societatem alliciendis; sed per virtutes et bonæ vitæ odorem omnes ad CHRISTUM trahere studiose curent." — 34: „meminerit, quod inepta turba ad Institutum nostrum admitti non debet; et observari faciat in hoc diligenter regulas officii examinatoris."

β. — Diligentia requiritur adesse in omnibus, maxime in examinatoribus; agitur enim de re gravissima, tum si spectas ipsum admittendum, cujus electio status in quæstione est, unde plurimum pendet pax hujus vitæ et salus æterna; tum si spectas ipsam Societatem, cujus prosperitas et efficientia imprimis salvatur per rectum delectum eorum,

qui admitti petunt. Penitus teneant necesse est, quæ in formula informationis continentur, ut rite et caute examinantes plenam acquirant notitiam eorum, ex quibus judicium de facienda admissione formari debet.

Nota. — Quantopere Generalibus cordi sit, ut in admissione recte procedatur 52
et sic Societatis bonum salvetur, ex multis eorum epistolis intelligitur. — Epist. selectæ Cl. Aquav. de admissione §. 13: «quare observent ipsi [Provinciales], subditique ut observent, efficiant, quam oporteat penitus cognoscere, an qui postulat, vere sit vocatus a Deo; potissimum vero, an interiores habeat dispositiones ad vivendi rationem ab Instituto præscriptam, et exteriores ad nostra ministeria subeunda. Hinc de hoc eos... probe informent; si delinquunt, corrigant, et si emendationis spem non exhibeant, ab hujusmodi amoveant officio.»

Epistola S. Francisci Borgiæ, de mediis conservandi spiritum, §. 2: «cum ergo in campum nostrum zizania multis ac variis modis per fraudem induci queant, eo tamen ex capite maxime formidarim, si minime nobis curæ esset, spiritum nostrarum Constitutionum retinere in admittendis ad Societatem nostram hominibus. Nam si alia intentione procedatur, quam quæ a nostris Constitutionibus requiritur, certissimæ ruinæ porta aperietur. Sane si nulla habita ratione vocationis et spiritus, quo quisque impulsus accedit, litteras modo spectemus et alia exteriora talenta ac dona, veniet tempus, quo se Societas multis quidem hominibus abundantem, sed spiritu et virtute destitutam mœrens intuebitur. Unde existet ambitio, et sese efferet solutis habenis superbia, nec a quo contineatur et supprimatur habebit.»

P. Roothaan, de Societatis progressu et periculis, §. 5: «profecto si susciperentur inepti vel indigni, et ita suscepti retinerentur, et retenti ad vota post biennium nuncupanda, quantumvis exigua spe profectus, admitterentur, nemo non videt, qualis brevi tempore in Societate colligenda foret, quam Sanctus Pater vocat, «hominum turba,» quamque ille nullo modo ei convenire declarat; futura, scilicet, ad confundendam et perturbandam, non ad juvandam et promovendam Societatem.»

CAPUT SECUNDUM.

De admittendis in Societatem.

UT admittantur in Societatem, qui eam ingredi petunt necesse est, ut sint „habiles" sive „idonei"; id est, ut non solum præditi sint iis qualitatibus positivis, quae adesse debent, P. 3. c. 2., sed etiam, ut sint liberi ab iis, quae impediunt ingressum in Societatem.

ARTICULUS PRIMUS.

QUALITATES POSITIVÆ IN ADMITTENDIS.

1. — Statuitur generale principium in P. 1. c. 2. §. 1: „ in universum loquendo de iis, qui admittendi sunt: quo pluribus Dei donis

naturalibus et infusis præditi ad promovendum juxta Institutum Societatis divinum servitium, et quo certioribus experimentis perspecti fuerint, eo magis idonei erunt, ut in eam admittantur." — Sensus est, idoneos ad Societatem esse judicandos eos tantum, qui ornati sint donis nostræ vocationi speciali necessariis, cum non sufficiant dispositiones generalis vocationis religiosæ. Et hæc potissimum ratio est, cur judicium de admittendis, in quantum fieri potest, ex propria experientia formetur, et non tantum ex iis, quæ alii de iis referunt.

54 2. — Quoad ætatem tenenda sunt quædam generalia, alia particularia.

a. — Ex lege naturæ nihil obstat, quominus aliquis religionem ingrediatur valde juvenis, modo habeat usum rationis, ut cognoscat, quid sit religionem ingredi et vota emittere. — Th. 2. 2. q. 189. a. 5: „quamquam ante annos pubertatis pueri voto religionis communiter non teneantur, possunt tamen et laudabile est, eos in religionem recipi, ut in ea exerceantur tanquam in arte, quam post annos pubertatis, accedente rationis usu, professuri sunt." — Et addit: „quia pueri vel puellæ infra pubertatis annos naturaliter sunt in potestate patris, quantum ad dispositionem suæ vitæ, poterit pater votum eorum revocare vel acceptare, si sibi placuerit."

b. — Jus positivum pro omnibus religionibus normam figit in Trid. s. 25. de ref. c. 15: „in quacunque religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus." — Juxta hæc igituur ingressus religionis invalidus est ante 15. annum expletum, ita ut tempus antecedens non computetur in ordine ad novitiatum faciendum. — Attamen Benedictus XIV. concessit, ut ad noviciatum Societatis admittantur ii, qui decimum quartum annum attigerint; imo Leo XII. qui duodecimum annum expleverint. De quo in Parte tertia, nº 156.

c. — Cum in Societate duo anni novitiatus statuantur, quæri potest, utrum novitiatus incipi jam possit anno 14° expleto, ita, ut novitius in fine biennii, i. e. expleto anno ætatis 16°, admitti possit ad vota religionis emittenda juxta legem communem ex Tridentino valentem in aliis omnibus religionibus. Societas tenet primum terminum fixum juxta legem communem, scilicet, ut nemo possit valide incipere probationem novitiatus ante annum ætatis 15. completum; et proin non

possit emittere valide vota religionis ante completum annum ætatis 17. in fine biennii probationis, nisi Generalis intra limites juris communis dispenset. — Ita jam C. 8. D. 35. et dein C. 12. D. 13: „Congregatio definitum voluit, biennium novitiatus fuisse tunc solum quidem valide inchoatum, quando ille annum ætatis suæ decimum quintum explevit; primam vero renovationem votorum post annum decimum septimum expletum factam habere vim primæ nuncupationis, ac supplere quoscunque prædictos ejusmodi defectus."

3. — Cum sint in Societate diversæ classes hominum, scilicet fratres laici et scholastici, necesse est, ut in admittendis ad alterutram classem diversa pro diversitate classis requirantur, alia in laicis, alia in scholasticis.

a. — Quoad recipiendos fratres laicos, abstrahendo ab eorum apti- 56
tudine et capacitate, hæc norma generalis statuitur, ne recipiantur plures, quam qui necessarii sint ad officia eorum domestica perficienda. — P. 3. c. 2. §. 7: „ad alias etiam functiones necessarias, et eas præcipue, quæ honestius domi quam foris fiunt, curandum est, ut officialium necessarius numerus constituatur. Et expedit, ut hujusmodi officia Coadjutores temporales, si ea ignorent, addiscant: omnia ad majorem gloriam Dei Creatoris et Domini nostri semper dirigendo." — Decl. H: „officiales in iis, quæ domi honestius quam foris fiunt intelliguntur: lotor pannorum lineorum, tonsor et hujusmodi, quos esse domi, si fiere posset, expediret." — Reg. Prov. 39: „Coadjutores temporales plures esse non debent, quam qui necessarii sint ad sublevandas domos vel Collegia in rebus, quibus occupari Sacerdotes et Scholastici non possunt sine detrimento majoris boni." — C. 7. D. 82. §. 3: „ne Coadjutores quartam partem in Collegiis, in domibus vero professis ne tertiam partem excedant."

Nota. — Clemens VIII. decrevit, conversos seu Fratres laicos ante 20. annum 57
non esse admittendos; sed in desuetudinem abiisse videtur hæc prohibitio. — Craisson, n⁰ 2658. — Nihilominus Generales sæpius institerunt, ne nimis juvenes admittantur.

Et quæ adesse in iis admittendis supponantur, habetur in P. 1. c. 2. §. 2: « quod ad animam spectat, bonæ conscientiæ, quietos, tractabiles, amatores virtutis ac perfectionis, propensos ad devotionem, qui domesticis et externis ædificationi sint, qui sorte Marthæ in Societate contenti, et ad ejus Institutum bene affecti, eam juvare ad Dei gloriam exoptent. » — §. 3: « quod ad externa attinet, honesta specie, sanitate, ætate, et viribus ad labores corporis, qui in Societate se offerunt, sufferendos præditi esse deberent; et qui habere vel certe habituri esse aliquando talentum aliquod ad eam juvandam viderentur. » — Ex. c. 6. §. 7: « interrogentur hujusmodi, ut de re propria suæ vocationis, an contenti et quieti sint futuri in obsequio Creatoris et Domini sui, in officiis ac ministeriis

abjectis et humilibus, ad auxilium domus et Societatis pertinentibus, cujuscunque rationis illa sint, parati ad vitam omnem in eis exigendam, sibi persuadendo, quod ea in re obsequium et laudem præstant suo Creatori et Domino, dum omnia propter divinum ipsius amorem et reverentiam agunt. » — Instr, 6. §. 4. — Reg. Coadj.

b. — Ad quæ attendendum sit in admittendis Scholasticis, habetur
58 in P. I. c. 2. §. 6: „quod ad intellectum attinet, doctrina sana vel aptitudine ad eam addiscendam, et in rebus agendis discretione, vel certe indole boni judicii ad eam acquirendam." — §. 7: „quod ad memoriam, aptitudine ad percipiendum et fideliter percepta retinendum." — §. 8: „quod ad voluntatem, ut universæ virtutis et perfectionis spiritualis studiosi sint; quieti, constantes, strenui in iis, quae ad divinum servitium aggrediuntur; quique zelum habeant salutis animarum, et ea de causa ad nostrum Institutum (quod ad illas juvandas et disponendas ad ultimi sui finis de manu Dei Creatoris nostri ac Domini consecutionem recta tendit) sint affecti." — „in exterioribis exoptanda est sermonis gratia, ad agendum cum proximis pernecessaria." — §. 10: „species honesta, quæ ædificationi esse solet iis, quibuscum agitur." — §. 11: „bona valetudo ac vires, quibus ferre possint Instituti nostri labores." — §. 12: „ætas, quæ ad ea, quæ dicta sunt, conveniat; quæ quidem, ut admittantur ad probationem, excedere debet decimum quartum annum; ut ad professionem vero, vigesimum quintum." — Videbimus postea, de requisita ætate per decursum temporis alia statuta fuisse. — §. 13: „dona externa nobilitatis, divitiarum, bonæ famæ, et similia, ut non satis sunt, si desint alia, ita, cum alia suppetent, hæc non erunt necessaria: quatenus tamen ad ædificationem faciunt, reddunt magis idoneos, ut admittantur, qui sine ipsis alioquin essent idonei propter dotes alias prædictas; in quibus quo magis præcelluerit, qui admitti cupit, eo magis erit ad hanc Societatem aptus ad Domini Dei nostri gloriam; quo vero minus excelluerit, eo minus erit idoneus. Quæ tamen mensura omnibus in rebus teneri debeat, unctio sancta divinæ sapientiæ eos docebit, qui id curæ ad ejus obsequium ac laudem uberiorem susceperunt." — Et hæc quidem de qualitatibus positivis.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUALITATES NEGATIVÆ IN ADMITTENDIS.

59 Ut quis idoneus censeatur ad ingrediendam Societatem, requiritur dein, ne sint in eo, qui admitti petit, quædam, quæ ingressum impe-

diant. Horum impedimentorum sunt duo genera: scilicet eorum, quæ faciunt ingressum invalidum, eo modo, ut vota postea forte emissa etiam invalida sint, nec faciant voventem religiosum; et eorum, quæ, quamvis hos effectus non habeant, tamen obstant, ne quis recipiatur; vel illicitam faciunt admissionem, nisi hi defectus ex altera parte donis potioribus compensentur vel superentur. Vocantur proin impedimenta vel essentialia vel secundaria. Dicamus pauca de origine impedimentorum in genere.

1. — Generatim quod sunt impedimenta ingrediendæ religionis, in 61
rerum natura fundatum est. Quivis enim vitæ status suam propriam naturam habet et formam, secundum quam se componere debet, qui eum tenere vult, et proin esse talis, ut obligationibus, quæ sunt statui propriæ, statisfacere possit. Quod idem est de statu religioso, ad quem subeundum incapax est is, in quo desunt tum quæ requiruntur lege naturæ, tum quæ lege positiva Ecclesiæ.

2. — Clarum dein est, præter hæc impedimenta generalia posse etiam a singulis religionibus ipsis alia impedimenta statui sibi particularia.

a. — Nam cum quævis religio sit societas in se consistens et independens, habet inde jus statuendi normam ab eo sequendam, qui vult se ipsi aggregare.

b. — Dein dum religio, recipiens aliquem in suum corpus, eum participem reddit communium suorum bonorum et beneficiorum, jure suo statuit conditiones, sub quibus ei hunc favorem tribuere vult, i. e. jure suo postulat, ut in admittendo quædam adsint, quædam absint, pro suo ipsius arbitrio.

c. — Porro homo omnino liber est in eligendo statu religioso vel non eligendo; quodsi igitur conditiones requisitæ ipsi non placent, abstineat ab ingressu, cum nemo eum cogat; vel adeat aliam religionem, in quam ingrediendi conditiones requisitæ magis ei arrident.

3. — Inerat igitur etiam Societati jus et potestas statuendi impedimenta sibi particularia; et cum hæc impedimenta ab ipsa statuta ipso facto fulciantur auctoritate Apostolica, habent vim legum universalium. Imo cum Societas statim ab initio a summis Pontificibus potiretur plena potestate legislativa, poterat fieri, ut per legitimam suam auctoritatem, in decursu temporum pro varietate rerum occurrentium, alia etiam impedimenta induceret convenientia. Quod revera fecit in impedimento originis, quod vocatur; et simul statuit Congregatio, quale esset hoc impedimentum, nimirum non substantiale quidem, attamen indispensabile. Nihil etiam obstat, quominus iterum idem agat, si sibi necessarium vel utile esse videatur.

Nota. — Ad melius intelligenda impedimenta essentialia, conducit conferre duo capita, in quibus de iis sermo instituitur, primum Ex. c. 2. et P. 1. c. 3. quorum alterum alterum explicat. Necesse est, stare ipsis terminis; sed in dubiis stricte interpretari et resolvere in favorem Societatis, pro qua tuenda præcise impedimenta in jus inducta sunt,

IMPEDIMENTA ESSENTIALIA.

61 1. — „Aliquando a gremio sanctæ Ecclesiæ abscessisse, fidem abnegando inter infideles; vel incidendo in errores contra eam in quibus reprobatus fuerit per publicam sententiam; vel se more schismaticorum ab Ecclesiæ unitate sejunxisse." P. 1. c. 3. §. 3. — „Recessisse a gremio sanctæ Ecclesiæ fidem abnegando, vel in errores contra ipsam sic incurrendo, ut damnatus ob aliquam propositionem hæreticam quis fuerit, vel ut suspectus hæresis per sententiam publicam declaratus; vel si infamis ob excommunicationem tanquam schismaticus, spreta auctoritate et providentia sanctæ matris Ecclesiæ, exstiterit. „Ex. c. 2. §. 1. — Cum is sit finis principalis Societatis, fidem catholicam conservare et diffundere, valde consonat, eum imprimis inhabilem censeri, ut fiat membrum hujus religionis, qui offenderit contra ipsam hanc fidem catholicam, et magis etiam eum, qui taliter agendo infamis factus sit. — Distinguimus in hoc impedimento quatuor membra, quorum unumquodque notam ejus dat.

a. — Apostasia a fide tunc pleno sensu adest, si quis intus ex animo fidei revera renuntiat, et hæc interna sensa correspondentibus signis vel verbis externis manifestat; i. e. signis vel verbis, quæ satis indicant, se nolle amplius esse de ecclesia Christi, ab ejusque gremio se recedere; ita ut videntes vel audientes de hac ejus voluntate dubitare non possint. Si utrumque hoc verificatur in homine, tunc proprie impedimentum incurritur. Attamen etiam tunc homo eo implicatur, dum solus externus modus loquendi vel agendi fidei abnegationem denotat, etsi interna fides non abjicitur. — Ita ex CC. 1635: „abnegasse exterius fidem in Japonia, est impedimentum." — CC. 1625: „abnegasse fidem saltem extrinsece serio, R. P. N. judicavit esse impedimentum." — Et revera nemo non concedit, in hac materia judicandum esse secundum ea, quæ externe prodeunt, quæ videntur vel audiuntur, cum de iis tantum possit haberi certitudo. Quodsi hæc certitudo de facto apostasiæ adest, eo ipso incurritur impedimentum, etsi res non deveniat ad judicem, et damnationem vel infamiam inducat. Nam cum in hoc primo membro impedimenti in textu nil harum conditionum additum sit (quod fit tamen in secundo membro), sequitur, ipsum incurri mero apostasiæ facto.

b. — Hæresis externata tum constituit impedimentum, si quis ob eam per sententiam publicam damnatus fuerit: quod in utroque textu habetur. Et requiritur insuper, ut damnatio facta sit ipsius personæ hæreticæ, non solum operum ab eo emissorum; nihil autem refert, sitne ipse contumax, necne. 62

Ex his colligere quis posset, hominem hæreticum, et uti talem magis minusve notorium, non esse implicatum hoc impedimento, modo ne sit judicio damnatus. Attamen dicitur in P. 1 c. 3. A: „si tamen error ejus publicus exstitisset, et quod in judicio conveniri posset timeretur, admitti non debet. Verum hoc judicium Præposito Generali relinquitur." — Cum in hoc loco dicatur „admitti non *debet*, non vero „admitti non *potest*," et cum præterea in tali casu res ad Generalem devolvenda sit, recte concluditur, admissionem non esse simpliciter impossibilem et proin non fieri impedimentum substantiale sive irritans, sed tantum secundarium sive impediens. Nihilominus etiam in hoc eventu aliunde potest adesse impedimentum substantiale, nimirum propter infamiam ob crimen enorme, uti est in secundo impedimento; quare etiam res committitur judicio Generalis.

c. — Qui est hæresis suspectus, eodem modo incurrit impedimentum, atque ipse hæreticus, i. e. si per sententiam publicam sit uti hæresis suspectus damnatus; potissimum propter crimen, quod secundum jus Ecclesiæ aliquem suspectum reddit. — Quodsi damnatus non est, habetur in Ex. c. 2. B: „quamdiu suspicio manet, eum non esse admittendum;" i. e. quamdiu suspicio hæc exstincta non est. Potest vero exstingui vel cessare duplici modo: — α, dum publice et sufficienter notum fit, hominem numquam opinionem erroneam contra fidem tenuisse, et patet tunc, impedimentum non adesse; — β, vel dum constat, hominem nunc revera liberum esse ab omni opinione hæretica, etsi de præterito suspicio maneat. Tunc utique non adest impedimentum, sed caute considerandum esset, an sit talis recipiendus. Hoc istis verbis: „quamdiu suspicio manet," satis innuitur; cum iis Superior clare admoneatur, rem non esse statim componendam, sed amplius prius ponderandam.

d. — Demum stringitur hoc impedimento schismaticus, propter infamiam, quam ipso facto excommunicationis annexæ incurrit, uti expressis verbis in textu habetur. Sufficit igitur publice constare, hominem ab unitate Ecclesiæ per schisma se separasse. 63

Nota. — Hæresis et schisma tum demum sunt impedimenta, quando sunt peccata particularia personæ, non autem generalia patriæ. — P. 1. c. 3. B. —

In hoc casu attendendum ad ordinationem Patris Claudii 21 Aprilis 1614, confirmatam a P. Mutio 18 Feb. 1618: « qui ex hæresi ad fidem catholicam conversi Societatem petunt, si petant ut Scholastici, nonnisi post quinquennium; si ut Coadjutores, nonnisi post triennium sunt admittendi. Si aliquis ante quinquennium satis videretur firmus et valde dignus, de eo monendus Generalis. »

64 2. — „Perpetrasse homicidium, vel esse propter enormia peccata infamem." P. 1. c. 3. §. 4. — „Homicidium aliquo tempore perpetrasse vel publice infamem propter enormia peccata fuisse." Ex. c. 2 §. 2. — Duo igitur in hoc impedimento casus sunt distinguendi:

a. — Homicidium, quod hic intelligitur esse homicidium culpabile, non vero quod est sine culpa patratum, v. g. in defensione justa necessaria, vel in bello justo, nam sic in jure homicidium simpliciter pro culpabili accipitur. Quodsi culpa in homicidio patrato adest, sufficit pro impedimento incurrendo, quod etiam indirecte tantum sit patratum, i. e. a jubente, mandante, sicuti habetur in P. 1. c. 3. C: „qui cum deliberatione homicidium perpetrari jussisset, si effectus est consecutus, quamvis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus." Quod autem requiritur, ut sit culpabile, eruitur ex Ex. c. 2. §. 6. ubi supponitur adesse nota hujus defectus; nota vero non est sine præcedenti culpa — Sufficit autem, ut constet de mero facto homicidii, abstractione facta ab hoc, an si notum necne; cum in hoc primo membro non sit sermo de infamia annexa, sed tantum in secundo membro. — De homicidio vero cusuali, sed peccaminoso, scilicet secuto præter intentionem ex percussione, cum constet ex testimoniis PP. Polanci et Natalis, quin et ex litteris S. Patris Nostri ad P. Salmeronem 7 Octobris 1553, eundem sanctum Fundatorem declarasse, non esse a se habitum ut impedimentum excludens a Societate, seu essentiale. Cong. 11. Act. 31, unanimi consensu decrevit, standum omnino esse huic declarationi sancti P. Ignatii, ut certe optimi legum a se conditarum interpretis. Voluit tamen id esse impedimentum secundarium, in quo solus Præpositus seu Vicerius Generalis dispensare posset, ita ut admissio sine ejus dispensatione nulla sit. — Sic in Epit. Inst. P. 1. n. 8.

b. — Publica infamia propter enormia crimina. Qualia vero sint vel non sint hujusmodi enormia peccata, judicat Generalis. — P. 1. c. 3. D. — Nec ubique excludit infamia; „si procul esset ab eo loco (infamatus), tamque serio resipuisset, ut de eo nihil timendum videretur, posset in Domino admitti." Ibid.

65 *Nota.* — De hoc impedimento sunt plura Responsa, ad resolvendos casus ocurrentes utilia: «qui procurat abortum, habet impedimentum.» — CC. 1622.

— »Cum novitio, qui procuravit duos abortus ante ingressum, sed dubitavit, an fœtus esset animatus, dispensatum est tamquam dubio.» — Suadens abortum non est judicatus habere impedimentum essentiale; ideoque jussus est retineri in Societate novitius qui suaserat. — 1655. Mutius Venetæ 1616. — «Censendi sunt habere inpedimentum, qui communicato consilio ita conati sunt inimicum vel ensibus vel explodendo occidere, ut unum tamen dumtaxat vulnus acceperit, ex quo mortuus est; tum quia quivis censetur sua assistentia, animatione et cooperatione concurrisse, tum quia in dubio Generalis non debet esse facilis, potius scilicet resolvendo pro interpretatione Constitutionum, quam privati hominis.« — 16 Aug. 1636.

3. — „Assumpsisse religionis habitum, vel Eremitam cum vestitu 66
monachali fuisse." P. 1. c. 3. §. 5. — „Habitum sumpsisse alicujus religionis Fratrum vel Clericorum vitam aliquamdiu in obedientia cum eis agendo, sive emissa sive non emissa professione; vel Eremitam cum vestibus monachalibus fuisse." Ex. c. 2. §. 3.

a. — Intelligitur ordo sive religio stricto sensu, i. e. si sit religio vota solemnia habens et proin in Ecclesia ut ordo habitus. Sic expressis verbis dicitur in C. 1. D. 129: sæculares, qui emittunt vota in ordine militari vocato Christi, ad Societatem admitti posse; contra in C. 13. D. 7: fratres capellanos ordinis S. Joannis Hierosolymitani admitti non posse, cum sint clerici religiosi.

Si quis portaverit vestem novæ cujusdam Congregationis, quales nostris temporibus multæ exortæ sunt et adhuc oriuntur, ex quodam Responso Generalis disquirendum est, an sit revera ordo in sensu canonico, cum nomen per se non satis indicet naturam Congregationis.

Nota. — Pater Beckx in Marylandiam, quoad juvenem, qui per aliquot hebdomadas apud Fratres Doctrinæ Christianæ degebat, 21 Oct. 1869, »imprimis notandum est, me cum iis, qui hoc impedimento laborant, dispensare non posse, eo quod hoc impedimemtum non solum essentiale sit, ita ut vota cum illo facta eo quod irrita reddat, sed etiam indispensabile. Unde si in tali casu graves adessent causae, ad. S. Pontificem recurrendum esset; et quidem non a Nobis, sed ab eo qui petit. Porro probabilius est, Congregationes tales, quae et certam regulam et vota etsi simplicia habent, Constitutione nostra quae impedimentum statuit comprehendi. Huic sententiae eo magis inhaerendum nobis est, quod Societas illam Constitutionem, cum dubius casus occurrebat, semper sensu magis stricto interpretata fuerit. Praeterea sequendus est a nobis spiritus, non solum littera Constitutionum. Porro certe in iis, qui ejusmodi Institutum professi sunt, omnes illæ rationes, propter quas S. Ignatius impedimentum statuit, reperiuntur. Quare etiamsi certum esset, ejusmodi Patres ex nostra regula non comprehendi, eos tamen in Societatem admittere non debemus. — Attamen responsum est (1858), non contrahi inpedimentum per ingressum in Congregationem Missionum (Lazaristarum): nam ibi vota non recipiuntur nomine Ecclesiae, sed Congregationis, et exinde remanere actus mere privatos. — Eodem sensu scripsit R. P. Martin ad. P. Haan Provincialem.

Porro non est sub impedimento, qui aliquamdiu ex devotione portaverit vestem sancti Francisci, Dominici, etc., quod prioribus temporibus plurimi faciebant. — Resp. Aquitan. 1606: „non est visum universaliter definire, an pueri, qui a parentibus traduntur in monasteria anno ætatis 9°, 10°, etc., et ante professionem revocantur, eo quod nolint esse monachi, habeant impedimentum essentiale; sed particulares casus proponentur Generali." Qui parentis sui voluntate habitum monachalem in monasterio, etiam longiori tempore gestaverit, nullo vitae monasticae consilio, sed ut inter monachos litteris et virtute melius informaretur, non contraxit impedimentum.

b. — Quoad durationem temporis, per quod portaverit vestem religionis alicujus, sufficit unus dies ad efficiendum impedimentum. Attamen supponitur adfuisse intentionem, ut gestando vestem faciat se religiosum. — P. 1. c. 3. E: „non solum si professionem emisisset, sed si vel unum diem habitum religionis gestasset, admitti propter rationes in Examine dictas non potest. Intelligendum est autum, quod habitum eo animo, ut sit religiosus, non propter aliam causam, quæ posset accidere, induisset." — Resp. 12 Oct. 1612: „gestasse habitum religionis una dumtaxat nocte, est impedimentum, quia iste fuit sensus Sancti Patris Nostri." — CC. 1638: „seu per quatuordecim horas, animo ut fiat religiosus." — Austriac. 1646: „admissus in ordinem monasticum et manens in monasterio per integram noctem et partem diei insequentis, cum animo perseverandi mutansque nomen, si tamen, antequam suscipit habitum, mutet mentem, non habet essentiale impedimentum respectu Societatis."

67 *c.* — Rationes statuendi hujusmodi impedimentum, leguntur in Ex. c. 2. §. 6: — α, „quod nobis in Domino videatur, eum, qui bonus Christianus sit, debere firmum esse in sua prima vocatione..., in qua scilicet quis, universo sæculo relicto, se totum dedicat majori servitio et gloriæ sui Creatoris et Domini;" — β, ne in Societate periclitetur uniformitas et unio, si, qui in alia religione jam induerit ejus consuetudines formamque sentiendi et agendi, cum iisdem inter Nostros versetur, sed „sint unius coloris et similitudinis omnes"; — γ, „quod major est futura ædificatio proximorum." — Ædificantur autem proximi, tum religiosi ipsi, tum sæculares: primi cum vident, nos, nedum ipsorum socios alliciamus, potius eos rejicere tanquam inhabiles ad Societatem ingrediendam; alteri dum intelligunt, Societatem in recipiendis novitiis procedere cum maxima, qua fieri potest, prudentia et diligentia.

Ut clariora fiant quæ dicta sunt de hoc impedimento, addamus quædam Responsa Generalium: — 1680 „qui habitum Franciscanorum gestavit

ex devotione vel pœnitentia, si non ulterius progressus est, non habendus scrupulus; non est enim habitus religionis." — 1624: „dubitatur, num sit impedimentum, gestasse habitum Eremitarum, maxime sine dependentia a religione. Tutius est judicare pro religione." — 7 April. 1641: „non habet impedimentum ille juvenis, qui habitum ab Eremita sumptum paucis diebus gestavit; cum teste Patre Natali Sanctus Pater Noster de iis Eremitis se hoc impedimentum intellexisse dixerit, qui haberent dependentiam ab aliqua religione, et habitum gestassent monachalem." — Ergo hoc Responso posteriore standum est.

4. — „Matrimonii vinculo vel servitutis legitimæ ligatum esse." 68
P. 1. c. 3. §. 6. — Et additur in Decl. F: „quando hoc vinculum solutum esset, quod a domino, vel a conjuge facultas concederetur, observatis aliis circumstantiis, quæ juxta sanam doctrinam et usum sanctæ Ecclesiæ solent observari, impedimentum esse desinit." — Ex. 2. §. 4: „Vinculo matrimonii consummati, vel servitutis legitimæ ligatum esse."

a. — In admittendo ad Societatem homine, qui matrimonio junctus est, valent ea, quæ in jure communi de hac re statuuntur. Distunguamus igitur:

α. — Si matrimonium jam est consummatum, non potest ingredi maritus religionem, nisi conjux omnino libere consentiat; imo tenetur conjux vel ipsa etiam religionem ingredi, si sit juvenis; vel saltem, si sit jam ætate satis provecta, et periculum incontinentiæ absit, ex arbitrio Episcopi, votum perpetuæ castitatis emittere.

β. — Stante matrimonio rato nondum consummato, potest maritus inter bimestre ingredi religionem et postea facere professionem solemnem, qua facta matrimonii vinculum solvitur et conjux libera fit ad contrahendum cum alio. Cum autem nostra prima vota non sint solemnia neque hunc effectum habeant, sequitur, non posse stante matrimonio etiam nondum consummato, maritum in Societatem admitti, nisi Generalis habeat intentionem, eum admittendi, absoluto novitiatu, statim ad professionem solemnem; qua facta conjux libera est.

γ. — Sine hac intentione Generalis si quem stante matrimonio rato nondum consummato admitteret in Societatem, ut consueto modo, peracto biennio novitiatus, simplicia vota religionis emitteret, gravissima injuria esset contra remanentem conjugem atque grave peccatum; cum non liceat ingredi vitæ statum vel ad eum admittere, in quo impossibilis fit usus matrimonii non soluto vinculo, ad quem conjux jus habet.

Talis ergo non potest recipi, nisi sub conditionibus supra in „litt. *a*" recensitis.

b. — Status servitutis impedit ingressum, i. e. si quis revera adhuc servitute tenetur, non vero si prius aliquando servus fuit, nunc vero liber est, sive dimissione, sive redemptione. In hoc impedimento jus nostrum speciale discrepat a jure communi, ex quo vinculum servitutis non obstat, quominus quis valide in religionem recipiatur.

69 5. — „Capitis infirmitatem pati, unde accidat, obscurari et parum sanum esse judicium; vel si notabilem habeat ad illud dispositionem. P. 1. c. 3 §. 7. — „Infirmitatem pati unde obscurari vel parum sanum judicium ei reddi soleat, vel dispositionem notabilem ad ejusmodi infirmitatem habere." Ex. c. 2. §. 5.

Ratio hujus impedimenti statuendi in eo est, quod talis homo non potest putari aliquando idoneus futurus ad labores et munera Societatis adeunda; tum in eo, quod admissus in Societatem, uti incapax, sibi ipse esset oneri et incommodo. Unde etiam est, ut in jure communi hic „defectus animi" sit irregularitas, prohibens suscipere ordinem vel susceptum exercere.

Coroll 1. — Cum hæc quinque impedimenta essentialia ingressum in Societatem invalidum reddant, quæritur, qua ratione id efficiant, sive qui sint horum impedimentorum effectus legales.

70 *a.* — Hæc impedimenta hominem arcent ab ingredienda Societate tanquam incapacem, qui ei incorporetur. — P. 1. c. 3. §. 2: „eos, qui vellent ingredi, omnino excludunt, qua rationes efficaces nos ad id in Domino movent." Et ea de causa excludunt, quia hominem reddunt inhabilem. — C. 7. D. 42: „inhabiles atque incapaces ipso facto ad Societatis ingressum omnes eos ab illa haberi et esse, qui aliquo talium impedimentorum tenentur"

b. — Porro faciunt ipsam admissionem, si forte fiat, v. g. ex ignorantia stantis impedimenti, invalidam et nullam. — Ex. c. 2 §. 6: „cum quorum (impedimentorum) aliquo nemo in Societatem admitti potest." — His verbis non solum Candidatus incapax declaratur qui recipiatur, sed adimitur etiam cuivis alteri facultas et capacitas eum rite admittendi. Nimirum admittitur homo in religionem vi quasi contractus bilateralis, quem faciunt tum admittendus, tum admittens in Societatem. Ex parte vero hujus admittentis recte supponitur, ipsum nec velle nec posse in hoc contractu obligari, nisi ex parte alterius

omnia sint, sicut esse debent; quæ si non sint, deficit admittentis intentio, et ruit omnis contractus, nec fit prorsus admissio. Sed etiam per se jure prositivo, abstrahendo ab omni ratione contractus, admissio cum impedimento essentiali est nulla; non enim habet Societas ab Ecclesia potestatem, tales admittendi.

c. — Consequenter dein hæc impedimenta invalidant subsequentia vota, si forte fiunt. — C. 7 D. 43: „impedimenta Societatis essentialia esse irritantia vota simplicia et quamcunque sequentem professionem. Admittitur nimirum Candidatus eo tantum fine, ut rite sit novitius, qui tempore suo emittat vota Societatis eique incorporetur. Quodsi jam admissio invalida est, ex defectu consensus necessarii ex parte Societatis, eo magis invalida sunt ea omnia, propter quæ ista admissio facta est, i. e. emissio votorum et cooptatio in corpus Societatis, ad quam consentire Societas eo minus existimanda est.

d. — Sed quæritur: nonne is, qui impedimento substantiali irretitus ex ignorantia admittitur posteaque vota religionis emittit, ex intentione quam habet, vovendi obligandique se DEO per vota, obligatur ad ea observanda, in quantum fieri possit, quamvis extra religionem, v. g. castitatem? — Negatur; nam cum emiserit vota non simpliciter et absolute, sed in ordine ad ingrediendam religionem faciendamque ei sui traditionem, obligatur tantum hac conditione, si revera per vota fiat religiosus Societatique incorporetur. Qnod cum non vereficetur, non consequuntur ea, quæ in sola hac suppositione fundantur, cum ædificium ruat, subtracto fundamento.

Coroll. 2. — Dispensandi in his impedimentis essentialibus facultas 71
non est apud Generalem, vel Societatem, sed apud solum Pontificem ejusque Commissarium. P. 1 c 3. G;„si cerneretur aliquod ex his impedimentis in homine, qui talibus DEI donis ornatus esset, ut pro certo haberetur, Societatem ad DEI et Domini nostri obsequium ejus opera admodum juvari posse, si ille summo Pontifici, vel ejus nuntio, vel summo Poenitentiario supplicaret sibi concedi, ut in Societatem non obstantibus Constitutionibus admitti posset, Præposito ejus Generali non repugnante, posset idem Præpositus consensum ad eum admittendum præstare; dum tamen ostium non multis, imo nulli, qui raris dotibus non sit præditus, aperiatur." — Itaque dispensatio impetrata nil facit ad ipsam admissionem, quæ etiam tunc tota est in arbitrio Societatis sive Generalis.

IMPEDIMENTUM ORIGINIS.

72 Hoc impedimentum inter essentialia et secundaria medium locum tenet, quia commune habet cum prioribus, ut sit indispensabile in Societate, cum alteris, ut non faciat admissionem invalidam Nec fit sermo de eo in ipsis Constitutionibus, sed a quinta et sexta Congregatione introductum et juridice circumscriptum est. — C. 5. D. 52: „nullus omnino ex hujusmodi hominibus, qui ex Hebræorum aut Saracenorum genere descendunt, deinceps in Societatem recipiatur. Quodsi eorum quispiam errore aliquo admissus fuerit, cum primum de hoc impedimento constiterit, quocunque tempore ante professionem id detegatur, admonito prius Præposito Generali et expectato ejus responso, dimittatur. De qua re omnes ante admissionem perspicue admonendi sunt." — Et cum in sequenti Decreto 53. intercessum esset, Congregatio magna animorum et sententiarum consensione intercessiones rejecit, illudque ipsum Decretum 52. hoc novo Decreto stabilivit; atque per omnia integre incorrupteque in Societate servandum esse, serio ac graviter mandavit. — In sequenti Congregatione 6. dein, quæ pertinerent ad hoc impedimentum, accuratius definita sunt C. 6. D. 28: „decrevit Congregatio per modum sive declarationis sive moderationis, eam in posterum praxim esse adhibendam, ut exclusis iis, qui Morisci in Hispania vocantur, vel aliis quibuscunque, qui Christiani quasi specietenus haberentur (de his enim non agitur), itemque iis, qui hoc nomine generationis Hebræorum seu Saracenorum infames habentur, qui etiam juxta Constitutiones titulo infamiæ admitti non possunt, in ceteris, qui alioquin honestæ familiæ essent, aut vulgo nobiles vel boni nominis haberentur, informationes fierent usque ad quintum gradum inclusive... sed probationes certæ et fide dignæ habendæ erunt." — Excerptum e manuscripto Bullario Soc. JESU, pag. 432 (apud P. Gen): „quum de filio matris hebrææ, patre, etc., non hebræo, dubitaretur, an is censendus esset impedimentum originis contraxisse, Sanctissimus Dominus Leo PP. XIII., postulante R. P. Antonio M. Anderledy, Vicario Generali Societatis JESU, in audientia habita die 27 Januarii anno 1886, vivæ vocis oraculo declarare dignatus est: ejusmodi filios censendos esse impedimento originis liberos; si qua vero sanatione opus esset hac in re, eam se etiam benigne concedere."

Ex his igitur statuitur:

1. — Initio, in Congregatione quinta, definitum fuit, impedimentum in eo esse, ut omnes, qui originem ducerent ex Hebræis vel Saracenis,

a Societate excluderentur. Sexta vero Congregatio restrinxit impedimentum usque ad quintum gradum inclusive, juxta consuetum in jure modum numerandi hos gradus. Ultra hos vero gradus non esse aut censendum impedimentum, aut longius inquirendum. De Tartaris autem et Mahumedanis aliis, sive in Polonia sive alibi, committitur R. P. N. Generali, ut possit dispensare intra prædictos hos gradus, cum cesset in his ratio infamiæ et dedecoris. — Decrevit dein, per modum declarationis sive moderationis, ut exclusi habeantur ii, qui Morisci in Hispania vocantur, vel alii, quicunque Christiani quasi specie tenus habentur; itemque qui hoc nomine generationis Hebræorum vel Saracenorum infames habentur: qui etiam juxta Constitutiones titulo infamiæ admitti non possunt. Additum est, informationes fieri non posse, nisi de iis, qui alioquin honestæ familiæ essent, aut vulgo nobiles vel boni nominis haberentur.

2. — Jam in Congregatione quinta qualitas hujus impedimenti definitur. — C. 5. D. 52: „declaravit et statuit, hoc decretum non essentialis, sed indispensabilis impedimenti vim obtinere, sic scilicet, ut nullus omnino Superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis, in eo dispensare possit; atque ita deinceps in Societate integre inviolateque servandum esse." — Cum ergo hoc impedimentum non sit essentiale, subsequentia vota si forte fierent, non redderet irrita vel invalida per se.

3. — Rationes, quibus mota Societas hoc impedimentum statuit, 73
recensentur in ipsa C. 5. D. 52:

a. — Societas eo efficacius operari potest, quo Nostri longius absunt ab iis hominum conditionibus, quæ aliis offendiculo esse possunt; jam vero hoc impedimento irretiti homines plurimum et offendiculi et detrimenti, quemadmodum diuturna experientia compertum est, ordinarie in Societatem invehere consueverunt.

b. — Dein experientia constat, usque ad nostra tempora hujus generis homines natura magis inconstantes esse; ita ut sæpissime de egressu vel dimissione eorum postea timendum sit; quod est Societati valde injuriosum.

4. — Uti jam dictum est, hoc impedimentum non invenitur in Constitutionibus sancti Ignatii, sed introductum postea fuit ab ipsa Societate. Nam cum haberet Societas ab initio plenam potestatem legislativam a Pontifice tributam, potuit novas leges et constitutiones condere, quæ eo ipso tanquam ab Apostolica Sede probatæ essent. Potuit igitur etiam strictiores, quam jus universale statuit, conditiones ponere quoad ingressum; sicuti etiam præter jus commune biennium novitiatus statuit pro uno anno.

IMPEDIMENTA SECUNDARIA.

74 1. — Præter ea, quæ recensita sunt impedimenta essentialia, sive irritantia admissionem, sunt alia, quæ hunc effectum per se non habent; efficiunt tamen, ut quis sive difficilius admittatur, sive etiam plane excludatur.

a. — Ita in P. 1. c. 3. §. 8: „cetera impedimenta, quamvis singula a Societate non excludunt, reddunt tamen minus idoneum eum, qui admitti exoptat, et posset tanti momenti esse defectus, ut e servitio DEI non esset futurum, cum eo quemquam admitti." — Non reddunt igitur hæc impedimenta hominem plane inhabilem, nec irritam faciunt admissionem et subsequentia vota; potest tamen jam unum ex iis sufficere, ut quis non admittatur.

b. — Ergo judicio prudenti ejus, qui habet facultatem admittendi, committitur discernere, num defectus in homine existens aliis ejus bonis donis compensetur vel superetur. — Ita decl. H: „sed quia accidere posset, aliquem hujusmodi defectum aliis præclaris DEI donis compensari, ac in Domino tolerandum esse judicaretur, id discernendum prudentiæ ejus, qui admittendi facultatem habet, relinquitur. Et ejusdem erit, in hujusmodi casibus dispensare, habita nihilominus ratione judicii Superioris, ad quem referendum erit, quidquid difficultatem ingereret; et quod statuerit, faciendum est."

75 2. — Ejusmodi igitur impedimenta esse possunt vel in animo, vel in corpore, vel in rebus externis.

a. — In animo imprimis veniunt defectus voluntatis, sed etiam suo modo intellectus. — P. 1. c. 3. §. 9: „passiones vel affectus, qui domari non posse videantur; vel peccatorum habitus, de quibus non magna emendatio speretur [1]." — §. 10: „intentio minus recta quam par esset ad religionis ingressum ut quæ cum humano aliquo fine

1. In epist. de custod. castit. 12 Martii 1861 R. P. Beckx hæc habet: »vocationi nostræ idonei non sunt putandi, qui ad carnis vitia ipsa natura et indole procliviores sunt. Ii vero, qui iis vitiis aliquando implicati erant, etsi, habita naturalis indolis et educationis ratione, spem solidæ et constantis emendationis nunc forte præbere videantur, non sunt tamen admittendi, nisi propositum vitæ melioris re et opere jam probaverint, ac notabili temporis spatio extra Societatem ab omni labe purgati vixerint. Qui autem jam Sacerdotes huic vitio inhærebant, etiamsi ab aliquo tempore relapsi non sint, et emendati videri possint, nullo modo admitti debent.»

sit admixta." — §. 11.: „inconstantia vel remissio animi notabilis, ex qua qui de ingressu agit, parum utilis futurus credatur ad Societatis munera obeunda." — §. 12: „indiscretæ devotiones, quæ in causa esse solent, ut aliquis in illusiones et non exigui momenti errores incidat."

Ex parte intellectus — §. 13: „litterarum ignorantia, vel ingenii aut memoriæ ad eas addiscendas, vel linguæ ad explicandum defectus, in illis qui præ se ferunt intentionem vel desiderium ulterius progediendi, quam solent Coadjutores temporales." — §. 14: „judicii defectus, vel notabilis in proprio sensu obduratio, quæ omnibus Congregationibus multum solet facessere negotii."

b. — Etiam corporis defectus admissionem vel impedire, vel difficiliorem reddere possunt: tum quia ædificationi proximorum obesse, tum quia irregularitatem inducere possunt. — Ex. c. 3. §. 8: „interrogetur, num habuerit vel habeat morbum aliquem occultum vel manifestum, et qualem; eum speciatim interrogando, num vexationem aliquam stomachi vel capitis, vel quodvis aliud impedimentum naturale seu defectum in aliqua sui parte patiatur. Et... quoad fieri potest, inspiciatur." — P. 1. c. 3. §. 15: „in exteriore homine defectus in integritate corporis, morbus, debilitas, vel notabilis deformitas." — Decl. I: „animadvertendum est, eos, qui deformitates vel defectus insignes habent, ut gibbos vel alia quæpiam monstrosa, sive sic nati fuerint, sive ex aliqua externa causa, ut percussione et similibus id accideret, ad Societatem nostram non esse idoneos; partim quod res hujusmodi ad sacerdotium obstare solent; partim quod ad proximorum ædificationem, quibuscum ex Instituti nostri ratione versamur, minime juvant; nisi, ut superius dictum est, aliis eximiis virtutibus ac donis DEI compensarentur; cum quibus hujusmodi defectus corporis potius ad augmentum, quam ad diminutionem ædificationis facturi viderentur."

c. — Obstare possunt ingressui religionis externæ quoque obligati- 76
ones, quibus satisfieri justitia jubet.— §. 15: „æs alienum vel civiles obligationes." — Et in Decl. L: „de ære alieno diligenter consideretur, ne inde offendiculi vel perturbationis occasio oriatur; præsertim in obligationibus civilibus, de quibus jura disponunt, præter rationem, quæ habenda est ædificationis ([1])."

---

1. De ære alieno hæc tenenda sunt principia: — α, si quis non certæ personæ debeat, potest ingredi quia bona tunc expenduntur in causam piam, scl. religionem. — β, si non habeat, unde solvat, nec speret, se acquisiturum, potest ingredi, facta creditoribus cessione suorum. — γ, si speret se breviter acquisiturum,

d. — Quoad ætatem, jam supra dictum est, esse invalidam admissionem factam ante annum vitæ quintum decimum expletum, ex jure communi; sed quæ liceant Societati ex indultis Apostolicis, postea recensebuntur. n° 156. — Attamen etiam ætas nimis producta obstare potest ingressioni Societatis, quamvis terminus exclusivus statutus non sit. In hac re quæ de Generali dicta sunt in P. 9 c. 2. B., facile etiam aliis applicantur: „et sic videtur ætas valde senilis non convenire, quæ ad labores et curas hujus officii idonea esse non solet. „Convenit igitur, ut causa aliqua oblata, ad Generalem recurratur.

77 3. — Præter hæc generalia principia tenenda in admissione eorum, qui laborant aliquo impedimento secundario, recensebimus nonnullos casus vel frequentius occurrentes, vel a Societate accuratius ponderandos.

a. — Propter difficultates facilius orituras in iis, qui in Hispania jure majoratus gaudent, recurrendum est ad Generalem, si agatur de eorum admissione. — Statuit C. 5. D. 18: „ne quis jure illo majoratus gaudens in Hispania, sine facultate Patris Generalis, ad Societatem recipiatur, et is sit iis donis ornatus, ut spem magnam præbeat, se post biennium probationis fore talem, qualem nostræ Constitutiones requirunt, ut ad professionem trium votorum admitti queat, ad quam sine voluntate Patris Generalis promoveri non poterit. Ad professionem autem intelligitur admittendus, nisi qualitas majoratus ejusmodi fuerit, ut promotio ad sacrum ordinem firmitati illius abdicationis satis sit. Tunc enim non professio, sed ordinatio procuranda erit." — Ratio jam innuitur in ipso textu; nimirum ut jura civilia, quibus gaudet admittendus, mox et plene extincta in ipso, ad alium transferri possint, qui est proximus, ad bonum familiæ. Et patet, eodem modo procedendum esse in similibus eventibus aliquando etiam in aliis regionibus enascentibus.

78 *b.* — De iis, qui prius in hæresi erant, definivit Pater Claudius 21 Aprilis 1614, quod Pater Mutius confirmavit 18 Feb. 1618: „qui ex hæresi ad fidem catholicam conversi Societatem petunt, si petunt ut Scholastici, nonnisi post quinquennium, si ut Coadjutores, nonnisi post triennium sunt admittendi. Si aliquis ante quinquennium satis videretur firmus, et valde dignus, de eo monendus Generalis."

79 *c.* — Petentes ex voto, ut ingrediantur Societatem, suspecti esse

---

unde solvat, debet differre. — δ, si prævideat, non se nisi post longum tempus habiturum, duplex sententia est: altera licere, facta cessione suorum, quæ habet, altera negans. — ε, si habens debita illicite ingressus sit, tamen valet professio sequens.

debent, quia compertum est, qui religione tantum voti adducti postulent ingressum Societatis, nec se alioquin pronos sentiant ad vitam religosam, raro perseverare, sibique et aliis oneri esse, ut scribit Claudius 10 Febr. 1596 ad Patrem Oliverium, cui suadet, ut in quodam, qui ex voto petebat Societatem, cujus voti tamen illum tædebat, „curet potius dispensationem". — Sapientissime sane!

d. — De consensu parentum referamus quædam historice: quoniam 80
experta Societas fuit, plus fere invidiæ atque incommodi existere, quum filii sine consensu parentum admitterentur, ideo Sanctus Pater Noster jam 3 Martii 1554 per totam Societatem sub præcepto obedientiæ vetuit, ne reciperentur nostri studiosi ad Societatem sine consensu parentum aut tutorum. Etsi enim alioquin esset bonum, inducere ad hoc, tamen id in tali casu non est visum convenire, propter majus DEI obsequium et commune bonum. — De iis, qui discipuli nostri non sunt, habemus item mentem Sancti Patris Nostri, anno 1553 explicatam his verbis: „ut nostri Scholastici admitti possent ad Societatem, parentum consensus requirebatur; si tamen non essent nostri Scholastici, non existimabatur necessarius." — Ceterum etiam in admittendis Scholasticis videtur primo jam sæculo remissum nonnihil fuisse de rigore præcepti, quod diximus a Patre Nostro latum. Scribit Claudius 1584: „in suscipiendis filiis magnatum et eorum, qui multum obesse possunt Societati, habenda ratio eorum offensionis, non solum justæ, sed etiam injustæ." Attamen idem Claudius scribit 1608: „non expedit, neminem sine consensu parentum admittere, ne qui vocationis suæ periculo exponantur." — Cap. Œtting. pag. 9. seqq.

e. — De defectu legitimorum natalium exstat Resp. Germ. 18 Jan. 81
1592: „Ubi defectus legitimorum natalium tanti fit, ut qui eo laborant, nec ad alia officia minus honorata admittantur, qui tales sunt, non sunt admittendi in iis locis, nisi cum speciali facultate Patris Generalis, in aliquo particularibus DEI donis instructo."

f. — Possunt admitti in religionem clerici, etiam curam animarum 82
habentes, absque licentia Episcopi. Sic summus Pontifex Benedictus XIV. in Brevi „Ex quo" 14 Jan. 1747: „quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, est liber nostra auctoritate." — Utique valet hoc de ingredienda religione proprie dicta; num de Congregationibus, controvertitur.

Disputatur, utrum clerici saltem petere licentiam Episcopi debeant; sed quidquid est de hac quæstione, nemo in dubium revocat, teneri clericum de suo in religionem ingressu certiorem Episcopum facere, ut is vacanti suo muneri alium substituere possit, præsertim si exerceat

curam animarum — Insuper si quando Ecclesia grave damnum pateretur ex transitu clerici ad religionem, Episcopus posset illum repetere, præsertim si exerceret curam animarum. Ita idem Papa in eodem Brevi.

Attamen, inquit Bouix (tom. 1, pag. 350-352), clericus, qui se adstrinxit ad serviendum diœcesi per aliquot annorum spatium, nequit religionem ingredi, antequam elapsum fuerit tempus præfixum; quia religiosum statum amplecti est tantum de consilio, at de præcepto est, ut solvantur debita. — Sed inde non potest rigorose concludi, religionem non posse ingredi eos clericos, qui gubernii sumptibus aut piorum fundatorum ad sacerdotium fuerint evecti. Intentio enim donatorum videtur esse generatim, ut provideatur major clericorum numerus. Intentus autem ille scopus obtinetur, etiamsi ex illis juvenibus nonnullos non sæculari, sed regulari clero nomen dare contingat. Regularis enim clerus non in minorem utilitatem Ecclesiæ cedit, quam sæcularis.

Nota. — Iis qui titulo Missionum sunt ordinati, itemque alumni Collegii Urbani de Propaganda Fide, aliorumque Collegiorum Missionum, in quibus juramentum emittitur Religionem non ingrediendi, admitti non possunt absque speciali licentia Apostolicæ Sedis aut Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. — S. Congr. de Prop. Fide 27 Aprilis 1871. — Comp. Priv. n⁰ 426.

83 *g.* — Auctoritate summi Pontificis Pii IX. statutum est 25 Jan. 1848, ne quis possit in religiosis Ordinibus et Congregationibus etiam ad habitum admitti, absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum Ordinarii loci, in quo postulans ultra annum moratus est.

„Ordinarii", inquit, „in præfatis litteris testimonialibus, postquam diligenter inquisierint, etiam per secretas informationes, de postulantis qualitatibus, referre debent de ejus natalibus, ætate, moribus, vitæ fama, conditione; an sit inquisitus, aliqua censura irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis obnoxius. Et sciant Ordinarii, eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis unquam liberum esse, hujusmodi testimoniales litteras denegare." — Postea contra regulares hoc decretum non servantes statuitur pœna privationis officiorum, vocisque activæ, atque inhabilitatis ad alia officia in posterum obtinenda. — Cfr. Craisson, 2620.

Attamen ad litteras supplices R. P. Roothaan S. Cong. Episc. Regul. pro Societate Jesu indulsit pro petita derogatione hujus Decreti, in perpetuum Pius IX. 28 Jan. 1850. — Nititur autem tum supplicatio Generalis, tum dispensatio Pontificis in eo, ut præscripta nostri Instituti circa admissionem omnino serventur.

CAPUT TERTIUM.

De modo admittendi.

POSTQUAM actum est de admittente ejusque facultate, itemque de admittendo ejusque necessariis qualitatibus, restat dicere de modo admissionis, sive de ratione, qua tum admittens, tum admittendus in hoc negotio agere debeant, ut res tanti momenti omnino secundum voluntatem Dei procedat.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ADMITTENTE.

Is qui admittendi habet facultatem, supponitur præterea insignitus esse sincero et bene ordinato studio efficiendi bonum ex omni parte, simulque in agendo prudentia et discretione. — P. 1. c. 3. §. 16: „qui facultatem habet admittendi, videat, ne caritatis particularis affectus universali noceat, quæ ut magis ad gloriam et honorem CHRISTI Domini facit, ita semper præferri debet."

1. — Prudentia in admittente exigit, ut Candidatum omni ex parte penitus cognoscere studeat, ne ex ignorantia in falsum de eo judicium abripiatur. Unde dicitur passim: „sint valde noti" — „plenius cognoscantur" — „majori cum luce procedatur." — Et recte quidem; quia alias subitur periculum, vel lædendæ justitiæ et pietatis erga Societatem, vel caritatis erga postulantem.

2. — Ut igitur prudenter procedatur in hoc negotio, necessarium 84
est, ut postulans rite examinetur, et aliquando etiam practice probetur.

a. — Examen debet fieri; et huc præcise spectat ea Pars Constitutionum, quæ nomine Examinis Generalis venit in initio libri. — Ex. c. 1. A: „hoc examen, ut plurimum, omnibus proponi solet, postquam in domum primæ probationis ingrediuntur." — Patet utique, informatorem sive examinatorem, si habeat coram se petentem satis sibi aliunde jam notum, posse supersedere multis interrogationibus alias necessariis vel convenientibus.

Res vero de quibus omnino haberi debet certitudo, continentur in Ex. c. 3.; et includuntur omnia, quæ vocationem religiosam spectant, interna et externa. Maximi vero momenti est ipsa vocatio divina; quare inquiritur in c. 3. §. 14: „num deliberatum habeat animi propositum vivendi et moriendi in Domino cum hac et in hac Societate JESU, Creatoris et Domini nostri, et a quo tempore, ubi et per quem

primum ad id motus fuerit" — Huc refertur etiam imprimis Epist. Claudii pro Super., p. 2. c. 1. de admissione n° 3: „quare observent ipsi Provinciales subditique ut observent, efficiant, quam oporteat penitus cognoscere, an, qui postulat, vere a Deo sit vocatus; potissimum vero, an interiores habeat dispositiones ad vivendi rationem ab Instituto præscriptam, et exteriores ad nostra ministeria subeunda. Hinc de hoc [informatores] velut sua instrumenta probe informent Provinciales; si delinquunt, corrigant, et si emendationis spem non exhibeant, ab hujusmodi amoveant officio."

Quod autem non sit necesse, in singulis admissionem petentibus omnia et singula inquirere, habetur in Ex. c. 1. A: „si satis alioquin notus est, qui ingreditur, non necesse erit, juxta hoc examen procedere. Id tamen ille, cui examinandi munus committitur, cum Superiore conferat, et ejus judicium sequatur. Ante autem quam domi recipiatur, fere semper de quibusdum rebus majoris momenti, præsertim de iis, quæ solent excludere, examinari eos oportebit." — Attamen in his ultimis quæstionibus magna cautio est adhibenda. — Ex. c. 2. A: „quamvis ea, quæ sequuntur, impedimenta sint, quæ a Societate excludunt, tamen non ut impedimenta proponi debent, donec veritas eliciatur. Qui enim duceretur desiderio ingrediendi Societatem, accipere occasionem posset, veritatem celandi, si hæc impedimenta esse intelligeret; etc. Et nihilominus admoneri confessarium oportet, ut, si quis vere non respondisset, ejus conscientiam de ea re exstimulet."

Porro non est necessarium, ut candidatus omnibus, quæ requiruntur ad admissionem, æquali modo instructus sit; nam fieri potest, ut quæ desunt in una parte, ex altera vel compensentur, vel superentur. — P. 1. c. 2. C: „quamvis aliquis undecunque idoneus ad Societatem omnibus his præditus esse debeat, si tamen in aliquo quid eorum desideraretur, v. g. vires corporis, vel ætas ad professionem, vel quid simile; et in Domino judicaretur, aliis Dei donis, quod ea ex parte deest, compensari; omnibusque perpensis ad Dei obsequium fore et ad Societati propositum finem convenire, ut admitteretur, dispensare cum eo Præpositus Generalis poterit; vel etiam alii, quatenus iis communicata ab ipso facultas se extendet." — Attamen defectus vocationis divinæ et defectus spiritus quoad vitam religiosam, nullis aliis donis, etiam splendidissimis, compensari possunt.

Nota. — Hoc examen instituendum committitur singulis informatoribus, plerumque quatuor ex consuetudine et ex analogia cum aliis informationibus. — Cf. C. 9 D. 37. — Quod si religiose et caute fit, moraliter impossibile est, ut scitu necessaria non cognoscantur et judicium rectum de admittendo non formetur.

Præterea nil obstat, quominus etiam ad quosdam externos recurratur, caute tamen, ad explorandum, quæ possint juvare in judicio formando de postulante. — Ex. c. 3. D. — Quantum profecerit in litteris, videre licet in testimoniis vel «censuris» quæ vocantur, in fine anni scholaris a magistris, quibus usus est, exhibitis. Quæ sit valetudo et quid valeant vires corporis, medicus sæpe scriptis testimonialibus testari potest.

Candidati secum afferant litteras testimoniales tum Baptismi et Confirmationis, tum status liberi et morum; tum consensus patris si vivit, vel matris, tum denique bonæ valitudinis. — Nec non et tantum pecuniæ quantum opus fuerit ad remeandum in patriam, casu quo non perseveraverit novitius. — P. Aderledij 1884.

b. — Præter hoc examen quodammodo theoreticum multum prodest, per media practica inquirere de candidato, quoad scientiam et quoad mores, cum non sit necesse, statim eum admittere. Dentur ipsi aliqua themata elucubranda, etiam sine consuetis adminiculis, ut probet tum scientiam quam habet, tum judicium et discretionem. — Et quoad mores, sufficit legere P. 1. c. 4. D: „juvabit etiam ad hoc ipsum, si frequenter ad confessionis sacramentum in ecclesia nostra aliquamdiu accesserit, antequam domum ingrediatur. Et si adhuc de eo dubitaretur, non parum conferet, si in spiritualibus exercitiis constituatur, ut ea claritas de ea habeatur, quæ ad gloriam Dei Domini nostri requiritur."

ARTICULUS SECUNDUS

DE ADMITTENDO.

Tunc si quis hoc modo examinatus et dein receptus est, ingrediens 85
novitiatum incipit primam probationem seu candidaturam, quæ vocatur, quæ tamen est pars biennii novitiatus. — P. 1. c. 4. §. 4. seqq. — Reg. Mag. Nov. c. 2.

1. — Finis hujus primæ probationis duplex est: ex parte Societatis, ut ipsi penitus cognitus fiat homo; quod facilius obtinetur, cum continuo fere omnibus ante oculos versatur. Ex parte candidati, ut vocationem suam aliquatenus saltem practice jam probet confirmetque, accuratius inspiciendo regulas et Constitutiones, quæ ipsi explicantur, et vivendo juxta modum nostrum, qui tunc fere est, qualis postea semper. Recte igitur dicitur §§. 4-7: „ut, quo majore cum luce procedatur, eo quis constantior in sua vocatione maneat."

2. — Media, ut hic duplex finis attingatur, hæc sunt: 86

a. — Proponuntur candidato Examen generale, nonnulla ex Bullis Pontificum, regulæ; omnia hæc non quidem in extenso, sed cum delectu et circa essentialia capita, quæ majorem ei difficultatem parere

possint. — Reg. Mag. Nov. 15: „et illa præsertim sunt magis explicanda, quæ postea aliquam difficultatem afferre possent, ut de animi promptitudine ad serviendum DEO ubique et in re quavis; de manifestatione defectuum tum suorum, tum alienorum juxta Constitutiones; de manifestatione etiam conscientiæ" et similia. — Caveatur tamen, ne homo novus nimis terreatur ex modo proponendi ea, quæ postea, si ex usu jam quodammodo assuefactus fuerit, melius intelliget et lætiori animo feret.

b. — Edocetur ordinem diurnum servare et nostræ vitæ rationem in omnibus sequi, ut experiendo cognoscat, an vitæ nostræ ratio ei conveniat, ipseque capax sit ad tenendam eam omni tempore subsequenti.

3. — Attamen ut finis hujus primæ probationis per media recensita melius efficiatur, alia etiam adminicula præsto sunt, quæ plurimum in hac parte juvant; nimirum:

a. — Retinetur candidatus domi separatus ab omni hominum commercio indebito; nec permittitur exire domo ad visitandos amicos vel consanguineos, nec recipere visitantes extraneos: imo in ipsa domo non licet ei conversari nisi cum iis, qui a Superioribus destinantur. Omnia hæc, ut liberius cum DEO agat de re sibi gravissima probandæ vocationis.

b. — Instituitur dein diligentius se examinare, adjuvante Magistro novitiorum vel ejus socio; et in Reg. Nov. Mag. 17. admonetur expressis verbis: „ut vere omnino ac sincere respondeat, nam aliter multa gravia incommoda inde oriri possent."

c. — Exigitur ab eo conscientiæ ratio reddenda, si non jam stricto modo, ita tamen, ut de tota ejus vita anteacta prospectus sufficiens habeatur.

d. — Sequuntur exercitia menstrua, quæ tamen dividere in duas partes melius esse videtur. Unde plerumque dantur hac prima vice tantum octo dies ad summum; postea vero, si homo jam melius in spiritualibus, maxime in arte meditandi profecerit, repetitis breviter per aliquot dies veritatibus jam propositis, tractantur reliqua secundum modum sancti Ignatii per tres hebdomadas vel etiam ultra aliquantulum.

e. — Hoc tempore facit etiam confessionem generalem totius vitæ anteactæ, nisi forte jam ante ingressum Sacerdoti e Societate JESU generaliter confessus fuerit.

87 4. — Demum etiam a magistro novitiorum sive a socio ipsius plura præstanda sunt, ut hæc probatio prima rite absolvatur.

a. — Accurate notandus est dies quo ingressus est in domum

Societatis ex mandato Provincialis, quia eo ipso die revera incipit novitiatus, ita ut ab hoc die post completum biennium finis ei rite possit imponi.

b. — Spoliatur homo, plerumque a Patre Socio, omni pecunia rebusque superfluis, quas secum attulit. Quod fit etiam ea de causa, ut, si forte per decursum biennii dimittendus sit, omnia ei reddi possint. — Ex. c. 4. §. 4. B.

c. — Monetur magister novitiorum ejusque Socius, ut cum recens advectis crebrius versentur, ad eos plenius cognoscendos. Ad quem finem utuntur uno ex novitiis cursus prioris, qui eorum „angelus custos" vocatur, tanquam immediatus eorum assistens in omnibus, quæ vitam quotidianam spectant; qui idem de iis et eorum modo agendi refert.

P. 1. c. 4. c. §. 1. — Reg. mag. nov. 20. — C. 4. D. 67.

Nota. — Effectus, qui sequuntur ingressum in novitiatum, hi sunt: 88

a. — Incipit legaliter biennium novitiatus ipso die ipsaque hora, quando homo domi recipitur.

b. — Suspenduntur vota antea facta, quamdiu nobiscum est, quæ tamen, si dimittitur, iterum reviviscunt. — C. 1. D. 132.

c. — Non solvuntur quidem sponsalia prius facta; sed datur sponsæ statim facultas recedendi ex sponsalibus; reliqua v. Lehmkuhl, II, § 669, n. 4.

d. — Fit particeps privilegiorum, quibus clerici ex jure gaudent, necnon eorum, quæ Societas habet.

e. — Non obligatur ad manendum et licet ei quocunque die iterum egredi; quod si fit, eodem momento restituitur in statu pristino.

f. — Contrahere matrimonium in veste religiosa peccatum est.

Secunda Pars Constitutionum.

Quæ ad dimittendos e Societate pertinet.

Sanctus Ignatius postquam de admittendis in corpus Societatis egit in prima Parte Constitutionum, in secunda statim subjungit ea, quæ tenenda sunt in dimittendis ex ea, sive sunt novitii, sive sunt votis jam ligati: Scholastici, Coadjutores, Professi. Attamen quum in hac materia plene tractanda multa occurrant, de quibus speciatim et in particulari postea sermo infertur, maxime in Parte quinta, ubi de variis votis eorumqe firmitate agitur, hæc tanquam præsupposita hic ingerantur, Pro explicandis singulis Constitutionum partibus coram auditoribus non videtur absonum esse, remittere hanc secundam Partem explicandam usque in finem, quando plurima alia huc pertinentia melius jam intelliguntur.

CAPUT PRIMUM.

De jure et de potestate dimittendi.

QUÆ jus commune habet in hac re respectu omnium religionum, per se valent etiam in Societate Jesu; Constitutiones vero multa particularia addunt, et hæc explicare praeprimis necesse est.

ARTICULUS PRIMUS.

JUS DIMITTENDI QUID SIT.

89 I. — Est proprium cujusvis organismi sani, si ejus membrum quoddam morbidum fit nec potest sanari, a se illud separare, ne ex contagione unius partis infectæ totum corpus patiatur detrimentum, sed sanum vegetumque persistat. Et hoc juste fit ex lege naturali, ex

qua unicuique competit se defendere contra injustum aggressorem. Idem igitur fit in corporibus moralibus, puta in religionibus, et quidem per illam actionem, quam vocamus dimissionem. Dimissio igitur ex Societate Jesu intelligitur esse separatio alicujus membri ab eo nexu, quo Societati est junctum, facta a legitima auctoritate ad id potestatem habente. Hæc separatio fit aut ita, ut solutis votis dimissus non sit amplius religiosus, aut ita, ut integris manentibus votis statuque religioso, separatio a corpore fiat potius externa, quæ tamen secum trahat aliquam mutationem obligationum, quibus ejectus obstrictus manet, secundum ea, quæ jus positivum in hoc casu statuit. De hac igitur dimissione, respective ejectione, in hac secunda Parte est sermo. — Est vero etiam alia vinculi religiosi relaxatio quædam seu mutatio potius, sive partialis, quando quis evehitur ad dignitatem ecclesiasticam, sive totalis per transitum ad aliam religionem. Egressio vero arbitraria per se neque dimissio est, neque ejectio, et trahit secum speciales sequelas

2. — Præter jus commune, ex quo competit cuivis religioni, in 90
certis quibusdam casibus, aliquem dimittere vel ejicere prout accuratius definitum fuit ab Urbano VIII. et Innocentio XII., Societas Jesu habet speciale jus dimittendi vel ejiciendi aliquem ex suis, præsertim ex iis, qui votis simplicibus ipsi juncti sunt, secundum rationem in Constitutionibus et in Bullis Pontificum propositam et approbatam.

Julius III. „Exposcit" 21 Julii 1550: „vota sua non quidem solemnia, sed quibus teneantur, quamdiu Præpositus Generalis eos retinendos esse censuerit, emittere debeant, prout in Constitutionibus latius explicabitur." — Gregorius XIII. „Ascendente" 25 Maji 1584: „ac quantum est ex parte ipsorum (Scholasticorum et Coadjutorum formatorum) perpetuo, ex parte vero Societatis, juxta Apostolica Indulta et Constitutiones prædictas, tamdiu obligati sunt, quamdiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit." — Gregorius XIV. „Ecclesiæ catholicæ" 28 Junii 1591: „potestatem quoque a Societate dimittendi quosvis non professos, ab hac Sede Apostolica sæpius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum juxta Constitutiones et diplomata hujusmodi emissorum per dimissionem ipsam, per quam vota prædicta cessant, liberandi, tanquam rem magni momenti ad Societatis puritatem et conservationem retinendam, omnino ratam, intactam et illibatam esse volumus." — Sic Pontifices; et Constitutiones sic, — P. 2. c. 1. §. 1: „ut autem ad propositum huic Societati finem divini obsequii et auxilii animarum convenit conservari et numero augeri

operarios idoneos ac utiles ad hoc opus promovendum, ita dimitti eos oportet, qui tales non fuerint inventi, et successu temporis deprehendatur, vel quod hæc non sit eorum vocatio, vel quod ad commune bonum Societatis non conveniat ut in ea maneant. Sed tamen ut non faciles esse ad admittendum, ita neque ad dimittendum, imo minus oportet; sed mature omnino et considerate in Domino procedendum est. Et quamvis causas ad dimissionem dignas eo graviores esse oportet, quo quis arctius Societatis corpori conjunctus est, quantumlibet tamen quisque sit conjunctus, in quibusdam casibus separari ab ea posset ac deberet." — Inde est, quod ipse Generalis dimitti potest in quibusdam casibus, enumeratis in P. 9. c. 4; ubi dein dicitur in §. 7: „Si quid horum accideret, potest ac debet Societas, si de re sufficientissime constaret, eum officio privare, et si opus esset, a Societate removere; in omnibus præ oculis habendo, quod ad majorem Dei gloriam et universale Societatis bonum fore judicabitur."

ARTICULUS SECUNDUS.

QUIS HABEAT POTESTATEM DIMITTENDI.

91 Quum dimissio ex Societatis nexu varia sit varioque modo fiat, juxta quod aliquis ei conjunctus est vel arctius vel minus arcte, ita etiam potestas solvendi hunc nexum seu dimittendi e Societate eadem ratione est varia; et non omnes, qui participes sunt hujus potestatis, ejusdem participes sunt in eadem mensura. Generalis vero norma hæc est: qui potest admittere in Societatem, potest etiam ex ea dimittere, et quidem in eadem mensura qua gaudet priori facultate. Secundum hæc:

92 1. — Rector domus vi muneris non potest quemquam dimittere e Societate, sicut nec admittere in eam potest, nisi præter facultates muneris hæc potestas ei delegata sit. Sine dubio vero in dimittendo novitio eadem ipsi facultas competit, quæ magistro novitiorum; quod habetur in Resp. Rhen. Super. 1649: „magister novitiorum potest dimittere novitium male se gerentem non exspectato responso, eo fere modo quo potest Provincialis Scholasticum ante responsum Generalis, juxta regulam 41. Provincialis; multo magis, si novitius importune urgeat, quia tunc utitur jure suo nec invitus est retinendus. Quodsi ipse non urgeat et res patiatur moram, consulendus omnino Provincialis." — Ita quoad novitium; aliud quoad Scholasticum post vota jam emissa; Resp. Arrag. 1622: „nullo modo, casu etiam urgente, licet Superiori locali ullum dimittere post vota biennii."

2. — Qua gaudeat Provincialis facultate dimittendi, accurate edicitur in ejus reg. 40 sqq. Amplior tamen potestas potest ei a Generali delegari, et nonnunquam delegatur pro regionibus remotis vel temporibus difficilibus. — P. 2. c. 1 decl. C. — Quæ igitur Provinciali vi muneris competit facultas, hæc est: 93

a. — Potest Provincialis propria auctoritate dimittere novitios, exceptis nonnullis. — Reg. 40: „facultatem habet dimittendi eos, qui in prima et secunda probatione ante et post emissa vota (sc. devotionis) versantur; nisi a Prœposito Generali in ejus Provinciam destinati, vel de Societate ipsi tam bene meriti essent, ut eorum esset peculiaris ratio habenda. In his enim casibus, inconsulto Generali dimittere non debet, nisi causæ admodum urgentes et graves essent, ita ut minime dubitaretur Generalis mentem hujus modi futuram esse." — Potest novitium dimittere, cui ipse concessit emittere vota devotionis. — Aquit. 20 Oct. 1563: „Provincialis potest dimittere novitios quibus ipse dedit facultatem emittendi vota novitiorum." — Idem in Litt. Encycl. Caroli Noyelle, 7 Aug. 1683. Nam ex votis devotionalibus oritur quidem ipsi voventi obligatio manendi in Societate, non vero Societati eum retinendi, quum sint omnino res voventis privatæ, non vero acceptentur a Societate.

b. — Quoad Scholasticos et Fratres post emissa vota prima habet 94 reg. Prov. 41: „Scholasticos vero approbatos et Coadjutores non formatos, qui probationem absolverunt, inconsulto Generali non dimittat, nisi in gravibus et urgentibus casibus et qui ejusmodi sint, ut sine gravi periculo Generalis responsum exspectari nequeat; quem tamen post dimissionem certiorem faciat. Et in universum diligenter Provinciali dispiciendum est, ut qui minus idonei ad nostrum Institutum et tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipse inter biennium probationis dimittat. Quodsi peracto etiam probationis tempore aliqui hujusmodi deprehendantur, tempestive Generalis moneatur, ne cum Societatis jactura diutius, quam par est, retineantur." — Et quam caute debeat procedere, habet reg. 42: „Provincialis erit, auditis suis Consultoribus, vel si necessitas urgeat, Superiore et Consultoribus ejus loci, ubi tunc erit, qui ipsi videbuntur, adhibitis, judicare de causis sufficientibus ad dimissionem." — Provincialem non posse excedere limites suæ regulæ 41, edicit expressis verbis Resp. Polon. 18 Julii 1621, et Germ. 7 Sept. 1624: „Provinciali non licet quemquam dimittere extra casum regulæ 41." Et qui sit casus neccessitatis et urgens, habet Resp. Rhen. ini. 1642: „Casus, ob quos Provincialis ex regula 41. potest dimittere non graduatum responso R. Patris N. non exspectato sunt illi, in

quibus sine gravi præsentique periculo aut notabili infamia Societatis differri nequit dimissio usque ad responsum R. Patris Nostri."

c. — De graduatis est reg Prov 43: „Coadjutores formatos, sive spirituales sive temporales, et Professos nullo modo dimittet," nisi habeat a Generali specialem facultatem; quod in P. 2. c. 1. decl. C: „nisi in quibusdam remotissimis locis, ut in Indiis, hujusmodii facultatem Provinciali communicare oporteret." — Rarissime vero hoc obtinere, intelligitur ex Resp. Prov. Philippin. 1633: „ob multa incommoda non videtur Provinciali Philippinarum concedenda facultas dimittendi Coadjutorem formatum etiam in casu urgenti juxta reg. 41. Provincialis." — Idem Resp. Mexic. 1633, et Germ. 20 Julii 1641.

95 *Nota.* — De facultate a Generali concessa Provinciali dimittendi aliquem, ipsiusque facultatis usu quoad tempus et modum, haec tenenda sunt.

1) facultas a Generali data Provinciali dimittendi aliquem, ex Ordin. Claudii 1601 censetur exspirare, si ea Provincialis intra annum usus non fuerit. Quod tamen ita intelligo ex declaratione Mutii 24 Aprilis 1629, durare anni spatio eam potestatem, si dimittendus ita in novos defectus incidat, ut prior dimittendi causa in eo quasi continuata videatur. Nam si se emendasset ac postea in prorsus alios defectus incidisset, qui et ipsi dimissionem mererentur, videtur novam petere facultatem debere Provincialis; ex Resp. Mutii, 7 Jan. 1617. — Elapso anno facultatem exstinctam habendam esse, multa alia Responsa tenent: Germ. 21 Jan. 1651. — Aquitan. 1648. — Franc. 1655. — Rhen. super, 1655.

2) de forma litterarum dimissionis a Provinciali utenda responsum est Patri Ignatio Armando Provinciali 26 Junii 1607: »in patentibus, quibus quis dimittitur debet Provincialis facere mentionem auctoritatis sibi concessæ a Patre Generali, penes quem solum est dimittendi potestas; alioquin videri possent nullæ ejusmodi litteræ, si a Generalis auctoritate non penderent."

3) in quo consistat actus dimissionis, quæsitum et disputatum est in Congregatione decima generali; sed nihil conclusum nisi ut in particularibus casibus consulatur Generalis Idem insinuat C. Austriæ 1661 ad 2.

Plerumque fit dimissio per traditas litteras patentes ut dimissus probare possit, se non amplius esse religiosum Societatis Jesu. Ad validitatem tamen dimissionis efficiendæ sufficere videtur, ut decretoria Superioris dimittentis voluntas, quomodocunque fieri potest cum dimittendo communicetur, sive oretenus facta hac declaratione, sive per nuntium ad hoc deputatum. Accidere potest, ut alius modus non inveniatur, quam ut Ordinarius, in cujus diœcesi homo originem habuit, de dimissione ejus certior efficiatur, cum petitione, ut, si iste coram appareat vel aliter inveniri possit, de re facta plene instruatur.

96 3. — Amplissima dimittendi facultate gaudet Generalis, et quidem vi muneris sive ordinarie, quod multoties in Pontificum Bullis pronuntiatur. Et est hæc potestas non solum ea, quæ etiam aliorum Ordinum Generalibus ex jure communi competit, sed quæ ex Constitutionibus nostris a Sancta Sede approbatis ipsi speciali ratione tribuitur.

a. — Expressis verbis datur Generali hæc potestas a Gregorio XIII. — „Cum alias" 22 Sept. 1582: „Nos, re perpensa atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritati atque incremento emissorumque pro tempore saluti consulere volentes, statuimus, ut deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos judicaverit, ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Præpositi licentia non tantum ad Karthusiensium, sed ad quemvis alium Mendicantium vel non Medicantium, paris, laxioris aut arctioris observantiæ Ordinem, per ipsum Præpositum illis præscribendum, de consensu tamen Superiorum loci illius, quo destinabuntur, demigrare, in eisque professionem per loci illius monachos aliosque regulares ejusdem emitti solitam emittere, habitumque suscipere et consueta uti eorum disciplina."

Constitutiones non minus claræ sunt, — P. 2. c. 1. §. 2: „dimittendi facultas imprimis ad universam Societatem pertinet, quando in Congregationem Generalem conveniret. Eadem erit penes Præpositum Generalem in omnibus, præterquam si quid ad ipsius personam pertineret." — Poterit igitur non modo Scholasticos et Coadjutores dimittere, sed in aliquibus casibus etiam Professos cujuscunque gradus et dignitatis in Societate sint. Neque obstat decretum Urbani VIII. „De apostatis et ejectis," anno 1624, 21 Sept. datum; nam eo ipso die, quo editum fuit, sacra Congr. Conc. declaravit, Societatem nostram eo non comprehendi. — Rescript. origin. Card. Cosimi de Torres. — Epit. Inst. P. 4. c. 9. n° 120. — Etiam n° 1213 — Et P. 2 c. 1. decl. C: „erga Professos minus etiam hujusmodi facultas (dimittendi e Societate) inferioribus Præpositis est communicanda nisi res ad Præpositum Generalem delata et gravi consideratione expensa foret, ita ut convenire ad divinum obsequium et commune Societatis bonum hujusmodi hominem dimitti, videatur, ut si contumax vel incorrigibilis esset."

b. — Penes Societatem qua talem, i. e. penes Congregationem Generalem esse hanc facultatem, supra P. 2. c. 1. §. 2. clare pronuntiatur. Quod si hoc in ipsis Bullis Gregorii XIII. non de Societate, 97
sed de Præposito Generali enuntiatur, conferri nimirum huic potestatem dimittendi, clarum est, illud de ipsa Societate a fortiori valere. — Ita Suarez, l. XI. c. 2. §. 11: „non videtur dari Præposito hæc potestas, nisi in quantum suo modo repræsentat Societatem et ab illa proxime habet postestatem. Quia enim communiter suprema Societatis jurisdictio per illum exercetur, et hæc facultas datur ad ordinarium regimen, ideo illius facta videtur mentio illique conceditur potestas. Tamen intentio Pontificis fuisse videtur illam dare Societati principaliter, cum ipsa sit Generali superior. Confirmatur, quia in eo casu, in quo Generalis Con-

gregatio posset Præpositum suum a munere deponere et a Societate expellere, potest utrumque facere per se ipsam et antequam alium Generalem eligat; ergo etiam poterit Præposito sic ejecto facultatem concedere transeundi ad aliam religionem. Item si in Congregatione Generali coram ipsomet Præposito tractaretur de alterius Professi ejectione vel transitu ad aliam religionem, non videtur posse Præpositus contra sententiam Congregationis illum expellere aut talem facultatem dare; quia cum Congregatio sit superior, verisimile non est, datam esse hanc potestatem Præposito ita, ut illa uti possit contra voluntatem sui superioris."

c. — Quum tamen in Bulla Gregorii XIII. formaliter et expressis verbis ipsi Generali, et quidem ipsi soli datur facultas hæc dimittendi Professos, inde probabile est, ne Generalem quidem Congregationem posse exercere hanc potestatem sine consensu Generalis, nisi in casu, quo vacat Generalatus et omnis jurisdictio suprema est penes solam Congregationem. — Suarez, l. XI. c. 2. §. 12: „nam juxta vim verborum (Gregorii XIII. „*liceat dicto Præposito*") nullus inferior Pontifice potest Præpositum hac potestate privare, nec ponere modum, quem Pontifex non posuit. Quis enim potest voluntatem Pontificis limitare aut impedire? Ipse autem absolute et sine restrictione ait, se concedere Præposito hanc potestatem in perpetuum; ergo nunquam potest illa privari nec immutari, nisi per alium summum Pontificem. Dicere autem, subintelligi subordinationem et dependentiam a Societate, propterea quod Congregatio sit supra Generalem, voluntarium est ideoque improbabile, utpote contra absolutam formam verborum et sine sufficienti ratione; siquidem non obstante illa subjectione Generalis ad Congregationem potuit Pontifex concedere absolute et simpliciter hanc facultatem huic dignitati Præpositi... §. 13: „consequenter videtur probabile, soli Generali hoc datum esse, dimittere Professos.... unde, quamdiu Præpositus vivit, probabile est, Congregationem etiam Generalem non posse id facere sine consensu ejus propter rationem factam, quia illi data est potestas. At vero, Generalatu vacante, probabile est Congregationem habere potestatem, quia capitulum succedit loco Prælati in omnibus potestatibus ordinariis ejus, et hæc potestas jam competit jure ordinario Prælato Societatis. Quidquid vero sit de hoc scholastico rigore, securius est, non uti tali potestate ante electionem Generalis. Unde fit tandem, ut in eo casu, in quo Præpositus ipse deponendus et expellendus esset, depositio ab officio præcedere debeat, non vero fieri possit a Societate expulsio, donec alius Præpositus electus sit, cujus auctoritate et judicio, simul cum tota Congregatione, si oportuerit, id fiat."

CAPUT SECUNDUM.

De causis dimissionis faciendæ.

IN re tam acerba, quæ est separare membrum a corpore, clarum est non procedi sine gravissimis causis; oportet igitur, ut præprimis generalia principia proponantur et deinde agatur de singulis casibus.

ARTICULUS PRIMUS.

PRINCIPIA GENERALIA.

1. — Necesse est, ut causæ cur dimissio fiat, sint veræ et justæ: 98
„ponderare coram Domino debebit prudens charitas Superioris, qui hujusmodi facultatem habuerit." — P. 2. c. 2. § 1. — Jam in Ex. c. 6. A de iis, qui primis tantum votis ligati sunt, dimittendis dicitur, id non nisi ex causis justissimis fieri debere. — P. 2. c. 2. decl. A: „discreto zelo eorum quibus ea cura commissa est, relinqui est necessarium; quia eo impensius rem Domino commendabunt, et diligentius cum aliis, qui ad cognoscendam DEI voluntatem juvare possint, communicabunt, quo eis difficilius negotium magisque dubium videbitur." — Dimissionem factam ex causis non veris vel non justis, per se invalidam esse, patet; attamen non est necesse, ut sint causæ omnes ejusdem naturæ vel ejusdem ponderis; nam esse possunt causæ cogentes, sufficientes, culpabiles, non culpabiles, quæ tamen omnes legitimam reddant dimissionem. Quodsi fiat dimissio invalida ex culpa dimittendi, hic non potest tutus esse in conscientia; si vero ex culpa Superioris dimittentis, hujus ipsius erit, quærere modum reparandi injuriam injuste illatam.

2. — Ad dimittendum aliquem ex Societate, eo graviores requiruntur causæ, quo arctius Societati conjunctus est; tum etiam quo melius de ea meritus est, vel ei emolumento esse potest. — c. 1. decl A: „licet, omnes, ut in Constitutionibus dicitur, dimitti possint, alii tamen facilius, quam alii dimittentur." — Et: „præter quæ dicta sunt, quo magis alicui Societas deberet, quod de ipsa bene meritus esset; vel quo pluribus DEI donis ad eandem in divino obsequio juvandam, præditus esset, eo majori cum difficultate esset dimittendus; ut contra, cui minus deberet Societas, quique minus ad eandem juvandam in divino obsequio esset idoneus, facilius posset dimitti." — Juste sic statuitur; nam quod ratio gratitudinis exhibendæ, vel ratio charitatis erga se ipsam servandæ, in Societate magni æstimentur nemo erit qui improbet.

100 3. — Bonum Societatis ipsius prævalet bono particulari personæ dimittendæ; quod idem est de officiis explendis erga externos, sive justitiæ sint, sive pietatis. — P. 2. c. 2. §. 3: „alterum genus causarum est, si existimaretur in Domino, aliquem retinere contra Societatis bonum fore, quod cum universale sit, haud dubie bono particulari alicujus præferri ab eo debet, qui sincere divinum obsequium quærit." — Et hoc explicatur in decl. B. — Quod idem observatur in admissione, P. 1. c 3. §. 16: „qui facultatem habet admittendi, videat, ne charitatis particularis affectus universali noceat, quæ ut magis ad gloriam et honorem CHRISTI Domini nostri facit, ita semper præferri debet." — Idem hoc principium quam maxime sanum et prudens sæpissime et in aliis rebus applicandum esse, nemo non videt, cui Societatis salus cordi est.

101 4. — Positis his principiis generalibus, quatuor dimissionis causarum classes oriuntur, P. 2. c. 2. pro diversitate rationis habendæ sive ad DEUM, sive ad Societatem, sive ad religiosum ipsum, sive demum ad externos:

a. — Ratione DEI, si retinere religiosum in Societate esset contra divinum honorem. — c. 2. §. 2: „primum si in Domino judicaretur, contra ipsius honorem et gloriam fore, quod is in hac Societate maneret, qui videatur in quibusdam pravis affectibus aut vitiis, quæ eo minus tolerari deberent, quo graviora essent et plus culpæ haberent, licet aliis nullum offendiculum, quod manifesta non essent, præberent." — In decl. A: „quatenus defectus aliqui, qui contra divinum honorem et Societatis bonum esse dicuntur, debeant tolerari, cum id ex multis circumstantiis particularibus personarum, temporum et locorum pendeat, discreto zelo eorum, quibus ea cura commissa est, relinqui est necessarium." — Etsi igitur iidem defectus in diversis personis inveniantur, non est semper eodem modo cum illis agendum.

b. — Ratione Societatis, si hæc, retinendo religiosum peccantem magnum damnum pateretur, v. g. malo ejus exemplo, pernicioso ejus in alios influxu. — c. 2, §. 3: „alterum est, si existimaretur in Domino aliquem retinere contra Societatis bonum fore; quod cum universale sit, haud dubie bono particulari alicujus præferri ab eo debet, qui sincere divinum obsequium quærit." — Imo ipse Superior, cui commissa est cura servandi integritatem Societatis, graviter peccare potest, si affectu quodam naturali et molli ductus membrum infectivum non abscindit.

c. — Ratione ipsius religiosi dimittendi, si status religionis ipsi non

esset amplius auxilium in divino servitio, sed potius impedimentum. — §. 4: „tertium, si judicaretur, id fore contra Societatis ac simul ipsius dimittendæ personæ bonum", puta, si habitudo corporis tale quid exposceret, vel durities quædam indolis, quæ liberata ab officiis vitæ communis facilius divinam voluntatem sequeretur. Plerumque in hisce casibus dimissio fit ex consensu utriusque partis, tum Superioris dimittentis, tum religiosi dimittendi, cum ex utraque parte judicatur, esse in bonum utriusque, talem liberum reddere ab obligationibus religionis.

d. — Ratione externorum, quorum jura læderentur, si religiosus retineretur. — §. 5: „quartum, si cerneretur, id fore contra bonum aliorum, qui de Societate non sunt." — Notum est non licere retinere religiosum, qui necessarius est ad eripiendos parentes ex extrema necessitate vitæ; item si debita antea contracta suo labore debet compensare. Rarissime autem tale quid obtinet, cum plerumque alia ratione horum malorum remedium effici possit.

ARTICULUS SECUNDUS

CAUSÆ DIMISSIONIS RECENSENTUR.

Ex his generalibus principiis facilius est enumerare causas particulares easque in specie recensere, cum plerumque fiat, ut ex diversis eorum adjunctis diversa etiam agenda sint.

1. — Causa dimissionis præ omnibus gravis sunt peccata tam mani- 102
feste patrata, ut sint scandalo aliis præbeantque incitamentum similiter peccandi. — c. 2. §. 3: „et multo magis dimitti oporteret, si damnum allaturus malo vitæ exemplo judicaretur." Quod explicatur in decl. D: „aliis offendiculum præbere ille intelligitur, qui suo exemplo peccandi occasionem eis præbet, et quidem amplius, si verba adjiceret suasoria, ut ad aliquid mali alliceret, præcipue ad instabilitatem in sua vocatione, vel ad discordiam, vel si quid contra Superiores vel commune Societatis bonum moliretur. In quibus enim talia locum haberent, rationi consentaneum non esset, ut ii in Societate manerent." — „Quando non tam propter rationem vel magnitudinem peccati, quam ob removendum offendiculum, quod aliis præbuit, dimitti aliquem necesse esset, si alioqui aptus esset, expendet prudentia Superioris, an expediat facultatem ei dare, ut ad locum alium Societatis valde remotum, eandem non egrediendo, proficiscatur." — Hæc ultima verba probant, quam

ægre ferat Societas, a se aliquem plene separari; tentat bona mater prius aliis mediis sanare filium infirmum, cujus salus ei quam maxime semper cordi est.

Ceterum necesse non est ad faciendam dimissionem, ut sit scandalum datum sæpius repetitum multisque nocivum; sed dimittere licet etiam eum, qui semel tantum alium ad peccandum seduxit. — Resp. Prov. Mexic. 1590: „ob tactus impudicos cum alio merito quis dimitti potest e Societate, etiamsi res gesta sit sine scandalo et prima vice. Tamen quando agitur de re occulta et prima vice, expediret, de tota re certiorem facere Generalem ejusque sententiam exspectare. Possent enim circumstantiæ occurrere, ob quas talis actus posset condonari delato. Ad Generalem referendum est, quum hujusmodi homines urgent regressum in Societatem, antequam admittantur." — „Etiam is, qui provocatus ad impudicos tactus consentit, dimissione dignus est, sed exspectandus Generalis consensus." — Resp. Prov. Mexic. 1560: „provocatus ad impudicos tactus si consenserit, in pari ratione esse censetur quoad dimissionem, si res per tertium innotescat; quum vero est occulta, et alter complicum se superiori aperuerit, nullo modo dimittendus est, sed similiter Generalis consulendus est; alioquin nec ille teneretur se manifestare, nec Societas haberet similium casuum notitiam."

103 2. — Sufficiunt gravia peccata patrata ad merendam dimissionem, etiam quando non sunt manifesta, vel unus tantum alterve habeat eorum notitiam. Si tamen nota sint tantum ex confessione facta, vel ratione conscientiæ reddita, vel ex secreto commisso, principia moralia sat nota hujus notitiæ usum omnino interdicunt; quod idem valet, si qui patravit peccatum, ipse se manifestat.

P. 2. c. 2. §. 2: „qui videatur in quibusdam pravis affectibus aut vitiis, quæ divinam offendunt majestatem, corrigi non posse: quæ eo minus tolerari deberent, quo graviora essent et plus culpæ haberent, licet aliis nullum offendiculum, quod manifesta non essent, præberent." — P. 10. §. 7.

De non utenda notitia eorum, quæ secreti obligationem secum habent, multa exstant Responsa Generalium. — „Ad dimissionem procedi non potest ex iis, quæ quis sponte, aut in confessione, vel in ratione conscientiæ aperuit Superiori." — Lusit. 1586. — Polon. 1619. — Lithuan. 1630 Martii 22.

Austr. 30 Aug. 1635: „ob delictum ex sola confessione, aut quod se jussu Confessarii stiterit, cognitum nullus potest dimitti, nisi etiam alia via innotescat." — Visitat. Hispan. 1590: „per unius testimonium,

si accusatus neget factum, non debet quis e Societate dimitti aut corripi, nisi alia indicia concurrant, et qui delatus sit, non sit adeo religiosus." — Flandr. 1631 Febr. 22: „vel ipse sponte delictum aperiens dimissionem petit, monendus est tamen, dimissionem esse nullam, si fictum sit delictum." — CC. 16 Julii 1640: „potest tamen quis dimitti ob delictum occultum et sponte apertum, si petat dimissionem." — CC. 1601: „qui propter delictum dimittuntur, ordinarie debent prius puniri, propter occultum occulte, propter publicum publice."

Nonnunquam fit, ut quis patret delictum ea intentione, ut in pœnam commissi peccati dimittatur. De ejusmodi casu est Resp. Lithuan. 1646: „qui ut dimissionem extorqueat, patrat turpia, si crimen sit occultum, castigetur occultis pœnis moneaturque, se tutum non fore in conscientia quum dimittatur ob ista, sed censuris apostatarum fore obnoxium." — Item C. 7. D. 22. §. 4: „eos, qui e causis non veris, fraude ac dolo dimissionem a Societate obtinuerunt, aut ex causis quidem veris et justis gravibusque delictis, sed ea intentione perpetratis, quo facilius demissionem extorquerent, nullo modo tutos in conscientia esse [censuit Congregatio]; et ejusmodi facultatem in conscientiæ foro irritam ac nullam prorsus esse; eosque in eodem foro omnibus subjacere apostatarum censuris ac pœnis. Et si hoc in exteriori foro constiterit, posse Superiores contra eos agere tanquam contra veros apostatas, juxta Societatis privilegia et sacrorum canonum dispositionem."

3. — Causam dimissionis quasi cogentem esse, dicunt Constitutiones, 104
turbare pacem, seminare discordiam, excitare inobedientiam, animos a Superiore alienare. — P. 2. c. 2. §. 3: „ac præcipue (dimitti deberet), si inquietum se ostenderet, et verbis aut actibus offendiculum aliis præberet, etc." — Præcipue P. 8. c. 1. §. 5: „si quis divisionis vel dissensionis eorum, qui una vivunt, inter se vel cum suo capite auctor esse censeretur, diligentissime ab ea Congregatione velut pestis, quæ eam potest summopere inficere, si præsens remedium non adhibeatur, separandus est." — Quod explicatur in decl. F. „separare intelligendum est, vel omnino a Societate dimittendo, vel in alium locum transferendo, si hoc sufficere videretur, et ad divinum obsequium ac commune bonum, judicio illius, qui curam ejus habet, magis conveniret."

Nemo ignorat, tempora Claudii Aquavivæ valde turbulenta fuisse ex malevola complurium sociorum machinatione. Unde severissimum istud — C. 5. D. 54: „quoniam diuturno quietis suæ detrimento Societas nostra satis superque experta est gravissima incommoda, quæ filii quidam prævaricatores et communis pacis illius perturbatores ac

rerum novarum architecti suis conatibus illi attulerunt; et multæ provinciæ majorem in modum id efflagitarunt, ut hujusmodi homines debitis pœnis castigarentur, etc." — Quocirca Congregatio declarat, ejusmodi homines tantorum malorum auctores aliorumque seductores velut pestem quam primum separandos esse, etc., etc — Item C. 6. D. 2.

Congregatio nona recenset, quinam sint perturbatores, et pergit in C. 9 D. 25: „his vero adnumerandos esse, qui libellis scriptis aut impressis Societatem ejusque vivendi aut gubernandi modum, aut Superiores traducunt; quique ita palam ac passim de Instituto obloquuntur, ut censeri possint velle alios in suam sententiam pertrahere." — „Cum autem ulterius quæsitum esset, quænam forma probationis requireretur ac sufficeret, ut quis damnari posset pœnis contra perturbatores impositis, censuit Congregatio, satis esse, si de crimine certo constet, juxta morem Societatis in Constitutionibus et in Pontificum Bullis approbatum."

Huc refertur etiam Indust. c. 17: „perturbatio pacis, et seminatio discordiarum et jurgiorum", ubi hujus morbi natura, indignitas, signa, remedia, speciatim explicantur: tanta cura est Societatis, ne ipsius filii neque ipsi damnum patiantur, neque aliis inferant.

105 4 — Quartam causam dimittendi aliquem statuunt Constitutiones, si comperiretur, impedimenta adesse, quæ ingrediens Societatem in examine tacuerat. — P. 2. c. 2. §, 3: „tale quid esset (contra bonum Societatis), si in probationum decursu aliqua impedimenta, vel insignes defectus, quos antea in examine tacuisset, detegerentur." — § 5: „si detegeretur vinculum matrimonii vel servitutis legitimæ, vel æs alienum magni momenti, quibus in rebus dum initio examinaretur, veritatem subticuisset."

Quum sint impedimenta diversi generis, et substantialia et secundaria secundum diversam eorum naturam in Parte prima explicatam, prudentiæ Superioris est considerare, quidnam in hoc casu agendum sit, utrum dispensatio requirenda, vel defectus tolerandi propter insignem aliquam aptitudinem et utilitatem hominis, an ad dimissionem descendendum. In promptu est, hominem qui ex industria talia subtacuit, jam inde minus dignum esse, qui in Societate retineatur.

106 5. — Utrum morbus sit causa sufficiens ad dimittendum ægrotum, pendet ex variis rationibus, considerandis diligenter et prudentur in singulis casibus, ad quos dijudicandos juvant quæ sequuntur:

107 *a.* — Si quis ingrediens Societatem jam affert secum morbum vel dispositionem, ex qua morbus secuturus prævidetur, tanquam effectus certus ex causa existente, distinguendum est:

α) si ingrediens rem celavit, statim cum manifesta fit, potest dimitti; est enim neque injustum neque iniquum, rejicere eum, qui non affert, quod adesse per se supponitur, nimirum sufficientem ad vocationem nostram sequendam corporis et mentis sanitatem. Nihilominus est in P. 2. c. 2. decl. B: „si in ingressu quis ægritudinem aliquam celasset, cum ea detegeretur, constat, liberius et justius eum dimitti posse. An autem revera sit dimittendus necne, propterea quod aliis dotibus magni momenti ad divinum obsequium polleat, prudentiæ Superioris relinquatur."

β) si ingrediens, morbo sincere manifestato, tamen periculi faciendi causa admissus est, habet c. 2. decl. B: „si ille, qui ingreditur, ipso in initio morbum aliquem vel dispositionem ad illum detexit, et ea conditione, ut periculum fieret sanitatis ejus, admissus est, cum cerneretur, non canvalescere nec labores Societaris ferre posse in posterum, dimitti ac extra domum, prout vera charitas dictaverit, juvari poterit." — Juvari potest ex charitate, at obligatio juvandi per se nulla est, ut patet; nisit aliunde oriatur ex rationibus accedentibus.

γ) si admissus fuit non quidem cum expressa conditione periculi facienda, sed potius cum spe valetudinis recuperandæ dicitur decl. B: „si ingressus est sine ulla conditione, manifestata quidem infirma corporis habitudine, sed spe concepta, quod ad majora aptus esset futurus, quam esse experimento comperiatur: quamvis etiam dimitti possit, animadvertendo, quod sanitate ad nostrum Institutuum necessaria careat, magis erit considerandum, num dimitti debeat necne." — Quodsi revera dimittitur, neque contra justitiam, neque contra charitatem peccatur, sicuti in casu præcedente

b. — Quando quis tempore novitiatus morbum contraxisset, quo 108
ineptus redditur ad nostrum Institutum, nullum dubium est, quin liceat eum remittere, quum ad hunc ipsum finem fit probatio biennii, ut constet, eum posse admitti ad vota, utpote aptum ad nostram vocationem. — c. 2. §. 4: „si tempore probationis in aliquo morbus aut debilitas hujusmodi cerneretur, cum qua eum non posse progredi in laboribus, quos noster procedendi modus requirit ad DEO in eo serviendum, videretur." — C. 5. D. 50. §. 3: „dimitti posset, etiamsi in ordinariis laboribus Societatis in morbum incidisset." — Nihilominus etiam in hoc casu distinguendum est:

α) „si novitius tempore probationis incideret in morbum ob quem inutilis esset Societati, cui morbo causam dederit indiscretio Superioris, v. g. si illi imponeret onus excessivum, charitas exigit ut retineatur nec dimittatur, si nolit æger. Sed si incideret in labem alio modo,

potest dimitti." — Lusit. 1586. — Saltem vetat æquitas, eum dimitti in priori casu.

β) quodsi novitius, quamvis ægrotus sit, tamen admittitur ad vota emittenda finito biennio, conditio ejus fit melior et ipsi favens: „tametsi in novitiatu apparuerint in N. aliqua signa epilepsiæ, non potest tamen ob eam dimitti, cum nihilominus admissus sid ad vota." — Gallobelg. 10 Dec. 1617: „nisi sponte petat, ut de mania responsum est." — Germ. 30 Oct. 1639.

109 *c.* — Emissis jam votis si quis morbum contraxit, non licet eum ex hac causa dimittere, nisi ipse petat dimitti, vel libere in dimissionem consentiat. Imo simpliciter eum dimittere, vocatur injustum.

P. 2. c. 2. B: „si, cum sanus ingressus fuerit, in obsequio Societatis in ægritudinem incidit, tunc enim, si ipsemet contentus non esset, justum non foret, hac sola causa a Societate dimitti." — Locus hic explicatur in C. 5. D. 50. §. 3: „locus P. 2. C. 2. B intelligatur de eo, qui in ægritudinem incidit in quocunque obsequio Societatis, postquam emiserit vota biennio exacto; is enim dimitti non potest, nisi ipse contentus esset. Nam si hoc accidat in novitiatu, dimitti posset ex parag. 3. ejusdem capitis, etiamsi in ordinariis laboribus Societatis in morbum incidisset."

Multa Responsa idem edicunt. — „Non dimittendus ex Societate, qui post vota facta post biennium, morbum contraxit, nisi ipse velit" Prov. Germ. 1585. — N N. ob debilitatem cerebri non est dimittendus, nisi, quando sanus est, petat et spes sit melius habendi in sæculo; nec inducendus, ut petat dimissionem; hoc enim esset mala fide agere." CC. 1624. — Dimitti quis non potest ob morbum caducum, nisi petat." 1639. — „Non potest quis dimitti ob maniam, in quam per intervalla incidit, nisi expresse et a nemine inductus petat." Germ. 14 April. 1639. — „Imo nec ille, qui ex morbo in Societate contracto ex capitis perturbatione crimen aliquod commisit." Lith. 13 Martii 1638. — „Lapsus in stultitiam non potest, ea duranta, dimitti aut votis solvi, licet parenti petenti tradi possit cum admonitione, eum esse Societatis et remitti posse etiam durante mania." Prov. Camp. 1 Aug. 1631. — „In dimittendis illis, qui ex defectu involuntario cerebri et ob periculum maniæ etiam petentes dimissionem videntur dimittendi, non tam attendendum, ut Societas onere liberetur, quam quid illis utilius futurum sit; hoc enim charitas postulat." Rhen. 8 Nov. 1609 et 14 April. 1613.

110 *Nota.* — Quando agitur de dimittendo ægroto, qui ipse petit dimitti, hæc tenenda sunt:

a. — Necesse est, ut ægrotus omnino libere agat et ultro ipse petat dimitti; non licet eum urgere, nec consensum ejus extorquere, imo nec consilium dare abeundi, nisi speciales rationes id suadeant. Hoc ex responsis allatis jam probatur, sed addamus nonnulla:

»Non sunt ullo modo inducendi, ut petant dimissionem, qui morbum in Societate contraxerint.» CC. 22 Oct. 1622. — «NN. non est ullo modo dimittendus ob infirmam valetudinem, nisi ipse petat, ad quod tamen non est inducendus.« Germ. 15 Julii 1617. — «Cum eo, qui videtur propendere ad maniam, aut qui ex delirio rediit ad sanam mentem, non est ullo modo agendum, ut petat dimissionem, multo minus dimittendus, nisi sponte et libere petat; hoc enim charitas postulat; sed cum charitate fovendus.» Austr. 21 Oct 1637 -- «Ut quis factus impos dimittatur e Societate, nisi parentibus petentibus, nec charitas Societatis nec justitia permittit.» Aquit. 25 Maii 1614.

b. — Quando agitur de dimittendo aliquo, ipse bona conscientia consentire potest, ut dimittatur, non obstante voto quod emisit: «promitto eandem Societatem me ingressurum, ut vitam in ea perpetuo degam.» Imo ægrotus sponte sua ipse petere potest, ut dimittatur. Nam votum istud factum est secundum Constitutiones; quæ quum permittant in casu infirmitatis tum petitionem dimissionis tum consensum in eam, neutrum vi voti emissi prohibetur.

6. — Causa sexta dimissionis locum habet, quando decursu tem- 111
poris apparet, hominem ineptum esse ad nostram vocationem sequendam. Quod si fit tempore biennii novitiatus, debet dimitti; si vero post emissa vota prima, potest dimitti. — P. 2. c. 2. § 3: „si experimento comperiretur, valde inutilem fore cum et per quem præpedienda magis, quam adjuvanda esset Societas, propter ejus insignem ad quævis ejus munera ineptitudinem." — §. 4: „ex parte vero animi, quando qui ad probationem admissus fuit, se componere ad vitam sub obedientia et juxta modum procedendi Societatis ducendam non posset, quod nequeat, vel nolit, proprium suum sensum aut judicium infringere."

Ex. c. 7. §. 2: „si quando studiorum tempore, qui majorem ad ea propensionem animi præ se tulerunt, quam ad aliud in Societate ministerium, ostenderent ac certum indicium præberent, unde Societas vel ejus Superior in Domino sentiat, eos idoneos non esse, ut in litteris proficiant, eo quod ingenio vel sanitate corporis destituantur, vel aliis defectibus laborent, interrogentur, an patienter se dimitti e Societate, dum ab omni voto ac promissione liberi maneant, sint laturi."

P. 4. c. 6. N: „si aliquis non aptus ad studia, sed ad alia ministeria idoneus videretur, posset intra Collegia vel domos Societatis iis occupari, quæ convenire viderentur; si ad utrumque inutilis esset, et in Scholasticum fuissit admissus, dimitti a Societate posset; nihilominus æquum erit, ut Rector, re bene considerata, ad Provincialem vel Generalem id referat, et quod sibi præscriptum fuerit, exequatur." — C. 5. D. 50. §. 3.

112 7. — Ultimo habetur causa dimittendi aliquem, qui necessarius est ad reparandum vel avertendum damnum a persona, quæ fruitur jure, ut hoc fiat per religiosum istum. Quod si accidit, agendum est juxta principia theologiæ moralis; innuitur hic casus in P. 2. c. 2. § 5. in reparando ære alieno magni momenti. Constat itidem, in extrema necessitate parentum, ad quos eripiendos filius religiosus necessarius est, eum dimittendum esse; imo potest egredi etiam invito Superiore. In gravi eorum necessitate Societas eum dimittere potest, sed non tenetur. — Attamen hoc rarissime accidet. Nam in tali necessitate parentum filius religiosus per se solum tenetur, salvo statu suo ejusque decentia laborare vel mendicare, etiam invito Superiore, ut parentes juvet.

Nota. — Proposita jam sunt principia generalia, quæ valent de dimissione e Societate; deinde causæ recensitæ in genere et in specie ex quibus dimissio fieri possit, imo debeat. Juvat plurimum, imo necessarium est, venire ad dimissione, e Societate juxta diversum modum, quo quis ei conjunctus est, sive diversam classem, cui adscriptus est: Scholasticus, Coadjutor, Professus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DIMITTENDIS SCHOLASTICIS.

113 1. — Non potest Scholasticus valide dimitti e Societate nisi ex causa vera et justa. Quamvis enim verba Instituti: „quamdiu eos Societas (vel Præpositus Generalis) retinere voluerit," omnino absoluta et generalia sonant, clarum tamen est, hic non intelligi in Societate vel Præposito voluntatem mere arbitrariam, sed rationalem, quæ in retinendo et dimittendo agat ex rationibus sufficientibus et ex prudentia suggestis.

a. — Quod explicat Suarez, tr. 10. l. 3. c. 9. §. 10: „Mihi simpliciter et absque distinctione dicendum videtur, dimissionem hujusmodi sine causa factam esse nullam; censeoque, conditionem illam, si Societas eum tenere volet, non esse intelligendam de mera ac pura voluntate, suo absoluto dominio et arbitratu volente, sed de voluntate, quæ prudenti arbitrio ex justa causa vult aut non vult. Hoc probo ex verbis Constitutionum." — §. 13: „ex quibus omnibus constat, in Constitutionibus Societatis semper requiri causam justam ad hanc dimissionem; et non alio modo nec majori libertate reservare sibi Societatem hanc facultatem... Merito etiam hoc declaratum esse dicitur in Indultis Apostolicis."

b. — Neque supponitur quisquam vota emittere Scholasticorum, sub hac conditione, ut possit etiam sine causa et pro mero arbitratu dimitti. — Suarez, ibidem, §. 14: „licet in rigore justitiæ stando possit

aliquis seipsum obligare vel donare sine ulla obligatione ex altera parte, sed relinquendo alium omnino liberum... tamen in præsenti materia et considerato fine ac circumstantiis talis status, non videtur hæc esse intentio personarum se tradentium Societati. Quamvis enim sciant posse dimitti, si male se gerant, et quoad hoc consentiant in libertatem seu potestatem Societatis; tamen persuasum sibi habent, quando se tradunt, se non posse dimitti, si recte se gerant et per eos non stet; et quasi sub hac conditione, quam et ex communi ratione status religiosi et ex propriis Constitutionibus et Bullis Societatis colligere possumus se tradunt.... Ergo talis dimissio sine causa facta est contra vim et firmitatem talis vinculi et ultra potestatem Societati reservatam; non est ergo valida."

c — Quod per se ratum verumque manet, etiamsi Scholasticus in 114 dimissionem sui arbitrariam consentiat. — §. 15: „atque ex his constat, prædictam resolutionem non solum procedere, quando quis ita dimittitur invitus, verum etiam, si ipse consentiat, per se loquendo. Ratio est, quia solus consensus religiosi non præbet justam causam ejectioni. Nam in hoc negotio non attenditur solum jus ipsius religiosi, cui ipsi potest cedere; sed etiam bonum ipsius religionis, et præcipue obligatio facta DEO; et ideo nisi in ordine ad hæc omnia intercedat causa sufficiens, non erit legitima ejectio. Contingere autem potest, ut ex parte religionis intercedat sufficiens causa et utilitas ad abscindendum tale membrum, quæ tamen causa non sit sufficiens ex parte religiosi, ut invitus rejiciatur; et tunc consensus religiosi conducere potest ad hoc, ut ejectio valeat et sit justa, quæ absque tali consensu non esset; non quia præbeat simpliciter justam causam, sed quia complet illam, vel potius quasi removet impedimentum, ut causa, quæ inerat, posset esse sufficiens." — Quod potest contingere, si quis per studia vel alios labores deficiat viribus.

2. — Quodsi Scholasticus (et idem est de Coadjutore formato, quum 115 etiam hujus vota sint simplicia) juste et rite dimittitur, vota ipsius eo ipso cessant per irritationem, ipseque liber fit ab omni obligatione religionis poniturque in ea conditione iterum, in qua erat ante ingressum; nisi sit in sacris ordinibus, quorum characterem et obligationes, uti patet, retinet. — P. 2. c. 4. §. 3: „declaretur iis, qui dimittuntur, quod absoluti maneant a votis simplicibus, si ea juxta formulam Societati consuetam, quæ in quinta Parte videbitur, emiserint quodque nulla alia dispensatione indigeant." — P. 5. c. 4. decl. B: „quodsi accideret [ut Societas eos dimittat], tunc illi liberi ab omnium votorum obliga-

tione manent." — Reg. Prov. 44: „declaretur iis, qui dimittuntur, quod liberi maneant a votis simplicibus, si ea juxta formulam Societatis consuetam emiserint." — In Bulla Gregorii „Ascendente": „nec in illis a quoquam præter Nos et Sedem hujusmodi dispensari, nec ea ullo alio modo, quam per legitimam dimissionem a Societate cessare posse." — Explicant Capita Œttingana n° 498: „Societas dimittens adimit illis statum religiosum, nolens illos in hoc porro agnoscere aut tolerare. Hic autem status religiosus fuit conditio, sub qua se vovens obligavit Societati; nec tenetur obligatione, nisi quamdiu duret conditio. Qua subinde sublata, per se cadit omnis obligatio votorum." — Suarez, tr. 10. l. 3. c. 9. n° 5. seqq.

116 3. — Societatis mens est, ne dimissi ex ipsa sua dimissione patiantur impedimentum, quominus rationem vitæ extra Societatem eligere et feliciter prosequi possint. Quare expressis etiam verbis enuntiatur, licere iis in nostris Universitatibus studere, nisi obstent graves rationes. — C. 1. D. 119: „an in scholis nostris, cum Universitatis curam suscipimus, eos admittere debeamus, qui a Societate defecerunt post emissa vota consueta Et responsum est, admitti debere, nisi ex admissione grave scandalum sequeretur; de quo quidem scandalo judex erit Præpositus Provincialis. Et ut rectius tunc hujusmodi homines excludi possent a scholis, impetranda est facultas a fundatoribus ad eos excludendos, qui sine gravi scandalo teneri non possunt." — Neque impediendi, quominus ad officia et beneficia ecclesiastica promoveantur — C. 9. D. 30: „cum propositum esset a P. N. Generali, placeretne Congregationi declarare, per Societatem nullo modo stare, quominus ab ipsa dimissi post vota simplicia ad officia et beneficia quæcunque admittantur: Patres summo consensu omnes statuerunt, nec esse, nec fuisse, nec fore unquam ad mentem Societatis, ut dimissi hujusmodi impediantur, quominus officia vel beneficia consequi possint, si alia quapiam ex causa indigni non sint; id enim a nobis exigere, quod Constitutionum P. 2. c. 3. §. 5. seqq. circa dimittendos commendatur."

117 4. — Sed dimissus e jurisdictione Societatis cujusnam Episcopi potestati ex jure subditur? Exstat Decretum Congr. Episc. et Regul. 6 Maii 1864, juxta quod dimissus redit sub jurisdictionem Episcopi originis aut prioris domicilii. Hæc decisio proprie est de dimisso ex Congregatione quadam, in qua vota tantum simplicia emittuntur; sed ex paritate casus certe etiam applicanda est dimissis ex Societate Jesu. — Et quando dimissus est in sacris ordinibus constitutus, censetur sus-

pensus a sacris, donec titulo clericali provisus est. Quum vero iniquum sit cogere Episcopum proprium, ut conferat v. g. beneficium vel munus ecclesiasticum ei, qui ipso nesciente et invito redit sub potestatem ipsius, relinquitur curæ ipsius hominis dimissi, invenire Episcopum, qui ipsum inter clerum suum recipiat. — Societati vero dimittenti nulla remanet obligatio pro sustentatione dimisso subministranda; quod alibi fusius traditur. — n° 314. 631. — C. 2. D. 77. — C. 7. D. 3. — Benedictus XIII. „Injuncti nobis," 14 Junii 1728: „hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus ac declaramus, memoratam Societatem JESU non teneri nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive congruæ sustentationis, sive alimentorum, sive alio quocunque titulo et causa illis faciendam, qui post biennium probationis et emissionis votorum simplicium extra dictam Societatem a suis Superioribus ejiciuntur, tametsi, dum in ea permanebant, ad sacros etiam presbyteratus Ordines sine beneficio ecclesiastico ac patrimonio et ad titulum religiosæ paupertatis promoti fuerint"

5. — Ultimo habetur P. 2. c. 4. §. 2: „communicationem facultatum aut gratiarum, quæ iis ut Societatis membris concessæ fuerant, simul atque membra esse desierint, constat cessare." — Clarum est per se.

ARTICULUS QUARTUS.

DE DIMITTENDIS COADJUTORIBUS.

In explicandis principiis generalibus, ex quibus causæ dimissionis, ut 118
valide fiat, dijudicandæ sunt, supra jam probatum est, causas has eo graviores esse debere, quo arctius quis Societati conjunctus sit. Quamvis autem Coadjutores formati Scholasticis æquiparentur quoad naturam votorum emissorum, quæ utraque sunt simplicia, et ipsæ etiam Bullæ et Constitutiones nihil proprium contineant de eorum dimissione, tamen ex arctiore eorum cum Societate conjunctione ultro infertur, pro iis dimittendis non sufficere simpliciter easdem causas harumque eundem gradum, prout in Scholasticis. Quæ etiam est ratio, cur in iis dimittendis solus Generalis habeat potestatem.

Optime hoc suo modo explicat Suarez, l. 7. c. 2. n° 11: „tertio ac præcipue differunt (Coadjutores et Scholastici) in strictiore obligatione ex parte religionis. Si quis enim consideret quæ hactenus diximus, hæc vota ideo tantum non sunt solemnia, quia non habent reciprocam obligationem et perpetuitatem ex parte religionis, et in hoc conveniunt

vota Scholarium et Coadjutorum. Diximus autem supra n° 3, non ita hoc esse intelligendum, ut ipsa religio nullo modo obligetur, sed ut non obligetur absolute, nec sine facultate retenta ad remittenda talia vota; obligatur tamen aliquo modo ad non dimittendum quacunque ex causa, ob quam Scholaris juste dimitteretur, sed plane graviore. Itaque ut rem magis explicemus: in hac non dimittendi obligatione ex parte religionis potest esse magis vel minus; et circa Coadjutores formatos est longe major; ideoque eorum vota magis accedunt ad perfectionem votorum solemnium. Et ex hac majori obligatione provenit, ut longe difficilius sit, expellere Coadjutorem a Societate, quam Scholarem. Nam ex pluribus causis potest hic expelli, interdum invitus, interdum ex consensu illius et religionis. Coadjutor vero, ut sentio, non tam pluribus, sed ex earum gravioribus quibusdam dimitti potest. Unde in Const. P. 2. c. 1. decl. A major dicitur esse in horum dimissione difficultas, et in decl. C reservatur Generali. Unde in Congregationibus secunda, tertia et quarta Generalibus, ubi de officio Vicarii agitur in hoc Professis æquiparantur. In particulari autem non invenio in Bullis vel Constitutionibus declaratam hanc differentiam secundum magis et minus... et ideo eam in particulari non definio, sed prudenti zelo et arbitrio Prælati committendam censeo. Experientia tamen mihi compertum est, longe difficilius Coadjutores dimitti; rarius enim hoc factum vidimus, illud vero sæpius. Oportet ergo, ut causa non temporalis, sed spiritualis sit, positiveque religioni contraria, et non tantum negative."

„In Scholaribus enim sæpe corporalis infirmitas sufficit, maxime si ipsi id petant; in Coadjutoribus autem formatis non esset talis causa admittenda, etiam ipsis petentibus. — In Scholari præterea satis erit, quod inutilis ad ministeria religionis videatur, prout hæc latius sunt exposita (3, 9); in Coadjutore autem minime, nisi etiam perniciosus sit. — In Scholari etiam non oportet semper exspectare, ut incorrigibilis sit, sed satis est quod difficilis naturæ se ostendat; in Coadjutore omnis curatio præmittenda est, ita ut prius se incorrigibilem ostendat. — Denique quia Scholaris adhuc in probatione est, non emendari aut non meliorem fieri, erit sufficiens causa dimittendi illum; in Coadjutore autem minime, quia jam cum talibus imperfectionibus v. g. admissus est, non ut probetur, sed ut probatus. Et ideo licet in eis maneat, expelli non potest. His ergo et similibus modis differentia hæc [inter Scholares et Coadjutores] intelligi potest."

Nota. — Nihil aliud hic addendum est; nam quæ dicta sunt in dimittendis Scholasticis in §§. 2. 3. 4. et 5. veniunt eodem prorsus modo de Coadjutoribus.

ARTICULUS QUINTUS.

DE DIMITTENDIS PROFESSIS.

Posse etiam Professos e Societate dimitti vel ejici, Constitutiones expressis verbis edicunt; sed quum hi sint quam intime conjuncti Societati, eorum dimissio fieri non potest nisi ex causis gravissimis. — P. 2. c. 1. A: „in quibusdam casibus etiam Professi, cujuscunque gradus et dignitatis in Societate sint, dimitti possent, si retineri sine detrimento illius ac divini obsequii non posse judicaretur." — Unde est, ut ipse etiam Generalis expelli possit. — P. 9. c. 4. §. 7; „si quid ergo horum (peccatorum mortalium) acciderit, potest ac debet Societas, si de re sufficientissime constaret, eum officio privare, et si opus est, a Societate removere: in omnibus præ oculis habendo, quod ad majorem DEI gloriam et universale bonum Societatis fore judicabitur." 119

1. — Quæ jus commune habet de dimittendis vel ejiciendis Professis religiosis, i. e. iis, qui solemnia vota emiserunt in ordine proprie dicto, per se valerent etiam in Societate JESU; sed valde modificantur per Constitutiones a Sede Apostolica approbatas. Proceditur igitur nunc extra Societatem in hac materia juxta Decreta Sacræ Congr. Concilii Tridentini, prout ex mandato Urbani VIII. 21 Sept. 1624 et Innocentii XII. 24 Julii 1694 emanant. — Ferraris „ejectio" n° 2. seqq. Ponames igitur distinctis numeris, quæ ibi continentur. — Craisson, „de jure canonico", n° 3085, seqq. 120

a. — Non sunt ejiciendi, nisi incorrigibiles.

b. — Incorrigibilis non est censendus religiosus, nisi ter de gravi delicto, sive eodem sive diverso, convictus et punitus, iterum graviter deliquerit.

c. — Requiritur insuper, ut in carcere conventus per sex menses continuos et non interpolatos in jejunio et pœnitentia probatus iterum graviter peccaverit. Sed ubi hæc pœna propter leges civiles imponi non potest, non ideo impossibilis est ejectio religiosorum incorrigibilium; sed prudentia erit, tunc recurrere ad Sacram Congr. Regul.

d. — Ejectio fieri nequit nisi a Generalibus vel Provincialibus cum consilio et assensu majoritatis sex gravissimorum religiosorum in Capitulo generali vel provinciali electorum, et in hoc casu a Generali confirmatorum.

e. — Processus fieri debet juxta Constitutiones et stylum cujusque ordinis.

f. — A sententia expulsionis per decem dies religiosus potest appellare ad Sedem Apostolicam et Sanctam Congregationem Concilii.

g. — Consentire debet Superior Generalis.

h. — Sententia expulsionis est statim a Generali vel Provinciali significanda Ordinario loci; qui tamen de justitia illius non potest cognoscere.

Nota. — Decretum Urbani 21 Sept. 1624 invenitur in Bullar. Rom. t. IV. p. 63 et 64; inter Constitutiones Urbani VIII. Constit. XXVI.

121 2. — Per se hæc Decreta stringunt etiam Societatem JESU; sed quum in Constitutionibus incorrigibilitas non sit sola causa dimissionis sive ejectionis, et quum ibi forma judiciaria nunquam præscribatur in hoc casu, plurimum interest scire, in quantum hæc Decreta etiam in Societate JESU applicanda veniant. Plures sunt, qui dicunt, emissis his Decretis Constitutiones juxta ea corrigendas vel mutandas esse, præsertim in eo, ut sola incorrigibilitas censeatur causa ejiciendi Professi. — ef. Montrouzier, c. 20. a. 2. §. 3. ubi etiam Réverseux et ipse Benedictus XIV. de Syn. l. 12. n° 16. tanquam hanc sententiam tenentes citantur.

Sed contra est declaratio Secretarii Sacræ Congregationis, ex Actis Archivii Congregationis deprompta: „Brevi post Sacræ Congregationi prospositum est dubium: cum nuper jussu Sanctissimi Domini Nostri editum fuit a. S. Congr. Conc. Decretum de Regularibus apostatis et ejectis, quæritur, an in ejusmodi Decreto comprehendatur religio Societatis JESU?" Die 21 Sept. 1624 S. C. Eminentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit: „Non comprehendi". — „Ita reperitur in tomo Resolutionum S. C. Concilii anno 1624, signat. foris: Libr. XII. Decret. S. C. Concilii ab anno 1619 ad annum 1626, folio 199, existens in Secretaria ejusdem S. Congr. sub supradictis die et anno. — In quorum fidem: Datum Romæ ex æd. Secretariæ hac die 9 Jan. 1857."

Loco † sigilli. — A. Queglin, Secretarius.

3. — Ex decreto Congr. Episc. et Regul. 4 Nov. 1892 n° 3. pristina Decreta Urbani VIII. Innocentii XII. et alia quoad methodum servandam in demissione sive expulsione Regularium manere declarantur, imo etiam servanda imponuntur Superioribus Institutorum votorum simplicium. — n° 4; dimissi vel expulsi, in sacris ordinibus constituti, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo iis consulatur, ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint;

et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. — n° 5: dispensati rite a votis simplicibus ex clausura non exeant, donec modo prædicto iis provisum sit, sub pœna suspensionis.

At habet eadem Congr. Episc. et Regul. 19 April 1893: „Rmus Pater Præpositus Generalis Societatis JESU in audientia particulari Sanctum Patrem supplex rogavit, ut, non obstante Decreto S. Congregationis Episc. et Regul. dato 4 Nov. 1892, Societas in expellendis seu dimittendis propriis alumnis, etiam Professis, procedere possit, ut hucusque factum est, juxta methodum statutam in propriis Constitutionibus, confirmatam Litteris Apostolicis, et præsertim Constitutione „Ecclesiæ Catholicæ" edita an. 1591 a summo Pontifice Gregorio XIV."

„Sanctitas Sua, ratione habita prædictarum Litterarum Apostolicarum et Brevis „Dolemus inter alia" diei 13 Julii 1886, quo eadem Sanctitas Sua agnoscit et confirmat privilegia Sociatatis, benigne dignata est annuere votis præfati P. Generalis ex eo magis quod, attentis prudentibus normis et cautelis, quæ adhiberi solent in expellendis et dimittendis membris Societatis, juxta vigentem methodum, affirmari possit, supra dictum Decretum Congregationibus, si minus materialiter, at quoad spiritum formaliter servari. — Sacra Congregatio Episc. et Regularium certior reddita hujus benignæ concessionis a Sancto Patre factæ, illam in Acta retulit."

A. S. Congregatione Episc. et Regularium die 19 Aprilis 1893.

† Card. Verga Præf.
† Jos. M. Arch. Caes. Pont. Secretarius.

Dicit igitur R. P. Generalis Ludovicus Martin in litteris, Fesulis die 11 Maji 1893 n° 2: „non obstantibus iis, quæ in tertia, quarta et quinta Decreti parte jubentur, retineri posse in Nostris, etiam Professis, e Societate dimittendis eandem omnino normam, quæ Instituto nostro præscribitur atque usu adhuc probata firmatur."

In litteris vero A. R. P. Nostri 12 Dec. 1894 hæc habentur: „Emus Card. Sacræ Congr. Episc et Regul. Præpositus, quum die 10 Sept. 1894 ad SS. Dominum retulisset, me postridie certiorem fecit, Suam Sanctitatem supremo suo judicio asseruisse, mihique per litteras denuntiari jussisse: Dispositiones Decreti diei 4 Nov. 1892 „Auctis admodum" sub n° 4. et 5. comprehendere et obligare etiam alumnos Societatis JESU.

Ut igitur ex Apostolico privilegio certissime constat, in Nostris, etiam Professis, e Societate dimittendis retinere nos posse normam ab Instituto nostro præscriptam, quemadmodum meis litteris die 11 Maii

1893 ad Provincias datis significatur, sic etiam ex posteriore hac Pontificis declaratione pro certo habendum est, Nostros in sacris ordinibus constitutos votisque religiosos obstrictos, si e Societate dimittuntur, prædicti Decreti dispositionibus sub n° 4. et 5. editis comprehendi atque obligari: siquidem Apostolicum privilegium in Societatis favorem, minime vero in favorem eorum, qui dimittuntur, concessum esse.

Utrum vero is, qui ita dimittitur, teneatur dispositionibus, quæ habentur sub n° 4. an potius iis, quæ habentur sub n° 5, ejus rei judicium ex causis pendebit, propter quas e Societate quis dimittitur. De quibus ut Præpositus Gener. non solum verissime judicare, sed etiam poscenti Sanctæ Sedi rationem reddere possit, Præpositi Provinciales in illud diligentissime incumbant, ut quæ de ratione tenenda cum iis, quos e Societate dimitti oportere judicaverint, Ord. Gen. c. 12. præscribuntur, tum præsertim accuratissime serventur, quum agitur de dimittendis iis, qui ad sacros ordines promoti votisque religiosis ligati sunt.

Curent igitur Provinciales Præpositi, ut quoties de aliquo ejusmodi e Nostris rite dimisso patentes litteras dabunt, si is quidem comprehenditur dispositionibus sub n° 4. editis, tunc verba illa:" liber ab ea per nos dimissus est," hunc in modum mutentur:" liber quidem a votorum obligatione per nos dimissus est; subjacet tamen dispositionibus Decreti *Auctis admodum* a S. Congr. Episc. et Reg. die 3 Nov. 1892 editi". — Pro ceteris vero e Societate dimittendis, qui votis religionis obstricti nullis sacris Ordinibus initiati sint, vel qui in sacris Ordinibus constituti, postquam Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, a votis religiosis legitime soluti fuerint, eadem adhibeatur patentium litterarum formula, qua adhuc usi sunt."

Nota. — Comp. Privil. novum: «Dimissio.» — Quodsi in priori editione Epitomes Instituti P. 6. c. 1. sect. 3. §. 1. dicitur: «excepto, quod Generalis Professos dimittere nequit sine speciali Sedis Apostolicæ facultate toties obtinenda», hoc falsum est, aut saltem ita explicandum, ut intelligatur dimissio Professi solutis votis solemnibus, quæ utique solvi non possunt nisi a Pontifice.

122 4. — Professus non potest e Societate dimitti vel ejici, nisi ex causis gravissimis, quum strictissimis vinculis ipsi conjunctus sit, nimirum votis solemnibus. Quare etiam hæc dimissio vel ejectio est pœna gravissima, qua Socius Societatis JESU puniri potest, et non imponitur, nisi in casibus extremis. — Apparet hoc ex Consultationibus cum Patribus Assistentibus anno 1598: „Professi inviti possunt dimitti duobus duntaxat in casibus: vel quando sunt incorrigibiles, vel quando delictum

est valde scandalosum et sufficienter probatum." — Quale delictum et quantum hoc loco intelligatur, non additur neque alibi invenitur; sed tota res dijudicanda relinquitur Generali, penes quem solum est facultas dimittendi etiam Professos secundum normam juris nostri.

5. — Quodsi Generalis, ductus gravibus causis, nolit Professum 123
delinquentem in pœnam delicti ejicere e Societate simpliciter, fieri potest, ut jubeat ipsum transire ad alium ordinem. Cogere quidem ipsum ut transeat, non potest; sed cogere ipsum potest, ut aut subeat pœnam in Societate ipsi infligendam, aut transeat ad alium ordinem, consentientibus Superioribus utriusque ordinis, et Societatis et ejus, qui illum suscipit.

Polon. 1621: „Professus qui non vult ingredi alium ordinem, quem ob delictum jubetur ingredi, retinendus quidem est, sed ita severe puniendus, ut quibus peccando fuit scandalo, punitionis gravitate stimulus sit ad virtutem." — Rhen. Super. 1033: „quodsi recusat transire ad alium ordinem nec se emendat, cogendus est pœnitentiis, etiam inclusione." Et additur in C. C. 1637: „etiam perpetua."

6. — Professus Societatis JESU, dimissus in pœnam commissi delicti, 124
eandem subit conditionem, quam Professus ejectus ex quocunque ordine. Proinde subest omnibus illis sequelis et effectibus, qui in jure communi de „religioso ejecto" statuuntur nisi a Pontifice solutus sit votis suis solemnibus, quod vix unquam fit vel factum est. Itaque:

a. — Subditur jurisdictioni et obedientiæ Ordinarii loci, et quidem sic, ut hic illi imperare possit non solum qua Episcopus ordinarius, sed etiam qua Superior religiosus; dummodo vel ipse Papa intervenerit, vel Generalis Episcopo consentienti delegatam suam potestatem commiserit. — Ex decreto Urbani VIII. tenetur etiam retinere habitum clericalem, vel habitum sui ordinis.

b. — Ab exercitio ordinis suspensus est; nec concionari illi licet, nec lectiones alias habere.

c. — Ordo dimittens non tenetur ipsi sustentationem præbere, nisi pendente lite. — Societas dimittens ad nihil tenetur, quod supra probatum est. n° 117. — C. 2. D. 77. — C. 7. D. 3.

d. — Quum dimissus sive ejectus non solvatur a votis solemnibus, 125
manent etiam horum essentiales obligationes, mutatæ quidem et adaptatæ novæ vitæ ejus conditioni. Scilicet:

α. — Quoad religiosam paupertatem: est et manet incapax dominii et inhabilis ad testandum; sed habet, prout necessarium est, usum

facti et administrationem rerum temporalium pro conveniente vitæ suæ conditione. Nec potest facere munuscula majora; et quæ acquirit, „monasterio acquirit", i. e. cameræ Apostolicæ, cui etiam post mortem bona ejus attribuuntur, de quibus ipse disponere non potest.

β. — Voto castitatis manet obstrictus juxta omnes ejus obligationes; et vivere tenetur castus, sicut religiosus.

γ. — Ex obedientia religiosa subjectus est Ordinario Episcopo; sed quia extra vitam communem degit, observatio regularum ab eo non requiritur. — „Liguor. l. 4. nº 81: „Ejectus a monasterii observantiis et regulis, ut a jejuniis, vigiliis, delectu ciborum, et similibus liber est; nec tenetur ad divinum officium, nisi sit in sacris. Ratio est, quia talium observatio non comitatur simpliciter professionem votorum substantialium seu statum regularem, a quo ille est expulsus."

δ. — Quapropter nonnullis videtur etiam liber esse ab observando voto quarto in Societate emisso de speciali obedientia summo Pontifici exhibenda circa missiones; quod votum emisit ea intentione, ut illud observet in Societate juxta regulas hujus, a quibus servandis tamen solutus est. — Sed gratis hoc omnino asseritur, cum nulla prorsus appareat ratio, cur istud quartum votum cessaverit, manentibus omnibus aliis.

e. — Ejectus, si habitum clericalem abjiciat cum animo non reassumendi neque clericalem neque regularem, fit apostata ejusque pœnis subjectus.

f. — Qui ejectus est ob falsa crimina, quæ ipse sibi imposuit, est apostata, nisi fraudem detegat.

g. — Ejectus ipse, tenetur se corrigere et petere, ut iterum admittatur. Per se etiam tenetur religio eum emendatum recipere, si probet emendationem testimonio Episcopi. Sed raro hoc expedit, et res bono modo componenda.

h. — Receptus iterum eo ipso restituitur in statum integrum ac antea, quia in votis adhuc est; nec novitiatum ingredi debet, nec iterum professionem emittere.

ARTICULUS SEXTUS.

DE SÆCULARIZATIONE RELIGIOSI PROFESSI.

Si contingat in Societate JESU, ut dimittatur Professus, solutis per Pontificem votis solemnibus ab ipso emissis, tunc desineret esse religiosus et ab omnibus votorum statusque religiosi obligationibus liber

rediret in statum sæcularem, manente utique voto castitatis ejusque obligatione, cum sit constitutus in sacris. Sed datur etiam alius modus ponendi religiosum professum extra religionem, quem vocamus sæcularizationem. De qua igitur quæ sequuntur.

126

1. — Quid sit hæc sæcularizatio et qui ejus effectus, quam clarissime explicat Aichner, Comp. jur. can., edit. 4. pag. 488: „per sæcularizationem via aperitur egrediendi, non ex religione, sed tantummodo ex monasterio. Nempe ex causis gravioribus Sancta Sedes nonnullis religiosis solemniter professis in sæculo degendi facultatem concedit, et quidem in habitu presbyteri sæcularis, retento interius aliquo regularis habitus signo, eaque lege, ut substantialia votorum suæ professionis, cum statu compatibilia, observent et sub obedientia Ordinarii loci, etiam in vim voti religiosi, vivant; i. e. ut Episcopus non eam tantum jurisdictionem in illos habeat, qualis illi in clericos sæculares competit, sed possit iis insuper præcipere in virtute obedientiæ religiosæ. — Porro hujusmodi religiosi in sæculo degentes ob votum paupertatis, quo manent obstricti, dominii incapacitatem retinent, ideoque nec hæreditates capere, neque testari de suis rebus, neque beneficium proprio nomine possidere, sed illud tantummodo nomine Sedis Apostolicæ administrare possunt, congruam sustentationem ex eo, non proprietatis, sed administrationis tantum titulo percipientes."

„Itaque vis indulti, quod dicitur sæcularizationis, hæc est: Regularis solvitur ab obligationibus, quas cum ordine per professionem contraxit; et vicissim ordo solvitur ab obligationibus erga eundem regularem contractis. Porro regularis intuitu ordinis sui communionem omnium bonorum spiritualium et temporalium amittit. Verum reliqua omnia sarta tectaque manent. Unde manent vota DEO nuncupata cum obligationibus suis substantialibus, manetque in suo vigore coram Ecclesia status religiosus, quem regularis per professionem participavit."

2. — De eadem materia tractans habet Bouix, De jure regularium, P. 6. sect. 4. c. 4. q. 1. pag. 489: „Posset summus Pontifex in votis etiam solemnibus dispensare, et de religioso solemniter professo non religiosum facere; id tamen admodum raro a Sede Apostolica fieri contingit. At vero indultorum, quibus summus Pontifex religiosos solemniter professos in sæculo degere, firma tamen manente votorum solemnium substantia, permittitur, occurrunt exempla plurima. Durante præsertim alicujus religionis violenta dispersione, solet ejusmodi generale indultum omnibus simul religiosis impertiri. Eos nempe summus Pon-

tifex locorum, in quibus versantur, Ordinariis tanquam propriis Superioribus subjicit, suspensa interim quoad proprios ordinis Prælatos subjectione. Sed et idem, extra dispersionis casum, disponit quandoque summus Pontifex erga nonnullos religiosos professos, sive ut parentibus in egestate versantibus subvenire valeant, sive ex causis aliis gravioribus."

„Sedulo distinguendi sunt illi religiosi ex indulto Pontificio in sæculo degentes ab ejectis ex religione. Nam — *a*, ejectorum conditio delictum, imo et incorrigibilitatem supponit, aliorum vero minime, cum fieri possit ex variis circumstantiis gravibusque de causis, ut Pontifex opportunum æstimet, religiosum aliquem, virtutibus et ingenii dotibus conspicuum, in sæculo degere, a Superiorum suorum obedientia solutum; — *b*, ejecti manent a sacrorum ordinum exercitio suspensi, nequaquam autem alii, qui possunt esse sine culpa."

3. — Acta Sanctæ Sedis, vol. 4, pag. 389 seqq. dicunt: Si de regulari agitur, qui sacris ordinibus fuerit initiatus, idem indultum per eandem Congr. Episc. et Regul. obtentum his similibusque verbis pro eorum adjunctis exprimitur: „Sanctissimus, attenta relatione Episcopi NN. et Patris Procuratoris generalis ordinis N. benigne annuit, et propterea mandavit committi eidem Episcopo, ut, veris existentibus narratis, et dummodo orator provisus sit de sufficienti patrimonio sacro rite constituto pro ejus congrua sustentatione, facultatem manendi in sæculo, quoad vixerit, in habitu presbyterati et retento interius aliquo regularis habitus signo, pro suo arbitrio et conscientia concedat, ita tamen, ut substantialia votorum suæ professionis cum novo statu compatibilia observet et sub obedientia Ordinarii loci, in quo morabitur, etiam in vim voti vivat cet."

Nota. — Hoc modo sæcularizatum etiam Professum Societatis JESU in mundo extra religionem vivere, Constutitiones non prohibent.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE PETITIONE DIMISSIONIS OBTINENDÆ.

127 Non raro accidit, ut in quæstione dimissionis obtinendæ religiosus ipse initium sumat formaliterque petat dimitti. Solam hanc religiosi voluntatem et petitionem, ut dimittatur, non esse causam sufficientem dimissionis validæ faciendæ, sed requiri ad eam alias causas sufficienter graves, ut vinculum, quo Societati conjunctus est, rite solvatur, per se clarum est. Multum proinde interest, maxime Superiorum, penes quos est facultas dimittendi, scire viam, qua in hac re incedendum sit.

Dimissio enim non pronuntiatur nisi postquam omnia media ad subditum corrigendum a Superioribus frustra adhibita fuerint. Peti igitur non debet dimissio eo quod de vocatione non constat; id enim ante votorum emissionem explendum erat. Votis factis certa, absoluta et irrevocabilis obligatio inde exsurgit, a qua se eximere tuta conscientia nemo potest, nisi ei de impossibilitate eam implendi certo constet. — 14 Martii 1843. — Attamen alia est idoneitas prout, in Scholastico approbato, et alia prout in Coadjutore formato.

1. — Præprimis media quædam via tenenda est: ne sint Superiores 128
faciles in annuendo statim ejusmodi precibus, neve ex altera parte eas statim et simpliciter repellant. Quod idem est, si quis licentiam transeundi ad alium ordinem a Superioribus efflagitat.

Ord. c. 12. §. 6: „erga eos, qui ex sua ipsi tentatione dimitti petunt, laxari habenas nullo modo convenit, ne tum quidem, cum, habita personæ ratione, utile Societati videretur, ab ea liberari. Non convenit, inquam, multas ob causas, tum quia ejusmodi difficultas nonnullos interdum ad saniorem mentem reduxit, tum propter aliorum etiam ædificationem, tum ut ad salutarem ipsis indifferentiam revocari queant, tum denique quia, si persuasio hæc, quasi janua omnibus statim pateret, perniciosa multis futura videretur. Sed quia hujusmodi homines, ubi ad certum gradum tentationis pervenerint, raro apti sunt ad Societatem, vitari simul alterum extremum necesse est, in quo versantur, qui illos omnibus modis semper retinendos censent: propterea quod Instituti nostri et ministeriorum ratio id minime ferret, nec ipsa tandem propria illorum utilitas, nec commune bonum Societatis, quæ tunc illos dimittit, non quia ipsi postulant, sed quia inutiles noxiique reliquo corpori effecti sunt et emendari nolunt."

2. — Qui petit dimitti, etiamsi causæ dimissionis concedendæ ipsi 129
quam maxime graves sufficientesque esse videantur, nihilominus indifferens sit oportet quoad ea, quæ Superiores de ipso statuant, paratusque eorum voluntati se subjicere. — Tolos. 6 Nov. 1612: „qui dimissionem petit cum indifferentia se submittendi judicio Superiorum, absolvi potest, cum non peccet contra votum; secus autem, si statuerit deserere Societatem, tametsi Superior judicet, non dimittendum. Adversatur enim voto, quo se obstrinxit Deo et Societati. „ — Prior qui est in debita ind ifferentia, vota interim renovare potest. — 1620. — Causam hujus indifferentiæ tenendæ ipsum responsum edicit; nam vinculum, quo religiosus Deo et religioni obligatus est, non est quasi ex con-

tractu libero, quem contrahens religiosus pro suo arbitrio solvere possit, sed, postquam semel libere ligatum est, ex virtute religionis et justitiæ, quarum obligationes non amplius pendent ab arbitrio hominis.

130 3. — Cum Generali ipso, penes quem solum facultas annuendi petitioni faciendæque dimissionis est, causæ, quas prætendit orator, perfecte communicandæ sunt, vel per ipsum petentem, vel per ejus Provincialem. — C. 7. D. 22. §. 1: „censuit primo [Congregatio,] eos omnes qui dimissionem petunt, nulla, justa apparente causa, et idonei alioquin ad Societatem judicantur, si Superiorum monitis non acquiescant, teneri Provinciali suo causas omnes, quas dimissioni obtendunt, cum propriæ manus subscriptione proponere, affirmareque, nullam aliam sibi rogatæ dimissionis causam superesse. Provincialis vero erit, causas illas cum Consultoribus diligenter examinatas ad Patrem Nostrum mittere, scribereque, quid tam ipse quam Consultores sentiant. Quas si Pater Noster non judicaverit ad dimissionem sufficientes et idoneas, sub obedientiæ præcepto perpetuum illis Provincialis silentium indicat, eosque, si non obtemperent, pro delicti qualitate severe puniat, publica etiam animadversione, si publica ad alios culpa promanavit. Sciantque tales, se in conscientia tutos non esse, sed mortali culpæ subjacere, quamdiu in illa animi obstinatione maneant." — C. 12. D. 12.

131 4. — Quodsi petens dimitti occultas prætendit causas, quid faciendum sit, præscribit C. 7. D. 22. §. 5: „qui ad dimissionem obtinendam secretas obtendunt causas, quibus se ineptos ad religiosam disciplinam votorumque observationem contendunt, teneri [censuit Congregatio] ejusmodi causas, si Patri Nostro ita videbitur, aperire Provinciali et immediato suo Superiori vel alteri; qui examinatis his causis sententiam suam ad Generalem perscribent, quo maturius aliquid de concedenda vel deneganda dimissione statui possit. Quodsi quis renuat, prædictis Patribus, cum Pater noster id expedire judicaverit, secretas illas causas aperire, spe omni careat dimissionis obtinendæ." — Cui decreto consonat Resp. Mutii in Polon. 15 Oct. 1642: „insuetum est, dimissionem e Societate concedere per arcanum sacramentalis Confessionis petentibus." — Revera, si hoc liceret, amplissimus campus pateret omnis generis tentationibus, insinceritatique quam maxime noxiæ!

132 5. — Petens dimitti nonnunquam sat impetuose agit, urgendo Superiores quodammodo, ut petitioni annuant; tunc bene distinguendum est.

a. — Si causæ, quas offert, per se sufficientes sint ad dimissionem concedendam, ita ut iste modus agendi impetuose et quasi cogendi Superiores sit tantum motivum impellens ad facilius annuendum petitioni, tunc dimissio impetrata quidem valida existit, utpote nixa in sufficientibus causis. Potest tamen hic modus agendi tam inordinate in se jam esse peccatum, ex defectu necessariæ in petente spiritus dispositionis, quæ nihil minus quam religiosam indifferentiam sonat.

b. — Sed fieri potest, ut ipsa talis importunitas impetuositasque justam dimittendi causam præbeat Societati. Huc pertinet C. 7. D. 22. §. 3: „illis, quibus e sola importunitate, cum alia nulla justa subsit causa, dimissionem concedere Societas cogitur, nonnisi cum obligatione aliam intrandi religionem, in qua regularis observantia vigeat, in posterum concedendam eamque obligationem Patentibus inserendam; ac nonnisi rarissime permittendum, ut liber omnino talium quispiam ab omni votorum obligatione ad sæculum redeat."

6. — Petens dimitti e Societate si sincera mente in omnibus agat, 133
putans nimirum, causas a se prolatas sufficientes esse ad faciendam validam dimissionem, tenensque se indifferentem ad ea, quæ Superiores, consideratis omnibus, de ipso statuant, post obtentam dimissionem quietus esse potest in conscientia, etiamsi dubitet, imo certo cognoscere putet, rationes a se prætensas in se non fuisse sufficientes. Nam actus dimissionis, etiam in hoc supposito rite a Superiore potestatem dimittendi habente factus, validus fuit validusque persistit, nec corrumpitur ex accidentali dubitatione vel cognitione.

7. — Econtra invalidam reddit dimissionem, qui falsas prætendit causas, aut patrat delictum ea intentione, ut in pœnam dimittatur. — C. 7. D. 22. §. 4; quod supra Art. 2. n° 2.

8. — Qui agit cum externis in hoc negotio dimissionis obtinendæ, 134
subjicitur censuris. — C. 7. D. 22. §. 2: „imponitur præceptum et pœna excommunicationis latæ sententiæ, Provinciali reservatæ, tum in illos, qui inconsulto Provinciali externos de dimissione sua in consilium adhibent; tum in illos, qui quocunque modo externorum auxilio vel intercessione ad dimissionem a Superioribus obtinendam utantur. Præcepti vero hujus transgressores, præter alias pœnas arbitrio Provincialis imponendas, longe sibi difficiliorem facturos dimissionem sciant."

CAPUT TERTIUM.

De modo dimittendi.

In perficiendo hoc negotio sibi peracerbo Superiores monentur, ut agant cum magna charitate, prudentia, discretione, secundum spiritum nostrarum Constitutionum. Nec potest propterea præscribi modus omnino æqualis et uniformis, in quacunque Nostrorum dimissione semper et stricte obtinendus, præsertim in dimittendis iis, qui votis emissis Societati jam arctius conjuncti sunt: Scholasticis, Coadjutoribus, Professis; prout habet P. 2. c. 3. decl. A: „in quibus charitas et discretionis donum a Spiritu sancto datum docebit modum, qui in eis dimittendis tenendus sit, si DEUS permitteret, ut hoc facere esset necessarium." — A fortiori hoc obtinet, quum nunquam, in quocunque Societatis membro dimittendo, requiratur quæ vocatur „forma judicialis," i. e nunquam necesse sit facere processum judicalem: inquisitionem, accusationem, defensionem, sententiam, ex privilegio Gregorii XIV. „Ecclesiæ catholicæ," 28 Junii 1591: „quod vero attinet ad dimissionem, declaramus, formam judiciariam adhibendam non esse, sed modum in Constitutionibus præscriptum et hactenus in ipsa Societate servatum de cetero servari volumus; nempe ut etiam sine aliquo processu, tela aut ordine judiciario, ac nullis terminis etiam substantialibus servatis, sola facti veritate inspecta, culpæ vel rationabilis causæ ratione habita, ac personarum aliarumque circumstantiarum, quarum consideratio sit cum caritate et prudentia conjuncta, procedi possit, auctoritate prædicta declaramus et decernimus." — Recte ad hæc observat Suarez, l. 10. c. 13. n° 6. et 7: „quum omittitur forma judicialis, nemo ideo putet, non debere præcedere informationes quam maxime accuratas et strictas quippe quod ex jure naturali requiratur;" imo opinatur Suarez, in dimittendo Professo aliquem processum, secundum formam a Generali præscriptam, præmitti debere, quum hic nonnisi propter commissum delictum dimitti possit ideoque nonnisi convictus. Quidquid sit de ejusmodi opinione, nemo non videt, etiam in hoc casu dimittendi Professi secundum Constitutiones cum modum teneri, qui licet non possit vocari processus seu forma judiciaria, eandem tamen, quam hæc, certitudinem præbeat, imo etiam majorem. — Supra n° 121 per totum.

ARTICULUS PRIMUS.

SI QUIS SEPARATUR A SOCIETATE.

Qui vero modus tenendus sit, habetur in nostra secunda parte Constitutionum et in Ordinationibus Generalium cap. 12; quorum summa tantum capita hic proferemus.

1. — Statim ab initio ad divinum petendum auxilium recurrendum 135
est, ut in hac re tam odiosa secundum ejus voluntatem semper procedatur. — P. 2. c. 2. A: „impensius rem Domino commendabunt." — Superiores dein, at ipse imprimis Provincialis, inquirant diligenter, an sint causæ et quales et quantæ ad dimissionem faciendam; an immediati Superiores debita cum diligentia egerint in curando homine avertendoque hoc ultimum, cet. Consulat dein suos Consultores, eorumque sententiam requirat. De his omnibus demum referat ad Generalem eique rem totam committat, cum penes ipsum solum sit facultas dimittendi. — Superioribus vero severe interdicitur, ne tempore intercurrente personam, de cujus dimissione agitur, ullo modo exponant publicis functionibus et ministeriis, sed domi contineant, habeaturque semper in omnibus ædificationis ratio. — Ord. c. 12. n° 3. et 10.

2. — In ipsa dimissione facienda studeant Superiores, eam in omnibus rationem tenere, ut charitas christiana et religiosa pietas omni ex parte salvæ sint.

a. — Qui dimittitur, ex modo agendi Superiorum recreetur, quod cum dolore et nonnisi ex necessitate eum a Societate separent. — P. 2. c. 3. §§. 5. 6. et 7.: „quod ad dimissum attinet, tria itidem observentur: primum exterius, ut recedat ex domo, quantum fieri possit, sine dedecore vel ignominia, ac secum omnia sua ferat. — Alterum interius, ut eum dimittere Superior curet, quantum fieri potest, charitate ac benevolentia erga domum, et quanta cum consolatione in Domino fieri poterit. — Tertium, ut circa statum vitæ studeat eum dirigere, ut aliquam convenientem viam serviendi DEO ineat, vel in religione, vel extra eam, prout divinæ voluntati convenientius fore videbitur. Demum consilio et oratione, et si quid aliud charitas dederit, juvare curet."

Nota 1. — »Secum omnia sua ferat." Quæ verba ut recte intelligantur, recur- 136
rendum est ad alia documenta, quum non absolute et eodem in omnibus modo applicanda sint. — Decl. B: »ea, quæ ipsius esse constat, difficile non est statuere,

ut secum ferat. Verum in iis, quæ vel expendisset vel dedisset Societati, vel alioqui si accidisset, ut ficto animo in domo vel Collegio ipsius habitasset, prudentiæ Superioris dimittentis relinquetur, ut, habita ratione tum æquitatis tum ædificationis, statuat, num illi aliquid amplius, quam quod invenitur de rebus ipsius, dari debeat necne, et si amplius, quantum." — Reg. Prov. 44: »Scripta vero an secum asportare debeat, consideret ipse [Provincialis] diligenter."

Resp. Tolet. 1584: »quid restitui debeat dimissis, pendet ex particularibus circumstantiis, ideo relinquitur abitrio Provincialis, qui ædificationis potius habeat rationem, quam utilitatis."

Resp. Prov. Austriæ 7 Jan. 1623: »tametsi dimissis de jure non sunt reddenda legitime Societati donata, etsi repetant, ad cavendas tamen lites et molestias sæpe expedire potest, reddere vel sortem vel fructus, ut ipsorum necessitati provideatur; qua tamen ipsa in re cavendum, ne præbeatur aliis scandalum et ansa facilius resiliendi." — Vide Sanchez, tom. II, p. 7. c. 1. n⁰ 34. fol. 262. — Palao tract. M. D. 3. p. 18. n⁰ 2. fol. 308. — Suarez, tom. IV. tr. 8. lib. 3.

Austriæ 18 Jan. 1635: »Domino N. videntur restituendi 900 florini olim donati, si repetat: et hoc arbitror servandum cum similibus a Societate dimissis." — Sicul. 1630: »in reddendis dimisso bonis non comprehenduntur, quæ post donationem Societati factam eis accreverunt. — Pater Pignatellus dimissus petiit sibi restitui quæ donaverat Societati. Omnes judicaverunt, de jure nihil deberi, reddendam tamen partem, et evitandas lites et scandala." — 1623: »non videntur tamen reddendi etiam fructus percepti saltem omnes, ad vitandum scandalum aliorum et ne præbeatur pusillis ansa resiliendi."

Prov. Boh. 12 Sept. 1643: »quamvis qui mala fide in Societate degit, animo scilicet finitis studiis v. g. ad sæculum revertendi, teneatur ad compensationem aliquam alimentorum perceptorum, possetque Societas ex more aliarum religionum jure exigere, praxis tamen hactenus aliter obtinuit; abstinuit enim ab omni actione forensi, contenta admonuisse sic discedentes officii, hortando potius quam cogendo, quod etiam nunc retinendum censeo." — Resp. Camp. 1628 ad 7: »Decisiones S. Congr. Conc. Trid., quibus ad cap. 2. de reform. sess. 21. statuitur, ut sacerdotibus dimissis e Societate de reditu annuo saltem 40 aureorum ex bonis religionis reddantur, prohibitæ sunt et nullius roboris." — Bohem. 1 Febr. 1600: »expensæ in dimittendos factæ ordinarie reddi debent loco, ubi dimissi sunt, ab illo Collegio, ubi causam dimissionis dederunt."

Nota 2. — Evenire etiam potest, ut dimittendus, antequam abeat, pœnæ sive satisfactioni pro patrato delicto subjiciatar; imo judicio Superiorum relinquitur dijudicare, an hoc moraliter necessarium sit. – CC. 1601: «qui propter delictum dimittitur, ordinarie debet prius puniri, conformiter delicto, propter occultum occulte, propter publicum publice.» — CC. 15 Martii 1641: «qui male se gessit nec puniri potest, patentibus inseri potest, eum dimitti propter demerita.» — Hoc intelligendum videtur in delicto publico; nam est Resp. Tolet. 1584. «non cum dedecore dimittendi sunt; neque exprimenda causa in patentibus, etiamsi ante dimissionem aliquando puniendi sunt» — Congr. Gallobelg. et Lithuan. 1646: «quando dimittendus dedit causam in uno Collegio, sed dimittitur ex alio, non potest Superior sine violatione secreti exigere expensas a Collegio priori. Item quando dedisset causam in uno Collegio, sed perfecisset in alio. Vel tertio: permittitur prudentiæ Provincialis, ut statuat de expensis.»

Nota 3. — Dimittendis omnino debent explicari causæ suæ dimissionis. — Et quæ etiam attendenda sunt: Aquitan. 1 Dec. 1623: «dimissus seu ejectus ex culpa, est quidem liber a votis, ut possit inire matrimonium; sed utrum tutus sit in conscientia, magis ambiguum est.» — Ib. 1648; «qui ut dimissionem extorqueat, patrat turpia, si crimen sit occultum, castigetur occultis pœnis; moneaturque, se tutum non fore in conscientia, quum dimittitur ob ista, sed censuris apostatarum fore obnoxium.» — Hactenus igitur, quæ tenenda sunt in dimissione cum ipso dimittendo.

b. — Circa communitatem vero et externos curetur, ne excitatio vel perturbatio oriatur. — P. 2. c. 3. §§. 8. 9. et 10: „ut satisfiat aliis domesticis et externis, tria etiam observentur. Primum est, ut, quantum fieri poterit, curetur, ne quid perturbationis in alicujus animo propter dimissionem maneat, ratione reddita, quantum satis erit, quibus reddi opus sit; abstinendo quantum fieri poterit a defectibus, qui publici non fuerint, declarandis, quamvis in eo, qui dimittitur, nonnulli deprehensi fuissent." — Decl. C: „reddere rationem causarum, propter quas aliquis dimittitur, vel non reddere in communi vel particulari, magis vel minus conveniet, prout is qui dimittitur in majori vel minori existimatione, et magis aut minus domi et foris carus fuerit." — §. 9: „alterum, ne male affecti maneant erga dimissum, et quantum fieri possit, ne de eo male sentiant, sed potius ejus vicem doleant, et in CHRISTO eum diligant, ac divinæ Majestati in suis orationibus, ut eum dirigere et ei misericordiam impendere dignetur, commendent." — §. 10: „tertium, ut detur opera, ut ejus exemplo juventur, si qui minori cum ædificatione quam par esset, domi versantur, et timeant ne sibi tantumdem accidat, si nollent proficere; et externi itidem quibus id innotuerit, ædificationem accipiant, quod domi non toleretur id, quod, tolerari ad DEI gloriam non debet."

3. — Post dimissionem: sæpissime dimissi, ut iterum in Societatem 137
admittantur, instantissime petunt; quod si accidit, cautissimi sint Superiores oportet, quum experentia constet, ejusmodi homines parum aptos esse ad Societatem, et iterum receptos plerumque iterum dimittendos esse. Quod dicit Reg. Prov. 46. in hoc casu: „sed advertatur, hujusmodi homines raro idoneos ad Instituti nostri disciplinam inveniri." — Unde:

a. — Quando dimissus petit, ut iterum recipiatur, plura distinguenda sunt, ex P. 2. c. 4. §. 7: „si, qui fuit merito dimissus ad eandem domum, unde dimissus est, rediret ad quamvis satisfactionem paratus, si adhuc eædem rationes, propter quas fuit dimissus, manerent, perspicuum est, non esse admittendum: si non manerent, et qui dimisit,

judicaret DEO gratum fore, ut denuo reciperetur in eandem vel aliam domum, admoneat Generalem vel Provincialem Præpositum, et quod ab eo præscriptum fuerit, exsequatur."

b. — Quando iterum recipitur, habet §. 8: „qui redit, si admittitur, denuo examinari debet, et generalem confessionem facere ipso in ingressu, ab ultima quam fecit inchoando; et aliis probationibus et experimentis exercebitur, prout Superiori, habita semper ratione ædificationis universalis et particularis, ad gloriam DEI videbitur." — C. 8. D, 58: „si valida dimissio sit, et qui dimittitur solutus est votis, nonnisi post expletum biennium ad vota admittendus est, quamvis in probationibus dispensare cum illo possit Provincialis juxta Ord. Gen. c. 1. §. 2."

c. — Quodsi dimissus sit injuste et irrita fuerit dimissio, iterum admissus eo ipso omnibus suis juribus iterum potitur. — C. 8 D. 58: „is qui sine culpa et sine ulla penitus causa e Societate expulsus est ita, ut invalida sit dimissio, in pristinum statum absque novitiatu restitui debet."

Nota. — An expediat, cum dimissis e Societate in mundo degentibus quandam familiaritatem fovere, prudentia docebit, quum plerumque pendeat ex rationibus, ob quas dimissus fuit. Ordinarie melius est, non intimum esse cum iis, attamen cum religiosa dignitate, quando res id postulat, eos tractare.

ARTICULUS SECUNDUS.

SI QUIS ELEVATUR AD DIGNITATEM ECCLESIASTICAM.

138 1. — Quæ in jure communi hac de re statuta sunt, locum habent etiam in Societate JESU, quando ejus socius quis ad episcopatum vel cardinalatum promovetur; hac elevatione vinculum quo religioni junctus est, minime solvitur, manentque omnes obligationes cum dignitate recens accepta compatibiles, quum ratio status religiosi substantialiter perseveret.

a. — Jam habet sanctus Thomas 2. 3. q. 88. a. 11. ad· 4: „religiosus, qui fit episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiæ, ita nec a voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ. Similiter etiam non absolvitur a voto obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habet; sicut nec abbas monasterii, qui tamen non est ab obedientiæ voto absolutus." — Eodem modo Benedictus XIII. Constit. „Custodes" 7 Martii 1725: „ iisdem regularibus, tam ad episcopatum quam ad cardinalatum evectis, præcipitur in virtute sanctæ

obedientiæ, ut singulis suæ regulæ officiis et obligationibus, quæ pontificale aut Cardinalatus officium minime impediunt, perpetuo subsint." — Ex eadem ratione Urbanus VIII. voluit, ut episcopus quidam ex ordine Minimorum obligatus maneret ad jejunandum per totum annum, eo quod in isto ordine „votum vitæ quadragesimalis" ab omnibus ejus sociis emitteretur. — Lig. I. 4. n° 2.

b. — Nec minus Societatis ipsius mens et intentio est, retinere 139
professum Episcopum sibi conjunctum, quum ex professorum voto simplici quinto obliget eum ad audiendum et casu quo sequendum consilium, quod Pater Generalis ei dare dignabitur. Quod facere non posset, si Episcopus Professus ipsi obstrictus non maneret vinculo religionis. — Et idum est quando quis ex Nostris qui non est professus elevatur ad Episcopatum; quod apparet ex eo, quod Congregatio vigesima secunda egit cum Episcopo Miège, tunc temporis nondum professo. Nimirum professionem emisit tandem anno 1875, postquam ad Societatem anno 1873 regressus erat. Hunc igitur admisit Congregatio generalis uti legitimum membrum, quum esset etiam Superior Nostrorum im montibus saxosis. — C. 22. 8. 5. — Utique per exceptionem hoc factum est; sed probat saltem Sacerdotem Societatis Episcopum factum manere unum ex Nostris. — Addidit tamen pro futuro novum decretum, C. 22 D. 41: „ad quæstionem propositam de iisdem Nostris ad Episcopatum evectis, dum actu Diœcesim vel Vicariatum Apostolicum regunt, etiamsi missionariorum nostrorum Superiores sint, a Patribus Deputatis responsum est, eos in Congregationibus nostris nec vocem activam nec passivam habere, tum ob varia juris canonici et Constitutionum Apostolicarum Decreta, tum quia non possent Comitiis nostris interesse, quin aliquomodo iis, qui eisdem præsident, subjicerentur; tum quia deberent, ubi Societas exigeret, a residentia abesse, quod eis a jure ecclesiastico non permittitur. Hoc Deputatorum judicium Congregatio sua auctoritate probavit."

c. — Quæ sit talium Ecclesiæ Prælatorum conditio in ipsa Societate, 140
declarant decreta Congregationis Generalis. — C. 22. D. 2: „de Professis nostræ Societatis, qui consecrati sunt Episcopi, aut Vicarii seu Delegati Apostolici munere funguntur, Congregatio innixa inprimis Bullæ Pauli PP. IV." In Sacra B. Petri Sede," 29 Julii 1559, unanimi fere consensu censuit, illos in electione Præpositi Generalis vocem passivam habere non posse. Neque enim propria auctoritate Societas hujusmodi Professos a muniis Episcopatus vel Delegationis summi Pontificis mandato commissis, evocare aut evellere posset."

D. 40: „si aliqui e Nostris ante ultima vota ad Episcopatum assu-

mantur, sive Episcopi sint Ordinarii, sive Vicarii aut Delegati Apostolici Congregatio, perpensis rationibus hinc inde allatis, et præscindendo omnino a quæstione juris, decrevit, ut dum his muneribus funguntur, ad professionem vel ad gradum Coadjutorum spiritualium non promoveantur."

141 2. — Quamvis vero religiosus ad Episcopatum vel Cardinalatum evectus ordini maneat conjunctus, obligationes tamen ipsius religiosæ modificantur secundum naturam novæ dignitatis, qua nunc gaudet. Nimirum:

a. — Votum castitatis manet in summo suo rigore quoad omnes ejus obligationes, quum eo obstrictus sit etiam ex ordine sacro, quem habet. — Quoad votum obedientiæ autem hæc mutantur: manet ex eo obstrictus obedientia religiosa, at non amplius suo Superiori regulari, sed soli summo Pontifici tanquam omnium ordinum Superiori religioso summo, ita ut hic etiam ex obedientia religiosa ei imperare possit.

b. — Voti vero paupertatis obligationes modificantur juxta naturam, novæ dignitatis, ex qua in alia omnino vitæ conditione et necessitate constitutus est:

α. Non potest quidquam acquirere nec possidere tanquam sibi ipsi proprium, sed solum suæ mensæ episcopali vel suæ ecclesiæ; horum vero bonorum usum facti habet, uti necesse est ex status sui conditione.

β — De bonis ecclesiasticis disponere ei licet tantum ad suam congruam sustentationem; quæ supersunt erogare tenetur sive ad eleemosynas, sive ad alias pias causas.

γ — Quod parcius vivendo sibi subtrahit, potest de eo pro arbitrio disponere. — Lig. l. 4. n° 2.

δ — Hæreditatem sibi obvenientem intrare potest, attamen tantum ad utilitatem suæ ecclesiæ quoad proprietatem et ad proprium usum quoad fructum. — Congr. Conc. Trid.

142 *Nota.* — Quum Episcopi Professi Missionum Superiores in administrando grege sibi comisso utantur tum sacerdotibus sæcularibus, si quos habent, tum præprimis plerumque Nostris; quumque qua Episcopi Missionarii Congregationi Propag. subjecti sint, satis difficile semper fuit, accurate definire, quæ esset eorum potestas quoad Nostros et quæ eorum oblgatio ad Societatem. Inde evenit, ut nomine ipsius Pontificis pluries a Congregatione emanarent Decreta, quibus res in utramque partem clarius et particulatim statuerentur. Quorum Decretorum tria potissimum usu venerunt et notanda sunt:

Decretum Cong. Propag. 12 Augusti 1851, approbatum a Papa jam 10 Augusti, hæc statuit: — *a*, Professus Societatis JESU ad Episcopatum elevatus dispensatus est a voto simplici non acceptandi dignitatem ecclesiasticam extra Societatem; — *b*, similiter a voto audiendi consilium Generalis, respective sequendi illud; —

c. est eo ipso Superior Nostrorum; — *d.* et quoad administrationem subjectus Congregationi Propagandæ.

Nemo non videt quantopere distent hæc statuta ab iis, quæ Constitutiones de Episcopis Professis habent. Ne miremur igitur, quod mox jam allaboratum est, ut Decretum istud modificaretur; quod bis factum est: — Decretum Cong. Prop. 23 Febr. 1880. ex quo prioris Drecreti lit. *a.* et *b* omnino tolluntur; lit. *d.* manet; lit. *c.* constituit præter Episcopum alium e Nostris «Superiorem religiosum», ejusque facultates definit. — Quod ut accuratius etiam fiat, emanavit Decretum Congr. 19 Jan. 1886. Sed difficile est, descendere ad omnia particularia et minuta utriusque auctoritatis, tum Episcopi Professi quoad Nostros, tum Superioris religiosi; et res tum demum bene componentur, si uterque, procedentes sincere in promovenda sola Dei gloria, concordant.

ARTICULUS TERTIUS.

SI QUIS TRANSIT AD ALIUM ORDINEM.

1. — Ex jure communi licet omnibus religiosis, a laxiori ad arctiorem religionem transire. Quod habet Innocentius III. anno 1206, cap: „Liceat, 18. X de regular. (III. 31):" „Talis ergo, sc. qui licentiam transeundi cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, ut non ficte, sed vere ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare, postquam a Prælato suo transeundi licentiam postulaverit, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione prælati. Quocirca noverint universi, quibus hujusmodi privilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de jure teneri; quia sicut subditus a prælato cum humilitate ac puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, sic profecto prælatus subdito sine difficultate et pravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem sanctiorem aut laxiorem ex charitate an ex temeritate transire, Superioris est judicium requirendum, ne forte angelus Satanæ in lucis angelum se transfiguret." 143

Urbanus VIII. statuti ulterius in Decreto: „Sacra", § 3: „ut de cetero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit, eam religionem paratam esse, illum recipere, qui licentiam petit; tumque regularis recte se transferat ad arctiorem." — Ex his duobus Decretis apparet, satis esse, si petat licentiam transeundi ad strictiorem ordinem religiosus; nec requiri, ut etiam licentia detur. Quodsi vero transeat non petita licentia, certe peccat; controvertitur autem inter doctores, an talis transitus sit invalidus necne.

144 2. — Nihilominus plurimæ religiosæ familiæ a Sede Apostolica impetrabant privilegium, ex quo etiam ad transitum in strictiorem ordinem prævia Superiores licentia requireretur, excepto plerumque transitu ad Carthusienses. Ita Societas nostra ex Constitutione Pauli III. „Licet debitum" 18 oct. 1549: „ac inhibemus, ne quis post emissa vota secundum Constitutiones prædictas, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor Societatis hujusmodi sit, ad quemvis alium ordinem etiam per Sedem prædictam approbatum, Carthusiensium duntaxat excepto, (*quæ exceptio etiam sublata est, uti sequitur in n°* 4.) nisi de expressa ipsius Præpositi aut dictæ Sedis licentia transferri: egressi vero alias, quam ut præfertur, de ordine seu consortio hujusmodi, in nullo alio, præterquam Carthusiensium præfato ordine, admitti, recipi vel retineri possint; ipsique Generalis et alii inferiores Præpositi, per se vel alios, sic egressos, ac alios quoscunque dictæ Societatis apostatas, ut etiam alios quosvis insolentes, et qui id mereri videbuntur, in quocunque habitu apostatas prædictos contigerit inveniri, excommunicare, capere, incarcerare et alias suæ disciplinæ submittere; et ad id, si opus fuerit, auxilium brachii sæcularis invocare libere et licite valeant." — Idem Pius IV. et Pius V. Æquum reputamus," 17 Jan. 1566; et dicunt, excommunicationem ipso facto incurri.

145 3. — In iisdem Constitutionibus Pontificiis statuitur: quod transeuntes ad Carthusienses intra tres menses, ad alium vero ordinem intra tempus eis a Superiore suo præfigendum, dictos ordines actualiter ingredi, et si in illis permanere nolint aut non possint, absque ulla mora ad Societatem regredi teneantur, sub excommunicationis pœna, quam tam ipsi, quam illos recipientes vel eis auxilium, consilium vel favorem præstantes etiam incurrant.

De iis, qui volunt ingredi Carthusiam, sic habet Gregorius XIII. „Exponi nobis" 13 Oct. 1584: qui vult transire ad Carthusiensium ordinem tribus mensibus ei a Superiore præscriptis, si intra eos non ingrediatur, vel non admittatur, vel non perseveret, non solum redire tenetur ad Societatem, sed etiam ei non licet amplius, respectu Carthusiæ, a Societate sine Præpositi ejus consensu recedere. Qui secus fecerit, in excommucationis et alias apostatarum censuras et pœnas eo ipso incurret, a quibus nonnisi a Romano Pontifice vel a Generali Societatis absolvi poterit.

146 4. — Ex bulla Gregorii XIII. „Decet Romanum Pontificem" 1 Nov. 1579, in regionibus „extra Europam" nemo, etiamsi simplicia tantum

vota emiserit, ad ullum ordinem, ne ad Carthusiensium quidem, transire potest, sine speciali et in scriptis licentia Præpositi Generalis obtenta, sub excommunicationis aliisque pœnis reservatis Pontifici. [Continetur in Bulla Clementis XI. „Sacri Apostolatus" 1 Dec. 1719.] — At neque „intra Europam," ex communicatione privilegii concessi Carmelitis Discalceatis a Paulo V. in litt. Apost. 1 Aug. 1626.

5. — Etiam ad ordinem minus strictum transeundi licentiam dare penes Generalem Societatis est, ex Consitutione Gregorii XIII. „Cum alias" 22 Sept. 1582: „statuimus, ut deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos judicaverit ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Præpositi licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemvis alium, Mendicantium vel non Mendicantium, paris, laxioris aut arctioris abservantiæ ordinem, per ipsum Præpositum illis præscribendum, de consensu tamen Superiorum loci illius, quo destinabuntur, demigrare in iisque professionem per loci illius monachos aliosque regulares ejusdem emitti solitam emittere, habitumque suscipere et consueta uti eorum disciplina." 147

Nota. — Hoc privilegium generale est pro omnibus casibus, etiamsi ex parte transeuntis culpa commissa non sit. Directe quidem datum est, ut sit Societati facultas liberandi se ab hominibus culpa sua inutilibus quum Pontifex det causam concessi privilegii: »Societatis ipsius puritati atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes.« — Quodsi professus delinquens jubenti Superiori, in alium ordinem transire, parere noluerit, usu veniunt Responsa supra jam citata. — Polon. 1621: «Professus, qui non vult ingredi alium ordinem, quem ob delicta jubetur ingredi, retinendus quidem est, sed ita severe puniendus, ut quibus peccando fuit scandalo, punitionis gravitate stimulo sit ad virtutem.» — Rhen. Super. 1633: «Quodsi recuset transire ad alium ordinem, nec se emendet, cogendus est pœnitentiis, etiam inclusione» — et juxta CC. 1637: «etiam perpetua.» 148

CAPUT QUARTUM.

De iis, qui sponte recedunt a Societate.

SUFFICIT ea hic proferre, quæ jus positivum statuit de iis, qui quomodocunque sua sponte Societatem relinquunt.

1. — Si quis, post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, ab ea ad sæculum recesserit, etiam prætextu cujusvis Indulti concessi aut concedendi, absque expressa sui Superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta, ipso facto est excommunicatus et absolvi nequit, nisi a Romano Pontifice vel Superiore Societatis — Pius V. „Æquum reputamus." 149

2. — Deficientes a Societate post tria vota etsi simplicia, elapso biennio probationis emissa, tanquam veri apostatæ puniri possunt, et excommunicationi latæ sententiæ atque aliis apostatarum pœnis subjacent, Sedi Apostolicæ vel Præposito Generali Societatis reservatis. — Gregorius XIII. „Ascendente."

150 3. — Nostri ab ordine recedentes, nisi, post mandatum cujusvis Superioris eisdem factum, intra octo dies proximos ad obedientiam redierint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrunt, soli Pontifici Summo reservatam; eidemque sententiæ subjacent omnes, qui eis auxilium, vel favorem præstiterint. — Ex communicatione cum Eremitis sancti Augustini, ex Bulla Julii II. „Ut religioni tuæ" 7 Oct. 1507, conceditur Provincialibus facultas absolvendi, per se vel per alios, eos qui sine licentia discessissent, postquam redierint.

151 4. — P. 2. c. 4. §. 4: „ad eos reducendos, qui sine licentia recederent, si prius parum idonei ad Societatem habebantur, nulla diligentia opus erit; sed potius dirigantur ad aliud Institutum, ubi DEO servire possint, relaxato illis voto, ut omnes scrupuli eis eximantur."

5. — §. 5: „si hujusmodi essent, ut DEO gratum fore videretur, eos non sic relinquere, præcipue si ex aliqua vehementi tentatione, aut ab aliis decepti egressi videantur, diligentia adhiberi ad eos reducendos poterit; et privilegiis ad negotium hujusmodi concessis a Sede Apostolica, quantum Superiori in Domino videbitur, uti licebit. Et cum aliquis horum sic reductus esset, relinquetur prudentiæ ejusdem Superioris, ut videat, num satisfactione aliqua opus sit, et quanta: an melius censeat, omnino in spiritu mansuetudinis procedere. Qua in re et ejus, qui reductus est, bonum et ædificatio domesticorum spectanda est."

6. — Qui exierit a religione sub prætextu nullitatis suæ professionis, non audiatur ad allegandam quamcunque causam hujus nullitatis, nisi prius redierit. — Conc. Trid. s. 25. c. 19. de reform. — at tunc nec agatur judicialiter coram Societatis Superiore et loci Ordinario. Nec licet a religione migrare, nisi duas sententias conformes, in prima et secunda instantia (nam debet defensor professionis semper appellationem interponere) nullitati faventes retulerit. Alias apostatarum pœnis subjicitur. — Comp. Priv. n° 50—55.

Tertia Pars Constitutionum.

De iis conservandis et promovendis, qui in probatione manent.

„In iis conservandis in sua vocatione, qui retinentur et probantur in domibus et Collegiis, et in eisdem juvandis, ut sic proficiant in via DEI, spiritu et virtutibus, ut sanitatis et virium corporis, quæ ad laborandum in vinea Domini necessariæ sunt, ratio habeatur, consideratione et providentia debita opus est" — P. 3. c. 1. §. 1. — Agendum igitur est de omnibus rebus, hanc secundam quæ vocatur probationem spectantibus, quae quam gravissimi sit pro tota vita futura momenti, Sanctus Parens Noster hisce verbis satis innuit. — Dividitur hæc pars in duo capita, quibis tamen aliud caput tertium apte adjungitur: „De confessariis et confessionibus Nostrorum".

CAPUT PRIMUM.

Quæ spectant ad novitiatum in genere.

1. — Finis faciendi novitiatus hic est, ut præparetur homo ad rite 152
emittenda post elapsum biennium vota religionis; et ut fiat Societas certa, quod futurus sit dignum corporis hujus membrum aptumque suo tempore instrumentum ad exercenda ejus ministeria. Eruitur inde duplex pars hujus finis:

a. — Societatis est, ut instituendo et erudiendo hominem modo sibi proprio per biennium, acquirat moraliter loquendo certitudinem de eo, quod aptus futurus sit ad nostram vitam prosequendam, tutaque proin conscientia ad vota facienda admittatur.

b. — Novitii ipsius est, ut degendo vitam juxta rationem Societatis et subeundo varias hujus temporis probationes, de die in diem progressum faciat in vita religiosa, et quidem modo practico et effectivo.

Unde ei duplex fit emolumentum: primo experitur facto et opere, an revera talis vita religiosa ipsi conveniat; secundo, vivendo juxta modum nostrum eo ipso acquirit sensim virtutes homini religioso necessarias, præcipue eas, quæ vitam tam ordinatam et strictam in communitate exornant.

Nota. — Unde elucet, novitiatum non esse ad hoc, ut homo eo tempore pergat adhuc inquirere et theoretice scrutari, an habeat revera vocationem religiosam; nam de hac re supponitur jam fuisse certus, quando ingressus est. Sed ratio novitiatus præcise in eo est, ut homo, vivendo et agendo secundum modum religioso proprium, imbibat magis magisque internum religionis spiritum, jaciatque primum fundamentum vitæ spiritualis. Attamen, quamvis res ita se habeat, negari non potest, posse nonnunquam accidere, ut tempore hujus biennii vel Societas, vel ipse novitius experiendo cognoscat, prius istud judicium de ingressu Societatis non fuisse rectum; et proin hominem ad sua redire debere, cum non sit a DEO vocatus ad Societatem.

P. 3. 1. §. 1.: „ut in iis admittendis, quos ad nostrum Institutum vocat DEUS,.... ita in iis conservandis in sua vocatione, qui retinentur et probantur in domibus vel collegiis, et in eisdem juvandis, ut sic proficiant in via DEI, spiritu et virtutibus, ut sanitatis et virium corporis, quæ ad laborandum in vinea Domini necessariæ sunt, ratio habeatur, consideratione ac providentia opus est." — P. 4. Procem. — Supponitur igitur, de vocatione jam haberi certitudinem.

153 2. — Proprium est Societatis, habere duos annos novitiatus præter legem in aliis religionibus observatam de uno tantum anno; et hoc propter majores vitæ nastræ difficultates. — Gregorius XIII. „Quanto fructuosius" 1 Febr. 1583: „ad quæ pro dignitate exsequenda, et ad difficultates superandas subeundaque pericula, quibus dictæ Societatis religiosi in hujusmodi excursionibus et ministeriis exponuntur, cum hæc magnum tum virtutis tum devotionis præsidium postulent, statutum est, ut et novitii in Societate prædicta per biennii spatium probentur, et qui expleto novitiatu litteris operam dederint, illorum studiis absolutis, tertium etiam annum probationis in humilitatis exercitiis expendant, ut, si qua in re vel hujus virtutis amor, vel pietas ac devotionis fervor per litterarum occupationem distractus intepuerit, per earundem virtutum frequentiorem exercitationem et divinæ gratiæ ardentiorem invocationem restauretur." — Ex. c. 1. § 12: „ad hæc, antequam quisquam admittatur vel ad simplicia vota Scholasticorum superius dicta secundum Institutum nostrum emittere teneatur, biennium integrum ad probationem habebit." — Ex. c. 4. §. 16. — c. 6. §. 8.

P. 4. c. 5. §. 3: „ad hæc, illi solum in Scholasticos approbatos

admittuntur, qui in domibus vel Collegiis ipsis probati fuerint, et biennio in variis experimentis et probationibus exacto, ac votis cum promissione de Societatis ingressu jam emissis, ad vitam in ipsa perpetuo ducendam, ad gloriam DEI admittuntur." — P. 5. c. 4. §. 3 seqq. — C. 2. D. 14. — Instr. c. 6. §. 5; „non educendi e novitiatu Scholastici, nisi biennium absolverint."

Conc. Trid. sess. 25. de Regul. c. 16. statuit pro omnibus religionibus, ut unus tantum annus novitiatus agatur, quo finito vel ad professionem novitii admittantur, vel e religione dimittantur. Pergit dein; per hæc tamen sancta Synodus non intendit, aliquid innovare aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis JESU juxta pium eorum Institutum a Sancta Sede Apostolica approbatum Domino et Ejus Ecclesiæ inservire possit" — Retinet igitur Societas biennium novitiatus, pro quo habendo gavissimæ militant rationes.

a. — Non est aliquid omnino novi, quod novitiatus etiam in aliis ordinibus ultra unum annum protrahatur; fiebat hoc scilicet in nonnullis novitiis, qui currente hoc anno minus se probaverant, qui tamen spem faciebant, fore ut diutius probati idoneos se redderent.

b. — Sed dico ultra: cum Societas vitam mixtam profiteatur, contemplativam et activam simul, sitque hac ratione quodammodo religio dupliciter, mirum non est, quod etiam habeat, ut ita dicam, duplicem statim ab initio probationem, seu duos annos probationis, ut utrique fini satisfiat.

c. — Accedit, quod Nostri absoluto novitiatu statim ad vitam sat diversam transeant, sive incumbendo litteris, sive operando in vinea Domini. Utraque autem hæc vitæ ratio postulat homines in virtute jam satis firmatos, ne fervor in novitiatu conceptus externis his occupationibus mox intepescat.

d. — Dein, cum in Societate quædam austeritates externæ ex præscripto regulæ assumendæ desiderentur, quibus alii religiosi ad fovendum spiritum salubriter utuntur, necesse est, ut homines Societatis eo magis statim ab initio vitæ religiosæ in spiritu roborentur stabilianturque.

e. — Ultimo, ædificantur etiam externi, cum vident, Societatem, dum rigorem in externis aliquatenus remittit, eo diligentius statim ab ingressu fortiter insistere in vita interna formanda. — Suarez, l. 2. c. 4. §. 4.

Coroll. — Hoc biennium novitiatus incipit, uti habetur in C. 7 D. 98: „a die, qua quis in Societatis domum a Provinciali, probationem inchoaturus, in Sociorum numerum admittitur, in quacunque demum

domo vel Collegio id fiat." — Reg. Mag. Nov. 26. — Addenta tamen quædam statuta particularia circa durationem novitiatus.

154 α — Generalis habet potestatem abbreviandi. — P. 5. c. 1. decl. C: „quamvis hoc ita se habeat (de biennio novitiatus), tamen ut prorogari, ita et contrahi hoc spatium quibusdam in casibus, ex causis tamen non levis momenti, judicio Præpositi Generalis, cujus erit dispensandi jus, licebit; raro tamen id fiet."

β — Hæc potestas Generalis restringitur in C. 5. D. 12: „statutum fuit auctoritate Congregationis, ut deinceps in nullo casu exerceri liceat facultatem illam dispensandi in contrahendo biennii spatio ad hoc, ut quispiam ante expletum biennium censeatur verus religiosus et Scholasticus approbatus per emissa vota simplicia Scholasticorum Societatis, quam facultatem concedit declaratio P. 5. c. 1. C. Per hoc tamen non intenditur hanc declarationem abrogari, sed solum facultatis, quæ in ea conceditur, usum prohiberi."

Ipsum hoc decretum dein fusius explicatur in eadem C. 5. D. 63: „id non videtur repugnare declarationi P. 5. c. 1. C. tum quia, ut facultas dispensandi, quæ in ea concessa est, possit aliquem effectum habere, satis est, si excerceatur in contrahendo tempore biennii ad professionem in casu aliquo emittendam; tum etiam, quia nunquam videtur evenire posse, ut opus sit illud contrahere ad admittendum in gradum Scholasticorum vel Coadjutorum." — Si igitur Generalis contrahat biennium in ordine ad emittenda vota simplicia, agit illicite, quia contra expressum decretum; videtur tamen talis dispensatio valida omnino esse, quia facultas dipensandi ipsa ei non est erepta.

155 *Nota.* — Pius IX. in Constitutione 19 Martii 1857 »prohibet, ne quis ad solemnem professionem in religione admittatur ante tres annos religionis integros ab exacto tyrocinio computandos.« Unde videtur evacuata esse facultas Generalis contrahendi novitiatus biennii etiam in ordine ad emittendam solemnem professionem, cum hæc ex Constitutione pontificia nonnisi post tres annos vitæ religiosæ a factis votis simplicibus emitti possit. — Nihilominus stat adhuc illa Generalis potestas, modo elapsus sit annus unus tyrocinii ex præscripto Tridentini. Nam Constitutio ista Pii IX. non pertinet ad Societatem. Quia:

aa, manifestum est, finem hujus Constitutionis »ad universale bonum« non esse in hoc, ut etiam in Societate Jesu aliquid innovetur, sed potius, ut quod in ea jam observabatur, simili aliquo modo etiam in aliis religionibus observetur.

bb. quod etiam elucet ex modo agendi summi Pontificis; nam Pius IX. antequam hanc Constitutionem promulgaret, venire ad se jussit omnium ordinum Generales, ut cum iis rem communicaret, excepto tamen Generali Societatis Jesu: nimirum ea de causa, quod hæc religio, quum jam habeat æquivalentem legem, hac nova lege non tangebatur.

cc, sed posito, hac Constitutione per se etiam Societatem adstringi, applicari

tamen posse videtur reg. jur. in VI: »quod generi per speciem derogetur.« Cum enim jus commune pugnat cum jure speciali, praefertur semper speciale. Non enim censetur legislator huic derogare voluisse, nisi de ea expressam faciat mentionem.

dd, et de facto ipse Generalis cum omnibus Assistentibus hanc sententiam tenebat, et juxta eam etiam agebat. — Ita P. Anderledy ad P. Wernz, 25 Martii 1877.

γ. — Generalis eximitur a præcepto Tridentini, ne quis admittatur 156
ad novitiatum ante annum decimum quintum expletum. — Benedictus XIV. „Exponi nobis" 30 Jan. 1753: „pro tempore existenti Præposito Generali Societatis JESU: ut ipse, enuntiato decreto (Conc. Tridentini) minime obstante, facultate sibi a Constitutionibus dictæ Societatis, auctoritate Apostolica pluries confirmatis attributa: admittendi ad habitum et novitiatum illos, qui decimum quartum suæ ætatis annum duntaxat attingunt et annum hujusmodi minime expleverint, dummodo tamen ad illam professionem per eos emitti consuetam nisi completa ætate a Conc. Trid. præscripta minime admittantur, libere, licite et absque ullo pœnarum ecclesiasticarum incursu possit et valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus." — Imo Leo XII. die 2 Martii 1827 concessit, ut ad novitiatum possint admitti pueri anno ætatis duodecimo expleto, modo non admittantur ad vota, nisi tempore a Constitutionibus et summis Pontificibus statuto. Et causa additur, ut mature eripiantur periculis undecunque irruentibus: „del libertinaggio e dell' incredulità."

δ. — Provincialis potest dispensare in secundo anno novitiatus, ex com- 157
missione Generalis, in ordine ad studia inchoanda, in casibus singularibus. P. 4 c. 3. §. 4. — C. 2. D. 14: „in secundo tamen anno novitiatus possit a Provincialibus, ex commissione Generalis circa studium dispensari, habita ratione locorum et temporum, prout in Domino expedire judicabitur." — Dein C 20. D. 12: „tantum iis, quibus [studia] permitti possunt sine spiritus detrimento"

ε. — De tempore emittendi vota in fine biennii habetur Resp. Gen. in Prov. Germ. 10 Maii 1619: „non emittenda vota biennii probationis ipso anniversario die, qui biennium claudit, sed postridie, ne quis scilicet de non expleto biennio dubitanti locus relinquatur. Quod quum sit negotium non levis momenti, denuo in memoriam revocare volui." — Et Resp. Flandr. 1608: „ad vota emittenda omnino necessarius dies unus supra duos annos ad tollendos scrupulos."

Nota. — Quoad eos, qui vocantur ad militiam agendam, scribit P. Anderledy 3 Aug. 1890: — 1. si juvenes nostri ad militiam agendam evocantur biennio

novitiatus expleto prudentia suadet, ut ad vota tantum devotionis et temporaria admittantur. — 2. qui possunt unum vel alterum annum junioratus explere antequam tempus evocationis ad militiam instat, possunt emittere vota religiosa in fine biennii, si judicantur firmi esse et constantes. — 3, si evocantur post unum annum novitiatus peractum, non censentur interrumpere novitiatum, quia non discedunt cum animo relinquendi ordinem—Possunt proin redire ad resumendum iterum exercitationes novitiatus, si bene se gesserint, et complere biennii tempus, quod tamen prolongari potest ex judicio Provincialis. Si hic judicat expedire, ut denuo biennium novitiatus incipiant, secundo anno possunt applicar studiis.

158 3. — De certo vestitu novitiorum nihil præscriptum est. — Ex. c. 1. § 13: „habitus ullus certus Societatis non sumitur." — et decl. F: quamvis nullus habitus certus sit, discretioni tamen ejus, qui curam habet domus, relinquitur, an cum iisdem vestibus, quas ex sæculo tulerunt, incedere sint permittendi, an cum aliis eas permutari oporteat." — P. 1. c 4. §. 4: „postquam in Domino statuetur, quod ad probationem aliquem admitti conveniat, solitis vestimentis indutus, aut pro cujusque devotione, nisi aliud Superiori videbitur, ingredi poterit." — P. 3. c. 2. C: „convenit, ut qui probantur, vestitus ratione ad mortificationem et abnegationem sui, et ad mundum ejusque vanitatem sub pedibus conculcandam juventur." — Mag. Nov. 40: „experimentum est, indui vestibus vilioribus, quæ tamen religiosos deceant". — P. 6. c. 2. M: „non tamen repugnat, quod, qui Societatem ingrediuntur, si panno pretiosiore aut re simili induti venerunt, eo uti possint."

Ex his patet, quantopere Societati cordi sit, ut Nostri statim ab initio in re tam delicata, quæ est vestitus ratio, maxime si coram externis apparere debeant, solide probentur et mortificentur, modo parcatur decentiæ religosæ. — Olim candidati accipiebant vestem religiosam die duodecimo, sed usitatam jam; nunc plerumque novam, qua tamen induti maneant per totum biennium, ita ut satis cauti esse debeant, ne citius nimis trita appareat.

4. — De habitatione novitiorum hoc tenendum est, ut sit locus separatus, quo spiritus recollectio servetur.

a. — Itaque novitii habitent in domibus sejunctis, vel saltem in sejuncta domus parte — C. 2. D. 14: „expedit in quavis provincia domum aliquam probationis institui, vel conjunctam Collegio, in distincta tamen habitatione, vel separatam, in qua novitii biennio suo exercerentur." — P. 1. c. 4. A: „cum domus primæ probationis distincta et conjuncta nostræ habitationi esse non posset, curandum est, ut in nostris domibus aliqua habitatio separata ad id designetur, ut qui

admittuntur, minorem habeant occasionem conversandi cum aliis, qui non fuerint a Superiore deputati."

b. — Hæc novitiorum separatio a reliquis religiosis, cum ipsorum formationi tam necessaria sit, a primis fundatoribus religionum jam commendabatur, v. g. a sancto Benedicto; imo sanctus Basilius hujus institutionis servandæ septem dat rationes sat apertas: „ut novitii majorem reverentiam habeant erga sacerdotes; ne occasionem elationis suscipiant; ne scandalum patiantur pusillorum: ne se perfectiores putent antiquioribus; ne appetant, quæ provectioribus tantum concedi possunt; ne strepitu novitiorum ceteri molestentur; ut servetur melius disciplina religiosa." — En, nil novi sub sole.

CAPUT SECUNDUM.

De mediis in novitiatu adhibitis.

UT finis novitiatus apte et efficaciter attingatur, plurima a tironibus exercentur, quorum nonnulla hoc tantum biennii tempore in usu sunt; plura tamen, quum sint media generalia ad vitam spiritualem et religiosam fundandam et nutriendam, etiam postea per totam vitam tenenda sunt. Utrumque harum exercitationum genus ea ratione assumitur, ut novitius proficiat in vita nobis propria ducenda, per usum continuum eam sibi magis magisque familiarem reddat, atque ita de die in diem Societatis spiritum altius imbibat genuinusque ejus filius evadat.

ARTICULUS PRIMUS.

EXERCITATIONES TYROCINIO PROPRIÆ.

1. — Leguntur singulis sex mensibus ex pluribus Bullis gravissima 160
capita ad Institutum nostrum spectantia; item Examen et regulæ. — Ex. c. 1. §. 13: „primum id fiet, dum in domo primæ probationis erunt...; secundo id fiet, sex mensibus experimentorum et probationis elapsis; tertio post alios sex menses; et sic deinceps, donec professionem, qui studiis absolutis Professus, et tria vota, qui Coadjutor, et tria itidem vota cum sua promissione, qui Scholasticus approbatus est futurus, emittat. Quod ideo fit, ut utrinque majori cum claritate et cognitione in Domino nostro procedatur; et ut, quanto fuerit magis

probata singulorum constantia, tanto stabiliores et firmiores sint in divino servitio et vocatione prima, ad gloriam et honorem divinæ Majestatis." — Fit igitur hæc lectio, ut novitius statim ab initio res nostras clare percipiat acquiratque de rebus omnibus rectos conceptus, quibus amor vocationis et studium perseverandi firmentur. — Ex. c. 3. §. 15. — c. 4. §. 41. — non obstantibus difficultatibus, quarum notitiam dum legendo haurit, contra eas jam munitur, antequam in ipsum irruant. Præterea hæc semestralis exercitatio jam præparat ad eam postea faciendam occasione renovationis votorum, quæ post prima vota fit bis in anno.

2. — Exquiritur ex novitiis iterum iterumque, utrum eorum, quæ leguntur et proponuntur, rectam intelligentiam habeant firmamque voluntatem exsequendi ea. Informationes capiuntur, quomodo novitius se gerat in singulis experimentis subeundis; magis etiam in faciendis exercitiis pietatis: quomodo meditetur, instituat examen, præperet se ad confitendum, et cetera: ut falsa emendentur et solidus modus in omnibus edoceatur. Interrogatur, an vires corporales et spirituales sibi suppetere sentiat ad perferendos labores, qui in Societate assumuntur; num deliberatum habeat animi propositum, vivendi et moriendi in Societate JESU Domini nostri. — Mag. Nov. 64. seqq.

3. — Redditur ratio conscientiæ fitque confessio generalis singulis sex mensibus, ex eadem ratione. — Mag. Nov. 67.

161 4. — Veniunt tandem sex experimenta novitiatus præcipua, quæ vocantur; de quibus habetur Ex. c. 4. §§. 4. — 25.

a. — Primum est, in spiritualibus exercitiis mensem unum plus minusve versari. Hoc experimentum juvat plurimum et multipliciter; primum ad sensum mundanum efficaciter reprimemdum jaciendumque firmum fundamentum novæ vitæ abhinc degendæ; secundo dant consuetudinem habitumque orandi per repetitas et continuas fere orationis exercitationes; demum probat jam novitius per modum, quo se habet in singulis per totum hoc tempus, an sit firmæ voluntatis faciatque spem perseverandi in vocatione arrepta. — §. 10.

162 *b.* — Secundum est, servire in uno vel pluribus xenodochiis per mensem alium, cet., ut magis se demittant et humilient, ac eo veluti argumento demonstrent, se prorsus ab hoc sæculo ejusque pompis ac vanitate recedere, ut omnino suo Creatori ac Domino pro ipsorum salute crucifixo serviant. — §. 11.

c. — Tertium est, peregrinari mensem alium sine pecunia, imo suis

temporibus ostiatim pro CHRISTI amore mendicando, ut possint ad incommoditatem comedendi ac dormiendi assuefieri; atque adeo, ut omni spe illa abjecta, quam in pecuniis et rebus aliis creatis possint constituere, integre cum vera fide et ardenti amore eam in suo Creatore ac Domino constituant. — §. 12.

d. — Quartum est, omni diligentia et sollicitudine in variis officiis abjectis et humilibus se exercere, bonum sui exemplum in omnibus exhibendo. — §. 13.

e. — Quintum est, doctrinam christianam, vel aliquam ejus partem, pueros et alios rudiores homines, publice vel privatim, et prout occasio obtulerit et in Domino commodius fuerit, docere. — §. 14.

f. — Sextum est, ulterius ad prædicandum vel confessiones audiendas, vel in utroque se exercendum, pro tempore et loco et hominum dispositione progredi. — §. 15.

Nota. — De his sex novitiatus experimentis tenendum est:

α. — Non sunt absolute necessaria. — Ex. c. 4. §. q: «poterunt anteponi et postponi et moderari, et aliquo in casu auctoritate Superioris, habita ratione personarum, temporum et locorum, tum ceterorum quæ occurrerint, in alia permutari.» — P. 9. c. 3. E.

β. — Sunt, quod dicitur, «præcipua» novitiatus experimenta. — Mag. Nov. 27: «intelligat [magister novitiorum], præcipuam novitiatus partem in his probationibus positam esse.» — Possunt igitur et alia multa addi in eundem finem.

γ. — Vita nostra religiosa ejusque firmitas et incrementum plurimum inde pendent. Quod videre est in ipso sancto Ignatio ejusque primis sociis, qui simili modo probati per totam vitam postea tam heroicas virtutes colebant.

δ. — Fideliter tenenda sunt. — P. 9. c. 3. E: «penes Generalem erit, ut omnia experimenta, et plura etiam quam illa sex.... fiant.» — Mag. Nov. 37. seqq.

ε. — Attamen possunt mutari rationabili de causa: «quando alicui non conveniret, quod generatim convenit, cujusmodi esset hospitale vel peregrinatio.» — P 9. c. 3. E.

ARTICULUS SECUNDUS.

ALIÆ EXERCITATIONES GENERALES.

Præter has exercitationes novitiatui proprias de quibus modo egimus, 163
aliæ fiunt statim ab initio tyrocinii, ut homo, excusso amore mundano, in vita religiosa erudiatur et spiritu confortetur; suntque ea media omnibus vitæ temporibus necessaria, sine quibus unio ista familiaris cum DEO, quæ est vita vitæ nostræ, omnino non habetur.

1. — Separatio ab externis, etiam consanguineis. — Ex. c. 4. §. 6: „communicatio, quæ cum amicis et sanguine junctis verbo aut scripto fit, potius ad quietis perturbationem, quam ad eorum, qui spiritui vacant,

profectum, præsertim in initiis, facere solet." — Etiam decl. C. — Unde est, quod litteræ scribendæ examinentur. — P. 3. c. 1. §. 2: „quod ad animum attinet, cum tanti referat, eos, qui in probationibus versantur, ab omnibus imperfectionibus et quibusvis impedimentis majoris spiritualis profectus removere, multum ad id confert, omnem communicationem per verba et scripta ut abjiciant cum iis, qui in proposito sibi Instituto intepescendi causa esse possent; et ut in via spirituali incedendo, cum iis duntaxat personis, et de iis rebus agant, quæ juvent in divino obsequio ad id consequendum, quod in ingressu Societatis sibi ut scopum præfigebant." — decl B: „si aliquando permittendum videretur, ut consanguineos vel amicos, quos, cum esset in sæculo, habebat, alloqueretur, coram aliquo a Superiore designato id fiat et breviter, nisi particulares ob causas is, qui supremam curam habet, aliud statuerit." — §. 3: „eadem de causa egredi domo non debent, nisi quando et cum quo socio Superiori visum fuerit. Nec domi hi cum illis pro suo arbitratu colloquantur, sed cum iis tantum, qui a Superiore præscripti fuerint; quorum exemplo et spiritualibus colloquiis ædificationem accipiant, non autem offensionem, et proficiant in Domino." — Unde prohibentur etiam omnia studia. — P. 3. c. 1. §. 27: studia vero litterarum in universum loquendo in domibus non erunt...; sed studium, in quod incumbent, qui in domibus Societatis probantur, id esse debet, quod eos magis ad superius dictam abnegationem sui et in virtutibus ac devotione profectum juvabit.

2. — Silentium novitiis observandum est, strictius etiam atque aliis. — P. 3. c. 1. D: „ut plurimum novitios inter se conversari non convenit, sed silentium invicem observare, nisi in rebus, in quibus loqui necesse sit. Agent vero potius cum maturis ac prudentibus, qui scilicet a Superiore cuique fuerint designati. Sic etiam, si duo in eodem cubiculo lectulos suos habeant, alter eorum hujusmodi sit, ut minime dubitetur, quod alter ejus societate proficiat, et eandem ob causam inter cubicula, quæ seorsum unicuique juniorum assignantur, par est, aliquos ex antiquioribus intermisceri"

3. — Modestia et decentia. — §. 4. „omnes diligentissime curent, portas sensuum suorum, oculorum præcipue, aurium et linguæ, ab omni inordinatione custodire, ac se in pace et vera humilitate interna conservare, et eam in silentio, cum id observandum est, cum autem loquendum, in circumspectione et ædificatione verborum, et modestia vultus ac maturitate incessus motuumque omnium sine ullo impatientiæ aut super-

biæ signo, exhibere; in omnibus procurando atque optando, potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam sibi superiores ducendo; et exterius honorem ac reverentiam, quam exigit cujusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibendo. Atque ita fiet, ut se mutuo considerantes in devotione crescant, DEUMque Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoscere studeat." — § 12: „nolentes suo proprio sensu dici, nisi conveniat cum judicio illorum quos CHRISTI Domini nostri loco habent."

4. — Pietatis exercitia omnia doceantur novitii solide et utiliter instituere, ut acquirant rectum modum meditandi, orandi, legendi, confitendi, formandi et renovandi bonam intentionem; et sic in omnibus. — P. 3. c. 1. §. 10: „doceantur, quomodo ab illusionibus dæmonis in suis spiritualibus exercitationibus caveant, et quomodo se contra omnes tentationes tueantur; simul rationes sciant, quæ adhiberi possint, ut eas superent; et ad veras solidasque vitutes consequendas insistant, sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores. Curent vero semper in via divini servitii progressum facere." — §. 20: „explicetur aliquot diebus in singulis hebdomadibus doctrina christiana, ac modus bene ac cum fructu confitendi, communicandi, Missam audiendi et in eadem ministrandi, orandi itidem, meditandi et legendi pro captu uniuscujusque tradatur: cureturque non solum ut addiscant, quæ conveniunt, sed etiam, ut memoria teneant et exerceant, quæ didicerint; omnesque suum tempus rebus spiritualibus impendant, et devotioni quærendæ pro mensura gratiæ DEI ipsis communicatæ insistant cet."

5. — Paupertas juxta regulam accurate ab initio observetur. — P. 3. c. 1. §. 7: „ut experiri incipiant sanctæ paupertatis virtutem doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria uti debeant, quamvis necesse non sit, probationis tempore possessione bonorum se abdicare." — §. 8: „intelligant etiam, quod mutuo dare vel accipere vel dispensare quidquam de iis, quæ domi sunt, minime possint, nisi Superior conscius consensum præstiterit."

6. — Obedientia, candor mentis, docilitas. — §. 12: „quem [magistrum novitiorum] omnes, qui in probatione sunt, diligant; ad quem in suis tentationibus confugiant; cui confidenter sua omnia detegant; et a quo consolationem et auxilium in omnibus sperent in Domino." — §. 23: „expedit in primis et valde necessarium est, ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant, Superiorem, quicunque ille sit, loco CHRISTI Domini nostri agnoscentes, et interna reverentia et amore eum prose-

quentes. cet." — decl. V: „conferet, ut Superiores aliquando occasionem præbeant iis, qui probantur, exercendi obedientiæ et paupertatis virtutem, eosdem tentando eo modo, quo DEUS Abraham tentavit, ut speciem virtutis suæ præbeant et in eadem crescant. In eo tamen, quoad ejus fieri possit, mensura et proportio juxta uniuscujusque vires, ut discretio dictabit, observetur."

7. — Dein humilitas, quæ est principium et fundamentum omnis virtutis, practice commendatur et exercetur. — §. 22: „magnopere conferet, devote, quoad fieri poterit, ea munera, obire, in quibus magis exercetur humilitas et charitas." — c. 2. C: „ceterum convenit, ut qui probantur, vestitus ratione ad mortificationem et abnegationem sui, et ad mundum ejusque vanitatem sub pedibus conculcandam juventur. Et id quidem, quantum considerata natura, consuetudo officium et aliæ personarum circumstantiæ patientur."

8. — Diligentia accurata et promptitudo. — P. 3. c. 2. §. 2: „statuatur tempus quoad ejus fieri poterit edendi, cubandi, surgendi, quod communiter omnes observent." — c. 1. §. 23: „nec solum in executione externa eorum, quæ injungit integre, prompte, fortiter, et cum humilitate debita, sine excusationibus et obmurmurationibus obediant, cet."

9. — Magnanimitas et liberalitas erga DEUM, quæ impellat ad anticipandas virtutis exercendæ occasiones. — c. 1. §. 13: „antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis; ut cum quis animadvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debeat in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futuræ videantur, et sic de aliis pravis animæ propensionibus." — Omnia hæc habentur in Reg. Mag. Nov. c. 3. n° 27. seqq. — Jacto firmiter hoc fundamento, sperari licet fore, ut per totam vitam subsequentem virtus teneatur exerceaturque.

164 *Nota.* — Substantia ergo novitiatus est in hoc, quod quis sit sub obedientia Societatis tanquam membrum nondum illi junctum per vota, sed cum proposito intrandi et vivendi et moriendi in Societate, uti post probationem sibi convenire judicaverit. — Hoc propositum adesse debet, secus est animus fictus, et qui eum habet, revera non est novitius. Hic peccat graviter, damnum inferendo Societati, et ad restitutionem tenetur. — Et quamvis professio valide dici possit per propositum subsequens manendi, quod retrotractum ratificet præcedentem probationem; attamen gratiis spiritualibus eo tempore, quo propositum defuit nullis gaudet. — Suarez, l. 2. c. 5. nn. 15. et 16. — Addendum tamen: non tenetur absolutum propositum istud habere; sed si post probationem ita sibi expedire judicaverit. Sic in rigore, sed prius dicta meliora.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VOTIS DEVOTIONIS.

Præter media perfectionis acquirendæ in novitiatu ab omnibus adhibita, de quibus hucusque sermo fuit, est aliud singulare, quod nonnullis permittitur, nimirum ut votis se obligent ad ferventius progrediendum, quæ devotionis vota vocantur.

1. — Quid sint hæc vota devotionis, seu vota devotionalia, ipsa 165
verba jam indicant, et clare dicitur in Ex. c. 1. E: „nec libertas, nec devotio, nec utilitas illa spiritualis, vel meritum, quod consequi solent, qui CHRISTO Domino nostro se obstringunt, illis adimitur, qui ante id tempus (biennii absoluti) vota sua offerre volunt, licet conveniat, sine Superioris facultate ea non emitti." — „Nec tamen, quod ea emiserint, propterea ante ordinarium tempus admittentur ad professionem, vel in Coadjutores formatos, vel in Scholasticos approbatos." — Hisce verbis citatis expremitur etiam ratio, cur hæc vota nonnunquam emittantur, nimirum utilitas et majus meritum voventis. Quod idem habetur in P. 3. c. 1. T: multum juvari ad uberiorem gratiam consequendam eum qui magis, per vota nimirum, conjungatur DEO, liberalem se erga eum exhibeat, seque totum immobiliter divino servitio mancipet.

2. — Modus tenendus in votis his emittendis conformis est eorum 166
naturæ, quippe quæ sint vota mere privata nullamque ex parte Societatis obligationem inducant.

a. — Relinquitur prorsus libertati novitiorum, an velint hæc vota emittere, etiamsi tales sint, qui omnimodam spem faciant, se in Societate perseveraturos esse. — P. 3. c. 1. T: „quamvis autem id multum juvet ad uberiorem gratiam accipiendam, nemini tamen præcipiendum est, ut id agat, nec primo biennio quisquam ullo modo ad id compellatur." — „Quodsi sponte ex sua devotione ad vota sua ante biennium exactum emittenda moverentur, cet." — C. 2. D. 14: „visum est autem, non modo novitios ad vota emittenda non instigandos esse hoc biennio, sed si sponte emitterent cet."

b. — Non emittantur sine facultate Superioris. — Ex. c. 1. E: „licet conveniat sine Superioris facultate ea vota non emitti." — Mag. Nov. 55: „admoneat, ne vota ante biennium emittant sine Superioris facultate, quam solus Provincialis, re mature considerata, dare poterit."

— C. 16. D. 37: „monendos esse magistros novitiorum, ut hujusmodi vota in posterum non emittantur sine facultate Provincialis, et ab iis solum, de quorum virtute et constantia in vocatione satis constet."

c. — P. 3. c. 1. T: in nullius manibus ea vota admittuntur, nec a Societate acceptantur. — Est prorsus privata res voventis ipsius et solius ipsius conscientiam ligat. Inde est, quod taliter vovens non fit religiosus, et quod Societati per hæc vota, licet ab ipsa permissa, nulla prorsus accrescit obligatio recipiendi eum. — de Noyelle, 18 Sept. 1683.

d. — Quare etiam in decl. T: emittuntur sine solemnitate; sed quisque in secreto animi sui id offert DEO ac Domino nostro. — Quod idem habent plura Responsa: Lugdun. 1610. — Tolos 1617. — Pater Natalis tamen dicit, convenire, ut unus alterve hujus emissionis actum percipiat.

e. — Adhibetur in iis emittendis formula consueta. — decl. T: „at, cum id sint facturi, convenit, ut formulam, quæ consuevit in votis simplicibus observari, petant; et scriptum habeant, quod DEO promiserunt, ad suam memoriam confirmandam." — P. 5. c. 4. §. 6: „quodsi quis propria impulsus devotione ante id tempus biennii vellet votis se DEO offerre, eandem formulam sequi poterit, et uno voti sui scripti exemplo tradito Superiori, alterum penes se retineat, ut quid DEO ac Domino nostro obtulerit, recordetur." — Reg. Mag. Nov. 55.

f. — Renovatio horum votorum fieri potest a singulis privatim, vel a pluribus communiter. — Borg. 16 Sept. 1561. — Claudius 1582. — Dein Reg. Mag. Nov. 55: „Horum autem, qui hæc vota semel apud se ex licentia Superioris juxta formulam Societatis emiserint, memoria in libro aliquo asservetur... seorsum ab aliis, qui biennium expleverunt... Et postea tempore novitiatus bis in anno statutis temporibus, seorsum ab aliis, qui biennium expleverunt, ipsi simul inter se illa renovabunt. Noverint tamen, se non propterea veros religiosos constitui."

167 *g.* — Obligatur talis novitius perinde fere ac alii religiosi ad paupertatem et castitatem servandam; attamen ad servandum obedientiæ votum hoc modo: Superior non habet in illum jus ex voto obedientiæ, utpote non acceptato a Societate. Quare in virtute obedientiæ non potest illi præcipere directe, sed indirecte tantum, quatenus scilicet novitius DEO promisit se obedientiam exhibiturum Superiori. Eo ipso igitur, quod hic præcipiat, obligatur DEO novitius ad parendum Superiori ex religione tantum, non vero ex justitia. — Sanchez, Mor. l. 6. c. 10. n° 8.

h. — Quodsi talis dimittitur ait Suarez, l. 2. c. 4. n° 10. vota hæc

eo ipso solvuntur, quippe quæ facta sunt in ordine ingrediendi Societatem. Excipitur, si vovens habuerit explicite aliam intentionem, nimirum obligandi se votis DEO absolute et sine respectu ad futurum ingressum in Societatem, v. g. quoad castitatem. — Sanchez utramque sententiam probabilem esse dicit. — Mor. l. 6. c. 9. §. 63. — Attamen expresse habetur in P. 2. c. 4. §. 3: „declaretur iis, qui dimittuntur, quod absoluti maneant a votis simplicibus, si ea juxta formulam Societati consuetam emiserint, quodque nulla alia dispensatione indigeant." — Utique dicitur hoc de iis votis simplicibus, quibus quis fit religiosus in fine novitiatus; sed recte infertur, id etiam valere de votis, quæ minoris sint efficientiæ et roboris, cum sint privata et minime a Societate acceptata, modo revera non habuerit explicite aliam intentionem.

i. — An hæc vota etiam ad Coadjutores temporales pertineant? — Constitutiones promiscue seu generaliter loquuntur de „novitiis": Rescripta vero multa faciunt Scholasticorum hoc in genere mentionem, Coadjutorum vero temporalium nullam; nec videtur neque praxis neque usus paulo ante nostra tempora iis favisse. — Ita Cap. Oetting. nº 80 et 81.

j. — De votis in articulo mortis editis a novitiis cum facultate 168
Provincialis vel Rectoris idem dicendum est: sunt devotionalia nec voventem constituunt religiosum. Nam juxta C. 5. D. 12. ne Generali quidem licet „in ullo casu" dispensare in contrahendo biennii spatio in ordine ad emittenda vota simplicia, ut sit Scholasticus approbatus. Cap. Oetting. nº 82. — Attamen habet Craisson nº 2049: „Monialibus sancti Dominici, proinde ob communicationem privilegiorum aliis religiosis, sive mulieribus, sive viris, concessum fuit a Pio V. (Const. „Summi sacerdotii"), ut in casu morbi lethalis medici judicio, ipsis liceret, anno novitiatus non expleto, professionem emittere, dummodo ætatem requisitam habeant. Multi tamen volunt quod prædicti novitii vel novitiæ, si convalescant, teneantur annum novitiatus complere et aliam professionem facere, quia P. Pius V. voluit duntaxat providere uberius saluti sic profitentium." — Ita Gautrelet, qui addit, religionem non adstringi per hujusmodi professionem ad admittendum et retinendum taliter profitentem, quia contractus non fuit reciprocus; non debere tamen sine justa causa talem rejici.

Notæ quædam.

1. — Generatim novitii gaudent omnibus privilegiis, indulgentiis, protectione 169
canonis, cet., quibus fruuntur professi ordinis: nam ex regula juris 55. in 6º: «qui sentit onus, sentire debet et commodum.» — Constat dein ex Comp. Privil.

antiq.: «communicatio gratiarum», §. 5: «Gregorius XIII. vivæ vocis oraculo concessit, ut prædicta communicatio privilegiorum novitiis etiam fieri possit.» Comp. nov. 98. — Dein Resp. Rom. Provinc. Paris. 9 April 1614: «Quia novitii fruuntur privilegiis et exempti sunt ab Ordinario, in cujus locum successit Superior; cet.»

2. — Inde etiam reservatis subjacent. — Cf. idem Resp, 1614: «quia fruuntur privilegiis, subsunt jurisdictioni Superioris.» — Dein: «licet aliqui putent, novitios non habere casus reservatos, contrarium tamen declaravit Claudius Prov. Lugdun. 1610; addens, Societatem hoc habere proprium, saltem in consecutione, quidquid sit de jure communi, fundatum in Ex. c. 3. A, ubi agitur de eo, qui in examine primæ probationis tacet aliquod impedimentum.» — Etiam Mutius 7 Martii 1617 pro prima probatione ex eadem hac causa celati impedimenti.

Advertendum est, apud Ferraris ceterosque canonistas sententiam oppositam tanquam probabilissimam tradi; unde juxta plures ista prohibitio Patris Claudii, «ne quis doceat, quod nostri novitii non subjacent reservationi», non videtur amplius locum habere.

170 3. — Ordines novitiis conferri possunt secundum legem communem; sed non expedit promoveri ad primam tonsuram novitios sine urgente necessitate et adhibitis præcautionibus. — Unde habetur Rescriptum Provincialis Germaniæ, Patris Roder, quo jubentur scripto declarare, se libere consensisse ad ordinationem, maxime si sit ordo sacer, et omnes hujus rei effectus in se suscepturos esse.

«Non habemus facultatem ad sacros ordines promovendi novitios.» Resp. Rom. 1589. — Ante completum biennium nec quatuor minores ab ullo sunt suscipiendi, Neap. 1591. — Novitius diaconus potest promoveri ad sacerdotium, dummodo promoveatur titulo patrimonii vel beneficii, non vero religiosæ paupertatis titulo. — Prov. Franc. 1696. — Vide nunc n⁰ 311.

4. — Si tamen ordinandi sunt novitii, possunt dispensari in irregularitatibus ad suscipiendos ordines et gerenda officia; necnon redintegari contra pœnas, privationes, inhabilitates, juxta ea quæ habentur et declarantur in Comp. Priv. 164 seqq. — At dispensatio pro homicidio voluntario, mutilatione. bigamia Generali reservatur; pro ceteris Provincialis et quibus ipse commisit habent facultatem. — Insuper semel in anno (pro foro conscientiæ, feria 2. post Dom. 1 Quadrag.) Superiores et Confessarii ordinarii possunt dispensare. — Comp. Priv. 64 seqq.

5. — Beneficia juxta Ex. c. 4 §. 5. et P. 3. c. 1. §. 7. F, retineri possunt usque ad completum annum primum probationis, donec jubeantur a Superiore, qui est Generalis vel Commissarius, ea relinquere, dummodo non retineant ultra professionem vel gradum Coadjutorum formatorum. — Ex. c. 4. §. 5: «admoneantur itidem, si ecclesiastici sint, quod, postquam in Societatis corpus ut Professi vel Coadjutores cooptati fuerint, nulla ecclesiastica beneficia possunt retinere; et quod tempore probationis post primum annum absolutum,... quandocunque Superiori visum fuerit, ea relinquere debent, juxta suam devotionem vel ei, qui contulit, resignando, vel ad pia opera applicando.» — Ac clarum est, novitios in sacris constitutos, qui ordinati sunt titulo beneficii, non posse durante novitiatu beneficium resignare, quia tunc essent clerici sine titulo, nam titulus paupertatis demum per vota religiosa inducitur. — Postea vero aliter statutum fuit, in C. 5. D. 19:

«ut gravissimis incommodis occurreretur, et communi ædificationi consuleretur, decretum est auctoritate Congregationis, ut beneficia ecclesiastica, quæcunque Nostri obtinent, finito biennio probationis, priusquam vota simplicia Scholasticorum emittant, non obstante Canone 1. Congregationis 1. generalis [i. e. non cogantur ea relinquere ante professionem, nisi jubente Generali] omnino resignentur.»

6. — Indulgentiam plenariam, servatis servandis, consequuntur novitii ad ingressum, juxta Breve Pauli V. «Romanus Pontifex,» 23 Maji 1606. — Platus l. 6. c. 3. — Lanc. opus. 1. c. 3. n⁰ 2.

ARTICULUS QUARTUS.

DE MAGISTRO NOVITIORUM.

Maximum adjumentum, quo juventur novitii ad bene et cum fructu peragendam probationem, accrescit ipsis ex directione qua fruuntur magistri; unde convenit de ejus munere et functione quædam disserere.

1. — Quod sit ejus munus, habetur in P. 3. c. 1. §. 12. et K: 171
„vir fidelis et in rebus spiritualibus sufficienter versatus, qui instruat eos, quomodo et exterius et interius sese habere debeant." — Quanti autem habendum sit hoc munus, dicitur in Reg. Mag. Nov. 1: „rem esse magni momenti sibi commissam intelligat, quandoquidem ex prima novitiorum institutione pendet majori ex parte eorundem profectus et spes nostræ Societatis in Domino. Curetque, ut in dies per studium propriæ perfectionis instrumentum aptius ad eos juvandos reddatur." — cf. Lanc. opusc. 12. c. 1. n° 18.

2. — Qualis sit, exhibetur in P. 3. c. 1. § 12: vir fidelis, versatus theoretice et practice et exercitatus in spiritualibus; cet. — Mag. Nov. 2: „amabilem se præstet, et vitæ integritate ac discretione ita se gerat, ut omnes, qui in probatione sunt, ad eum in suis tentationibus confidenter confugiant, eique seipsos confidenter aperiant, et ab eo consolationem et auxilium in omnibus in Domino sperent."

Sit ergo oportet vere spiritualis, suavis, fortis, discretus, integer, et vita sua omnibus rectam viam religionis sequendæ ostendat.

3. — Jura et facultates, quibus fruitur: in domibus separatis gaudet juribus et facultatibus Rectoris. — Innocentius X. „Prospero felicique" 1 Jan. 1646. — Reg. Mag. Nov. 3: „in domibus separatis... habeat omnes facultates aliorum Rectorum." — Mag. Nov. 5: „in domo probationis conjuncta... erit subordinatus Præposito vel Rectori, non tamen erit sub obedientia Ministri, sicut nec ejus Socius."

Plurimum interest referre, quæ ad magistrum novitiorum spectant, in quantum est eorum Confessarius.

172 *a.* — Ordinarius novitiorum confessarius est eorum magister, qui potest eos etiam a reservatis absolvere: ex reg. mag. 7., quia ipse potest optime eos juvare. — Clemens VIII. dicit 19 Martii 1603: „soli magistro confiteantur"; deinde etiam Urbanus VIII. in Brevi „Exponi nobis" 31 Aug. 1935. — Idem Clemens jam 1596: „ne sit diversitas in directione, et ne graventur novitii."

b. — Si magister alius sit ac Rector, possunt novitii confiteri etiam Rectori, si sponte velint; maxime si sexto quoque mense confessionem generalem faciant, cum hoc non sit contrarium Decreto Clementino; „posse aliquos vel omnes etiam ordinarie confiteri Rectori, si sponte velint." — German. 1635.

c. — Clemens VIII. constituit 26 Maji 1593, ne Superiores sint confessarii subditorum; sed viva voce concessit, ne sint intelligendi Superiores in Societate, qui simul sunt magistri novitiorum — Quod quum revocatum fuisset per Gregorium XV. et Urbanum VIII.: „Alias fel. record." 20 Dec. 1631, postea idem Urbanus, petente Patre Mutio, in Brevi „Exponi nobis" 31 Aug. 1635, iterum concessit, cum onere tamen ut semel vel iterum per annum alius constituatur confessarius, cui confiteri possint novitii. Postremo in Brevi ejusdem Urbani: „In his auctoritatis nostræ" 23 Aug. 1641, etiam novitii nominantur, quibus quinquies vel sexies per annum offeratur confessarius extraordinarius; i. e. si extra domum probationis in alia domo vel collegio commorantur, quia tunc æquiparantur ceteris. — Leo XII. „Plura inter" n° 13, die 11 Julii 1826: „tironum magistri nequaquam ei decreto sunt obnoxii, quod vetat, ne præsules sacras excipiant alumnorum confessiones."

d. — In penultima generali C. 23. D. 30. n° 2. ea quæ ad confessarium novitiorum spectant, his verbis comprehenduntur: „novitiorum confessarium, tum ex nostris Constitutionibus, tum concessione Clementis VIII, Urbani VIII. et Leonis XII. esse ipsorum magistrum, licet idem Rector sit; ita tamen, ut semel quotannis, etiamsi novitii non instent, debeant Superiores majores alium deputare confessarium, qui eorum confessiones cum effectu audiat, et nihilominus ipsi possint, si expedire judicaverint, per se vel per alium novitiorum confessiones semel aut bis in anno audire. — Morem esse præterea in Societate, ut novitiis, renovationis tempore, facultas fiat confessarios extraordinarios pro ceteris designatos adire. — Hortandos esse magistros novitiorum, ut se quam facillimos exhibeant in concedendo novitiis, si quando petant alios confessarios." — Et notandum est, hoc decreto

satisfactum esse videri etiam ordinationi Urbani VIII. 23 Aug. 1641, qua omnibus, etiam novitiis, quinquies vel sexies offeratur confessarius extraordinarius; nimirum si extra novitiatum versentur, uti supra dictum fuit. — cf. C. 24.- D. 25.

e. — A reservatis absolvantur novitii per magistrum, etiamsi non 173
sit Rector ; potest tamen Superior potestatem hanc magistri restringere. — Quodsi a Superiore pro novitiis alius constituatur confessarius, esset hic, quod alii, simplex confessarius. — Mutius 1635.

f. — Cum religiosi nullatenus valide absolvi possint, nisi per potestatem a Superioribus delegatam, dici debet, novitios per se eadem lege adstrictos esse, ita ut valor absolutionis, si forte confessionem instituant apud confessarium externum, ab Episcopo approbatum et delegatum, pendeat a consensu Superioris sive expresse sive tacite dato. Sunt quidem nonnulli, qui dicunt cum Pelizz. et Mazz. (v. Lacroix l. 4. n° 65), novitium absolvi posse sicut quemlibet sæcularem, ac propterea vi jurisdictionis sive a Superiore sive ab Episcopo datæ; id tamen verum esse nullo modo videtur. Tantum id admitti potest, ubi Superior sciens, hanc opinionem inter suos vigere, non contradicat, eum tacite hanc potestatem tribuere; in quo casu novitius, etsi putet se absolvi vi jurisdictionis episcopalis, re ipsa absolvitur vi jurisdictionis a Prælato regulari tacite delegatæ. — Lehmkuhl, p. 2. n° 397.

Nota. — Sunt quædam addenda, quæ referuntur ad Rectorem et magistrum novitiorum, si diversi sunt: Rector potest urgere rationem conscientiæ novitiorum quovis sexto mense sibi faciendam. — Magister novitiis pœnitentias injungit. — Magister non potest novitios mittere ad munera exteriora, inconsulto Rectore. Et alia.

CAPUT TERTIUM.

De Confessariis et confessionibus Nostrorum.

QUUM in capite praecedenti multa jam dicta sint de confessariis confessionibusque Nostrorum, licet praecipue novitiorum, non abs re esse videtur, imo maxime conveniens, hic statim ea omnia adjungere, quae de confessariis confessionibusque Nostrorum in genere tenenda sunt, quaeque spectant Nostros omnes, in quocunque vitae religiosae statu, aetate, conditione. — Supponimus satis notum esse, omnem potestatem audiendi confessiones Nostrorum a Superioribus procedere, juxta normam Constitutionum et regularum nostrarum. Quare primo

afferimus, quae in hisce statuuntur; et adjungimus statim, quae dein ex Constitutionibus summorum Pontificum tenenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONFESSARIIS.

174 1. — Omnes ordinarie eidem uni Confessario confiteantur. — P. 3. c. 1. §. 11: „unus omnium sit confessarius, ab eodem Superiore constitutus." — Et Provincialis est, singulis domibus suos confessarios nominare. — Reg. Prov. 24: „itemque designabit ordinarios Nostrorum confessarios, ex quibus fere conveniret, præfectos rerum spiritualium deligere." — P. 6. c. 3. §. 2: „omnes assignato sibi confessario, vel alioqui juxta ordinem, quem quisque præscriptum habet a Superiore, confiteantur." — Hæc ultima verba adduntur, quia in Constitutionibus ratio habetur spiritualis necessitatis utilitatisque uniuscujuscunque. Nam in P. 3 c. 1. decl. I. dicitur: „quod aliquis ab alio confessario magis quam ab ordinario juvari posse videretur, propter causas, quæ possent accidere, quas considerabit Superior, et quod in Domino judicaverit convenire, providebit."

Ex his apparet, quantopere cordi fuerit sancto Ignatio, ut non neglecta particularis alicujus personæ necessitate vel utilitate, ab omnibus tamen periculum arceatur sequendi fortasse sensum affectumque suum naturalem etiam in rebus ad conscientiam spectantibus, si irrepere velit; sed potius viam securam divinæ Providentiæ, quæ ordinarie dirigit hominem per homines aptos, cura Superiorum et obedientia constitutos. Quæ res, si in singulis recte apprehenditur, non potest non conferre multum ad pacificandum animum, excluso omni sensu naturali et personali, qui utique etiam in propriis rebus facile fallere potest.

175 2. — Aliter ac nostræ Constitutiones originariæ, scilicet ut unus sit confessarius omnium, Clemens VIII. in Constitutione „Sanctissimus" 26 Maji 1593 ordinavit pro omnibus religionibus, ut plures confessarii in singulis domibus constituantur; attamen pro Societate JESU viva voce huic Constitutioni derogavit. Quod idem fecit Urbanus VIII. „In his auctoritatis nostræ" 23 Aug. 1641; vult autem: „ut quinque aut sex vicibus in quolibet anno omnibus... offeratur confessarius extraordinarius, cui omnes supradicti (nominati fuerunt etiam novitii) in singulis dictis quinque aut sex vicibus indistincte et cum effectu

confiteri teneantur." — Leo XII. in hac parte nihil nobis restituit. — „Plura inter" 11 Jul. 1826: „Societatis alumni confiteri nequeunt animæ noxas, nisi iis, qui a Præposito facultatem habuerint, sacras eorum confessiones audiendi."

De facto res ita se habet, ut, quod volunt Pontifices, sc. ut singulis libertas quædam utilis concedatur, apud nos per Constitutiones et per usum jam provisum sit. Nam Generales semper urgebant, ut in singulis domibus plures constituti sint confessarii. Insuper per ea, quæ occasione renovationis votorum et exercitiorum annuorum in hac parte omnibus præsto sunt, non modo satisfit intentioni Pontificum, imo plus conceditur. — Demum insuper statuit C. 23. D. 30: — *a.* Ex Const. Clementis VIII. plures a Superioribus in singulis domibus designandos esse confessarios, quos adire omnibus fas sit, Novitiis exceptis. — *b.* Horum confessarium esse eorum Magistrum, licet etiam Rector sit: sed Superiores majores debere semel quotannis alium iis deputare confessarium; et posse ipsos semel vel bis in anno, etiam per alium, eorum confessiones audire, si expedire judicaverint. — *c.* Scholasticorum confessarius ordinarius, optandum esse, ut sit Pater spiritualis domus. — *d.* Patres tertiæ probationis non posse adigi ad confitendum Instructori qui sit Rector; sed posse eos semper adire Patrem spiritualem domus.

Nota. — Attamen quod statuit regula. fideliter servandum est; scilicet unusquisque suum stabilem habeat confessarium, cui ipsius conscientia prorsus aperta sit, ut nihil ignorando quod ad eum pertinet, melius in Domino possit eum juvare. — Ut quæ dicta sunt in numero præcedenti efficacius obtineant in salutem ipsius.

3. — Superior ipse ne sit ordinarius suorum subditorum confes- 176
sarius. — Clemens VIII. 26 Maji 1593: „non liceat Superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab iis petierint." — Attamen idem Clemens viva voce concessit: „ut, cum prohibentur Superiores audire subditorum confessiones, non intelligantur Superiores in Societate, qui sunt magistri novitiorum." — Similiter idem concessit Urbanus VIII. „Exponi nobis." 31 Aug. 1635.

4. — Superiores locales ipsi non debent ordinarie confiteri, nisi alicui ex designatis a Provinciali. Ex variis tamen Responsis Generalium intelligitur, posse eos extraordinarie et aliquot vicibus confiteri aliis, quam designatis a Provinciali; sicut dare possunt facultatem hanc confitendi subditis. — Reg. Rect. 7. — Et hoc ipsum tradit Lugo, de pœn. disp. 20. — Flandrobelg. 1656.

177 5. — Quando duo Sacerdotes ex Societate mittuntur aliquo simul, eo ipso assignatur alter alteri pro confessario. Nec possunt confiteri aliis, etiam ex Nostris, in via occurrentibus. — Et si duo, non missi simul, occurrunt sibi in via, debet unus alteri confiteri, si sit necessitas; nec possunt licite vel valide confiteri sacerdotibus non de Societate. — Tolos. 1628. — Recte tamen videntur alii dicere, sic esse, si agatur de reservatis; non ita constare, si de simplici confessione. — Hi idem dicunt de confessario eorum, qui in loco, v. g. balneorum, ubi non sit domus Societatis, casu inveniatur, prout ipsi socios habeant itineris vel non, vel prout confessarium propriæ domus, unde exierunt et ad quam pertinent, inveniant ibi, vel non. In prædicto loco non habentes socium itineris, poterunt quidem confiteri cuilibet e Nostris, sed non tenebuntur per se ulli ex ipsis confiteri, nisi de reservatis agitur. — Si plures Nostri simul iter faciant, aut versentur in quadam missione, seclusa speciali deputatione ab ipso Superiore domus, videntur liberi esse confiteri illi, cui maluerint. — Regulares vero extra domum degentes, deficiente Socio itineris, valent confiteri sacerdoti non approbato ab Episcopo, sive regulari sive sæculari. Videlicet ipse ordo seu Superior ipsius in tali casu cuilibet sacerdoti, quem religiosus elegerit, jurisdictionem delegatam concedit; ita ut in itinere sacerdotem sui ordinis quærere non teneatur. — Lehmkuhl, p, 2. n° 394.

Nota. — Ut in hoc casu, quando scilicet ex diversis domibus vel provinciis in unum locum Patres ad simul ibi laborandum confluunt, securiores sint in conscientia, possit Provincialis, in cujus provincia sic coadunantur, semel pro semper tempore suæ administrationis constituere, quidquid sit de socio itineris, ut singuli confiteantur ei cui maluerint ex iis, qui adsunt. — Quod factum esse in una provincia cum satisfactione omnium mihi compertum est.

6. — Si inter eos, qui iter faciunt, sit ordinarius eorum Superior, v. g. Rector, Provincialis, potest in alieno Collegio suorum subditorum confessiones audire. — Si nullus inter eos sit ordinarius Superior, et nonnisi ad breve tempus, v. g. octo dierum, in alieno Collegio moraturi sunt, possunt confiteri vel Superiori illius loci, vel ordinario confessario ipsius, vel cui in itinere confitebantur. — Lugdun. 1579.

7. — Confessarius Collegii A veniens ad Collegium B et hic reperiens unum ex Nostris pertinentem etiam ad idem Collegium A, potest illum absolvere, ac si de facto invenirentur ambo in Collegio A. Atque hoc valet, etiamsi iverit in illam domum recreationis causa. Jurisdictio enim manet, ut quævis alia tempore non limitata facultas, dum non revocatur, aut non mutatur domicilium, a cujus Superiore obtenta

fuerat. — Ex eadem ratione idem potest confessarius cum habitatore sui Collegii invento in via, in quem habitatorem habet jurisdictionem personalem in foro interno.

8. — Qui iter agendo divertunt ad aliquam domum Societatis, eadem die ad propriam redituri, non subjacent jurisdictioni hujus loci, sed proprio Superiori manent subjecti. Attamen possunt confiteri ad devotionem confessariis illius domus, in qua versantur. — Idem videtur posse dici de itinerante, qui per aliquas horas in domum aliquam divertit, postea iter continuaturus.

9. — Quando tum Superior, tum confessarii ordinarii simul absunt 178
a domo, non ideo tibi licet adire quemlibet non approbatum pro Nostris. Quo in casu, si Superior non rediturus est ante noctem, nec nominaverit Vice-Superiorem, Minister habet facultatem absolvendi et delegandi. Absente vero etiam Ministro, eadem facultate fruitur sacerdos in Societate antiquior, ducta antiquitate ab ingressu in societatem. Sic intra Europam. — C. 17. D. 9. — Extra vero: „porro quoad Provincias et Collegia extra Europam Congregatio providentiæ R. Patris Nostri commisit, ut auditis hac in re rationibus et variis earum Provinciarum usibus, cuique earum præscriberet, quæ omnibus pensatis, utiliora et magis opportuna fore in Domino judicaverit." — Non dubito tamen, esse mentem tum Congregationis tum Patris Generalis ipsius, ut quod decretum fuit pro domibus intra Europam, valeat etiam extra Europam, nisi certo constet de particulari Generalis ordinatione in hac re. — Attamen „si religiosus culpæ gravis reus vellet noxam, qua gravatur, deponere, posset uni e Patribus contubernalibus confiteri, qui eum directe a peccatis non reservatis et indirecte a reservatis, si quæ forent, absolveret." — P. Beckx ad P. Gautrelet. — Secundum alios tamen hoc Responsum non videtur posse dare regulam generalem semper et simpliciter applicandam; sed supponit, Patrem Generalem in aliquo casu singulari dedisse facultatem istam omnibus Patribus istius domus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE RESERVATIONE ET RESERVATIS.

1. — Etiam in Societate est reservatio certorum peccatorum; quare 179
omnino necessarium est scire, quæ in hac materia confessarios nostros

spectant, imprimis ex nostro jure speciali in Societate JESU. Afferamus ab initio eos locos, qui in Instituto de hac re habentur.

P. 3. c. 1. §. 11: „confessarius non ignoret, quos casus sibi Superior reservat. Illi autem reservabuntur, quos ab eo cognosci necessarium videbitur aut valde conveniens, quo melius et remedium, adhiberi possit, et suæ curæ commissos præservare ab omnibus, quæ nocitura sunt." — Quibus verbis simul finis reservationis exponitur, nimirum morbo existenti remedium affere et futuro malo providere.

C. 2. D. 60: „casus reservati qui a R. P. Lainez editi sunt retineantur... Declaratio vero casuum et ampliatio vel restrictio spectat ad R. P. Generalem." — i. e, post Clementem VIII. ad solam Congregationem Generalem. — C. 5. D. 17: „placuit Congregationi ut Pater Generalis designaret aliquot Patres, qui casus reservatos Societatis reviderent, et cum formula a summo Pontifice edita pro religiosorum familiis conferrent; et postea ad Congregationem referrent, ut illa demum statueret, quid in Societate reservandum esset." — Et D. 22. Patres a Generali nominati afferuntur; et in D. 51. peccata reservata enumerantur. — Congregatio hæc quinta eodem anno celebrabatur, quo Clemens VIII. celeberrimam istam Constitutionem „Sanctissimus" edidit, qua reservatio casuum in religiosis familiis certis legibus circumscribitur. Unde mirum non est, quod Societatis summa et legislativa auctoritas statim hanc materiam secundum normas a Pontifice propositas definiret.

C. 6. D. 5: Privilegium Bullæ Cruciatæ, quo quis possit sibi eligere confessarium, qui ipsum a reservatis in Societate absolveret, Nostris prodesse non potest. — Quod idem postea definierunt Gregorius XV. et Urbanus VIII.

C. 20. D. 24: „visum est majori parti Congregationis, propter temporis circumstantias et ob alias justas rationes, nullam mutationem nunc faciendam esse, et casus omnes, ut sunt, retinendos esse; et tantummodo rogandum esse R. P. Nostrum, ut, quæ videbuntur necessariæ, explicationes det; et incommodis, si quæ sunt, provide occurrat."

180 2. — Quisnam habeat facultatem reservandi casus in Societate, ex sequentibus colligitur:

a. — Clemens VIII. decrevit „Sanctissimus" 26 Maji 1593, ut nemo ex regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reservet, exceptis iis, quæ nominat, aut omnibus aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverit.

b. — Si quod aliud præterea peccatam grave pro religionis conser-

vatione aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto ordine aut Provincialis in provincia, matura discussione et concensu.

c. — In Societate JESU igitur sola Congregatio Generalis habet hanc potestatem, quippe quæ sola fruitur jurisdictione ecclesiastica, qua caret Congregatio Provincialis. — Suarez tr. 10. l. 8. c. 5. §. 4.

d. — Ad Patrem Generalem spectat solum declaratio casuum et eorum ampliatio vel restrictio; accedente tamen consensu Congregationis Generalis. cf. supra n° 1. — C. 2. C. 60. — C. 20. D. 24. — Ord. Gen c. 5. §. 3.

e. — Societas, i. e. Congregatio Generalis in C. 5. D. 51. omnes 181
casus a Clemente Papa reservari permissos non solum assumpsit, imo ampliavit; et nonnullos alios præterea addidit; id quod mox videbimus. — Unde apud nos reservatio est satis stricta, strictior fortasse quam apud alios religiosos. Sed hujus rei sunt rationes valde urgentes:

α. — Periculum peccandi graviter non abest in Societate ex communi hominum fragilitate, qua omnes laboramus; proin etiam medicina pro præteritis et præservativum a futuris valde convenit nobis.

β. — Imo non potest negari, periculum hoc quodammodo crescere ex variis occupationibus, quibus ex Instituo nostro vacare debemus, etiam sæpius in circumstantiis et conditionibus minus communibus, inter omnis generis homines, quibus nos subtrahere non licet.

γ. — Præterea, dum Societas in hac parte severiorem fortasse se exhibet præ aliis religionibus, bene compensat quodammodo, quæ in austeritatibus exterioribus desiderari videntur.

δ. — Maximi demum momenti est: per hanc legem reservationis subditi arctius conjunguntur cum suis Superioribus quibus uti patribus et medicis confidenter intima sua pandere adiguntur, certi, fore ut per hunc filialem ad eos recursum majorem apud DEUM mereantur gratiam.

3. — Sunt ergo apud nos tres classes casuum reservatorum: — *a.* 182
casus Clementini qui vocantur, scilicet ii, quos Clemens VIII. a Superioribus religiosis reservari posse permisit, vel omnes vel aliquos eorum. Hos omnes, undecim numero, Societas suos fecit, quales a Clemente Papa definiti fuerunt. — *b.* casus Societatis, quos Congregatio Generalis ut in Societate reservatos definivit, C. 5. D. 51. et 57. Hi casus majori ex parte sunt casuum Clementis vel explanatio vel amplior extensio; adduntur tantum nonnulli ordini nostro proprii. — *c.* tertio veniunt qui vocantur casus reservati Papales; i. e. omnes casus sive modo ordinario, sive modo speciali summo Pontifici reservati; qui ex

lege ecclesiastica valent pro omnibus CHRISTI fidelibus, itaque etiam pro nobis. — Recensebimus nunc omnes casus reservatos singillatim secundum hanc triplicem seriem.

A. Casus reservati Clementini.

183 1. — „Veneficia, incantationes, sortilegia." Ord. c. 5 n° 2.

2. — „Apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventus egressio fiat."

Juxta Lacroix duæ requiruntur conditiones: *a.* ut habeat animum deserendæ religionis, quamvis cum intentione aliquando redeundi; — *b.* egressio actualis ad certam distantiam; nam paucorum tantum passuum non sufficeret. n° 1669. — Utrum sit apostata, qui propria religione deserta transit ad laxiorem sine legitima facultate, controvertitur, sed melius affirmatur; et ex privilegiis Societatis apud nos sententia affirmativa practice tenetur.

3. — „Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta."

Hæc duo sunt copulative sumenda. Sed adverte, quod egressio censetur furtiva, etiam quando fit vidente, sed contradicente Prælato. — Gobat, tr. 7, n° 671.

4. — „Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale."

5. — „Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo."

6. — „Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto."

Huic reservato annexa est excommunicatio Superiori reservata, et irregularitas a solo summo Pontifice tollenda. — Nov. Comp. „dispensatio," n° 165.

7. — „Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii aut conventus."

Ex Responso Mutii Vitel. 2 Martii 1623 officiales intelliguntur, qui habent sigillum: Generalis, Assistentes, Provinciales, Secretarius, Admonitor, Procurator generalis. — Incurrit, qui prædictorum nomina furtive subscribit, sigillum eorum proprium vel effictum litteris imprimit. — Utrum incurratur, si fiat circa litteras, quas officiales finguntur scripsisse tanquam personæ privatæ? Affirmat Suarez, negat Castropalaus, restringens ad litteras, quæ pertinent ad regimen bonaque Societatis. Sed probabilior videtur sententia Suarezii. — Gobat, ibid. n° 647.

8. — „Furtum de rebus monasterii, quod peccatum grave sit."

9. — „Lapsus carnis voluntarius opere consummatus."

10. — „Occisio, vulneratio seu gravis percussio cujusque personæ."

11. — „Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores."

Quæ ut gravia sint, debent fieri graviter invito qui scripsit. Si enim consentiat aperte vel tacite, apertio non erit malitiosa. Gobat, n° 683. — Imo potest esse veniale facile, si ex quadam inadvertentia, aut etiam ex vana curiositate procedat. Pellizarius tr. VI. 1. 37, 38. — Sed qui legit has litteras non aperiendo, nihilominus incurrit reservatum, si malitiose agat. — Mutius 1624. — Alii hoc negant.

B. CASUS RESERVATI SOCIETATIS.

1. — „Perjurium et falsum testimonium in judicio vel extra." 184

Duo hæc peccata reservantur separatim unumquodque, non solum copulative. — Castropal. — Tambur. — Et attende ad differentiam inter casum Clementinum quintum et hunc casum nostrum; hic enim multo plura comprehendit.

2. — „Furtum et usurpatio alicujus rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale."

Casus hic complectitur casus Clementinos quartum et octavum; et addit reservationem pro usurpatione rei cujuscunque, etiamsi non sit ex bonis monasterii. Unde colligitur, in hunc casum incurrere eos:

a. — Qui post sua vota simplicia, bonis suis nondum abdicatis, quacunque ratione de iis disponit, aut iis se abdicat, vel ea distribuit, absque Superioris facultate. — C. 5. D. 10. et D. 59.

b. — Qui bona domus accipit et occultat in usum proprium, inscio Superiore, ut non possint ab eo auferri. — Lugo de Just. disp. 3. n° 156. — Dicit Suarez, esse casum reservatum, si quis auferat librum de bibliotheca, et occultat per mensem, cum incommodo domus sive communitatis At nostris temporibus hoc non potest amplius teneri.

c. — Qui bona externorum accipit, ut sibi retineat et inscio Superiore utatur. Nam ille, qui accipit, non valide et licite accipit, nisi ex præsumpta licentia Superioris; sed hæc modo non potest prudenter præsumi.

d. — Qui, Superiore inconsulto, pecuniam non in simplicem custodiam accipit, sed in vim contractus depositi. Illud fuit expresse prohibitum ut paupertati contrarium et innumera secum trahens incommoda.

e. — Qui sine expressa Superioris facultate pro se vel pro aliis ab

aliquo externo mutuam accipit pecuniam, etiam in pios usus vel ad libitum expendendam. — C. 16. D. 28. 35.

f. — Qui ea, quibus uti potest cum licentia, alteri donat absolute, vel alienat, quia usurarius non potest alienare rem sibi ad solum usum concessam. — Lugo I. c. nº 157.

g. — Qui stipendia missarum pro se accipit, sive sint pecunia, sive libri vel alia. — C. 16. D. 21. — Intellige de eo, qui accipit sine licentia; secus enim, licet certo peccetur contra Constitutiones, non ita constat, an peccet etiam contra votum paupertatis. — C. 5. D. 29. — C. 12. D. 39.

h. — Qui eadem stipendia non accipit pro se, verum ut ea pauperibus elargiatur, si oblatam pecuniam non omnino relinquat offerentis arbitrio, sed de illa, etiam ad pios usus, quacunque ratione disponat. Secus si donator ipse designaret pauperem vel pium usum, in quem pecunia esset eroganda. — C. 16. D. 21.

i. — Peccat contra votum paupertatis, qui fructus bonorum suorum impendit in augmentum eorum, sine facultate requisita; aut qui ex illis fructibus summam pecuniæ numeratæ accumularet, cum hoc votum obliget omnes ad non disponendum de rebus propriis sine facultate Superioris. — Sicil. 1640.

3. — „Lapsus carnis voluntarius, et quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat."

Ex Clementino casu nono jam reservabantur fornicatio, adulterium et pollutio voluntaria, quacunque ratione procurata. Ex hoc casu Societatis reservatur insuper quidquid est externum et grave contra castitatem, quamvis opere non consummatum; scilicet quilibet actus per se castitati graviter contrarius, tametsi in specie luxuriæ consummatus non sit; i. e., quando talis actus habet materiam externam de se mortalem, seu quæ censetur mortaliter mala in homine laico soluto, essetque indicium voluntatis internæ mortaliter malæ. Hinc reservantur impudici aspectus, tactus sive super se sive super alios habiti; locutio et lectio, quando tales actus habent malitiam externam de se mortalem ita ut non possint accipi in bonam partem. — Resp. Gallobelg. 18 Dec. 1632: „ut peccatum contra castitatem et illius votum censeatur ità prodire in actum externum, ut sit reservatum, necesse est talem actum esse, qui ex se non sit indifferens, qui sc. in bonam vel malam partem accipi posset." — Germ. 8 Nov. 1608: „uti est aspectus, sed habere debet malitiam exteriorem, quæ index sit internæ malæ voluntatis." — Unde incidunt in reservatum:

a. — Qui sine necessitate aut utilitate aspicit picturas obscoenas, si aspectus vel lectio sint peccata mortalia. Item qui loquitur de obscœnis sine necessitate.

b. — Qui visu vel tactu alias levi, fœminæ indicaret suam iniquam voluntatem, quia talis visus vel tactus est quædam sollicitatio et sic externe graviter mala. Hinc non censetur casus reservatus aspectus etiam libidinosus seu animo libidinoso factus, nisi talis sit, qui spectatis omnibus circumstantiis non sit indifferens amplius. — Germ. 26 Jan. 1633. — Aspectus, locutio, lectio cum delectatione interna mortaliter mala tum solum censentur reservati, quando actio externa ex se indicat malitiam actus interni, nec manet amplius, ut tam in bonam quam in malam partem accipi possit. Quando vero actio externa in individuo talis sit, spectat ad theologos morales indicare. — P. Martino Lubiensky. 9 Aug. 1622.

c. — Distillatio et a fortiori pollutio voluntaria, quæ sequeretur ex delectatione morosa — Sed nulla reservatio erit in commotione spirituum, quæ ex delectatione morosa sequitur, ac sine tactu vel pollutione. — Lacroix.

Non videtur casus reservatus, si quis ex contactu alterius manus, qui ex se turpis non sit, peccat mortaliter delectatione morosa, modo illa delectatio non prodeat in actum externum. — Si vero ex illo contactu vel aspectu sequeretur voluntaria pollutio, erit casus reservatus ratione hujus pollutionis, quæ est peccatum contra castitatem in actum externum prodiens, non ratione hujus tactus vel aspectus. — Gallobelg. 13 Junii 1633.

Reservatur pollutio quæ sequitur ex sola cogitatione deliberata, saltem ordinarie, quia vere procuratur, et proinde fit quid graviter peccaminosum externum. Ille enim, qui voluntarie sistit diu in cogitatione prava, cognoscit sufficienter periculum pollutionis proximum, quod incurrit. Qui autem vult causam, vult etiam effectum. — Lacroix. — Excipe in casu raro, quo quis brevissime consentiat pravæ cogitationi et propter calidiorem naturam pollutionem expertus est. Quod non videtur *graviter peccaminosum externum.* — Similiter est casus reservatus, si quis consentiens pravæ cogitationi non consentiat pollutioni, imo procurat eam non habere. Ratio est, quia, sive consentiat expresse in actum externum sive non, ponit voluntarie illius causam ; imo etiam si ipsum pœniteat, dum incipit pollutio, quia causa determinans jam est posita voluntarie. Excipe ut supra. — Si ex prava cogitatione sequantur motus inordinati, non est reservatus casus, saltem ordinarie. — Resp. Germ.

4. — „Inobedientia expressa, qua quis asserit, se nolle parere."

Quando Superior præcipit in virtute obedientiæ, est peccatum mortale non obedire, supposita gravitate materiæ; sed nondum casus reservatus. Et potest aliqua materia vel actio per se videri levis, quæ in tali casu sit gravis ratione finis vel circumstantiarum; v. g. cujus dilatio grave damnum inferat communitati. Insuper potest quis graviter peccare contra obedientiam, quin sit casus reservatus, v. g. si quis inobediens sit ex contemptu Superioris, vel ex aliquo motivo pravo, quin Superior voluerit præcipere sub gravi. Dein potest Superior in præcipiendo adhibere alia verba, quam ista: „in virtute obedientiæ," dummodo verba hæc clare et sufficienter significent suam voluntatem obligandi sub peccato mortali.

Incidit igitur in hunc casum reservatum, qui Superiori vere præcipienti, sive id fiat sub verbis: „in virtute obedientiæ," sive similibus, respondet: „nolo parere," vel „nolo facere," vel æquivalenter: „vadat Reverentia vestra," „non faciam," si eundem sensum exprimant. Id valet etiam de Ministro, qui non potest præcipere in virtute odedientiæ. — C. 7. D. 45.

5. — „Seditio in Superiorem et divisio a capite, in grave nocumentum Societatis."

Seditionem hanc committit, qui animos fratrum commovet, ne illum Superiorem agnoscant vel illius jussis obtemperent. — A capite autem dividit, qui ab obediendo Generali se subtrahit. Quæ quum semper sint in detrimentum Societatis, non videntur habere levem materiam.

6. — „Detractio famæ bonæque existimationis aliorum, et discordiarum seminatio inter fratres."

Nomine „fratrum" hic intelliguntur etiam sæculares. Nam Mutius cum Assist. 21 Jan. 1622: verbo hoc „aliorum" complectitur tam Nostros quoscunque, quam alios. — „Detractio gravis famæ aliorum etiam externorum est casus reservatus." — Gallobelg. 20 April 1633.

a. — Incurritur igitur reservatio per detractionem (non præcise contumeliam) gravem famæ etiam externorum, quocunque demum modo fiat.

b. — Per seminationem discordiarum, quæ est, quando quis verbis vel factis dissentientes reddit voluntates fratrum religiosorum in materia gravi; et a fortiori, si in odium excitentur. — Indust. c. 17.

7. — „Reticuisse in examine impedimentum excludens a Societate;

vel in eo mentitum fuisse, unde grave aliquod nocumentum oriri possit."

Intelligitur impedimentum excludens a Societate sive impedimentum essentiale. Attamen reticentia impedimenti secundarii etiam reservatur per secundam partem, qua reservatur mendacium, si inde grave nocumentum Societatis oriatur.

8. — „Acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa, quæ contineat rationem peccati gravis."

Reservatur, sive peccatum illud mortale veniat ex tenore litterarum, sive ex modo accipiendi vel mittendi eas, qui tamen vix potest esse peccaminosus graviter, nisi accesserit strictum Superioris præceptum non mittendi eo modo. — Etiam reservatur, quamvis casu litteræ non pervenerint ad eum, cui missæ sunt; vel etsi non secutus sit effectus intentus. — Attamen quando Superior, etsi illicite, dederit licentiam tales litteras mittendi vel accipiendi, tunc probabilius non est reservatus; nam verba restringuntur ad: „absque licentia expressa."

9. — „Transgressio votorum simplicium, quæ professi emittunt post professionem."

Vota hæc sunt quinque: — 1. non relaxandi paupertatem. — 2. non ambiendi prælaturam vel dignitatem intra Societatem. — 3. non extra Societatem. — 4. deferendi utrosque ambientes, etiam non professos. — 5. si quis promoveatur ad talem dignitatem, audiendi Generalis consilia et exequendi ea, si judicaverit illa esse meliora, quam quæ ipse senserit. — Hæc vota reservantur in C. 5. D. 57.

10. — „Censuræ Societatis nostræ, seu peccata, quæ in nostris Constitutionibus, Bullis vel Decretis annexam habent excommunicationem."

Qui sint hi casus, videre est in capite: „Censuræ et Præcepta hominibus Societatis imposita."

11. — Transgressio præcepti de non procurandis externorum intercessionibus" — C. 16. D. 17.

Omnes hi casus restituti sunt in C. 20. D. 24: „visum est majori parti Congregationis, propter temporis circumstantias et ob alias justas rationes, nullam mutationem nunc faciendam esse, et casus omnes, ut sunt, retinendos esse; et tantummodo rogandum esse R. Patrem Nostrum, ut quæ videbuntur necessariæ, explicationes det, et incommodis, si quæ sunt, provide occurrat." — Notandum: ut reservatio incurratur, debet peccatum esse manifeste mortale, ex confessione confitentis, et in actum externum prodiens. — Ord. c. 5. in fine.

C. CASUS PAPALES.

185 Casibus Papalibus, tum modo ordinario, tum modo speciali reservatis etiam Societatem obstringi secundum jus ecclesiasticum commune, per se patet. Attamen quoad eorum absolutionem habemus facultates speciales, de quibus postea dicemus. Tota hæc materia per Constitutionem Pii IX. „Apostolicæ Sedis", 12 Oct. 1869 de novo revisa et ordinata fuit, cujus definitionibus ab eo tempore in praxi standum est. — Juvat hic referre litteras R. P. Beckx, 18 Julii 1870, de potestate, quam habet Societas in casibus Papalibus absolvendis: „Rogatus sum a permultis, ut declararem, utrum per Constitutionem „Apostolicæ Sedis" a SS. Domino Nostro Pio IX. datam 4. Id. Oct. 1869 revocatæ fuissent facultates ad viginti annos ab eodem summo Pontifice nobis prorogatæ. Ad hæc respondi: dubitandum non esse, quin facultates omnes absolvendi a reservatis omnino per eam Constitutionem essent sublatæ; ita scilicet, inspectis ejusdem Constitutionis verbis judicandum esse theologis nostris videbatur. — Attamen aliquando post interrogatus ea de re Illustrissimus et Reverendissimus D. Assessor S. Officii Laurentius Nina, utrum et nos uti possemus declaratione, quam SS. Papa Noster Episcopis communicandam eidem dedit, affirmative respondit. — Quapropter moneo Reverentiam Vestram, vigere adhuc facultates omnes, quas SS. D. N. die 10 Febr. 1866 ad alios viginti annos nobis prorogare dignatus est. — Hæc Reverentia Vestra cum iis ex Nostris, quorum interesse poterit, communicabit." — Accedit quod per novam Instituti et Privilegiorum confirmationem a Leone XIII. factam: „Dolemus inter" 13 Julii 1886, facultates omnes nobis restitutæ sunt. Cavet tamen Pontifex, eximens a restitutione ea privilegia, quæ non conveniant cum Constitutionibus suorum prædecessorum. Verum privilegia vicennalia renovata fuerunt sub initio anni 1886 ad alios viginti annos.

ARTICULUS TERTIUS.

DE RESERVATORUM ABSOLUTIONE.

In absolutione reservatorum valent apud nos tum ea, quæ in jure communi de hac re statuuntur, tum ea etiam, quæ in jure speciali Societatis per Constitutiones et regulas definita sunt. Ex ipso facto enim, quod casus quidam reservantur, satis jam intelligitur, confessarios Nostros eo, quod simpliciter constituuntur confessarii domus, nondum habere potestatem ullam absolvendi a reservatis, quod idem erit in patre spirituali. — Cum vero facultas absolvendi et delegandi possit

esse major vel minor pro gradu muneris, quo funguntur Superiores, vel majoris vel minoris, multum interest scire tum regulas generales in hac re vigentes, tum facultates ampliores vel strictiores, quas singuli habent vel ratione muneris vel ratione delegationis.

I. REGULÆ GENERALES DE ABSOLUTIONE RESERVATORUM.

1. — Omnis facultas utendi nostris privilegiis pendet a Superioribus; 186
quod idem igitur est de potestate absolvendi a casibus reservatis. Pater Generalis proin vi muneris habet omnes facultates Societati commissas. Superiores ipso Generali inferiores, habentes jurisdictionem ordinariam, seu vi muneris seu vi commissionis, habent facultates intra ambitum per Constitutiones et regulas circumscriptum, vel latiores vel strictiores. Confessarii ordinarii, cum per se nullam habeant potestatem in hac parte, accipiunt facultatem absolvendi a reservatis, vel a Superiore locali, vel a Provinciali seu Generali, vel etiam a Pontifice, ut patet.

2. — Superior facultatem absolvendi a reservatis per se dat pro singulis casibus occurrentibus; sed non est supra ipsius potestatem, concedere eam etiam generaliter; quod dicit P. Roothaan in Belg. 16 Dec. 1834: „il n'y a pas le moindre doute que le Recteur ou Supérieur immédiat peut, aussi bien que le Provincial, donner cette faculté à qui et pour aussi longtemps qu'il le juge convenable."

3. — Superiores monentur, ne difficiles sint in concedenda confessario hac facultate, si pro singulis casibus petitur. — Suarez, de pœn. disp. 30. sect. 4, 9: „regulariter et moraliter loquendo Superior debet esse facilis potius, quam difficilis in hac facultate concedenda...; moraliter et per se loquendo minus periculi est in concedenda hac facultate, quam in illa neganda. Ut concedatur, satis esse debet, quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat; ut autem negetur, semper intervenire debet aliqua specialis ratio, quæ id requirat... Unde Navarrus ait, solam verecundiam nimiam pœnitentis esse aliquando sufficientem causam, ut hæc facultas danda sit." — Ex Ord. c. 5. §. 8. colligitur, tunc imprimis standum esse judicio confessarii, „quando casus occurrit, in quo reservatorum absolutionem debere committi, ipse imprimis confessarius judicaverit." Imo ipse Pontifex hoc jubet. Supponitur tamen confessarius prudentia et charitate præditus esse.

4. — Ferraris aliique nonnulli auctores proferunt declarationem

Clementis VIII. in favorem confessarii, cui quis peccatum reservatum confitetur: „Sanctitas Sua deinceps declaravit et declarat, ut, si hujusmodi regularium confessariis, casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere." — Ad hanc declarationem adnotat Ballerini: „ceterum, cum declaratio dicit, confessarium post petitam, licet non obtentam facultatem posse illa vice absolvere, non ita hoc intelligendum est, quasi unica tantum vice id a Pontifice concedatur, sed quod confessarius non possit a reservato vel eundem vel alium pœnitentem rursus absolvere, nisi a Superiore rursum requirat: quæ si denegetur, rursus poterit confessarius absolvere. Quocirca sensus est, quod quoties facultas petitur et negatur, toties confessarius absolvere poterit." — Lehmkuhl, p. 2. n° 417: „at nequaquam inde sequitur, Superiorem nunquam legitime facultatem absolvendi a reservatis denegare posse; aut confessarium, si Superior id denegaverit, semper tuto absolvere posse. Nam si relapsus, externa peccandi occasio, damnum alienum, maxime communitatis cet. occurrerit, obligatio esse potest pro pœnitente ipsum Superiorem adeundi. Quare in ejusmodi circumstantiis confessarius, facultate non obtenta, absolvere non potest." — Lig. I. 6. n° 586.

187 5. — Societatem in concedenda facultate absolvendi a reservatis quam benignissimam esse maternaque sollicitudine suos amplecti, videmus in epistola Generalis Patris Beckx ad Superiorem quendam 8 Junii 1867: „cum R^a^ V^a^ communico, quæ paucis abhinc annis (13 Martii 1863) de reservatione casuum ad Visitatorem Americæ septentrionalis scripsi: placere nimirum. — *a.* ut in utraque renovatione votorum confessarii Nostrorum tam ordinarii quam extraordinarii facultatem habeant absolvendi a reservatis, etiam non renovantes; idque Nostris ante Triduum in refectorio significetur; placere etiam — *b.* ut confessarii, ad quos accedant Nostri annua exercitia peragentes per idem tempus quoad Nostros obeuntes gaudeant eadem facultate."

188 Idem eadem rescripsit P^i^ Hœvel Provinciali 7 Febt. 1881. Nunc pro tota Societate hoc sancitum est, ut patet ex sequentibus litteris Generalis Anderledy, 16 Maji 1884: „Actio 34. ultimæ Congregationis Generalis postulatum exhibet secundo loco positum, de absolutione a reservatis tempore renovationis votorum et ss. exercitiorum, quod ita legitur: Postulatum propositum est, quo petitur, ut Congregatio suo decreto ad universam Societatem extendat consuetudinem, quæ in aliquibus viget provinciis, ut, quo tempore sive votorum renovatio fit,

sive exercitia spiritualia peraguntur, confessariis Nostrorum tum ordinariis tum extraordinariis facultas communicetur absolvendi a casibus reservatis; idque in mensa annuntietur. — Patres deputati consilium approbantes ita tamen, ut potius P[i] N° commendetur, quam per Decretum typis edendum statuatur, triplicem quæstionem distinxerunt, in quam P. Vicarius singillatim suffragationem instituit:

a. — An consuetudo, quæ in postulato memoratur, quoad tempus utramque renovationem votorum præcedens, ad omnes provincias dilatanda sit?

b. — Utrum statui debeat, ut eum, qui spiritualia exercitia peragit, quandocunque id præstet, absolvere possit a reservatis, sive quilibet e confessariis ordinariis, sive ille, quem cum venia Superiorum elegerit?

c. — An præstet, de his Decretum condere, an vero P[m] N[m] rogare, ut hæc approbans provinciis communicet?

Congregatio unanimis primum et alterum approbavit; tertium P[i] N° committendum censuit, eumque insuper rogandum, ut singulis annis hæc suis temporibus ad mensam annuntiari curet, etiam in illis domibus, ubi forte nemo sit vota renovaturus.

Quare voluntati obtemperans Congregationis Generalis, quæ Patribus Congregationis probata sunt, cum R[a] V[a] communico, eamque rogo, ut quotannis die a R[a] V[a] statuendo in triclinio promulgari curet, tribui eam, quæ in postulato enuntiata est, confessariis facultatem. Quod prudens providumque Congregationis consilium, ex charitatis studio profectum, ad mutuam animorum conjunctionem et Societatis, matris benignæ, amorem conferre; eoque paci animi et tranquillitati consultum esse eorum, qui rerum suarum trepidi ultra modum fortasse religione tanguntur, mihi in Domino persuadeo."

Eadem hæc materna benignitas elucet ex hoc, quod juxta mentem Societatis tum demum casus reservatus incurritur, cum peccata manifeste erunt mortalia et in actum exteriorem prodierunt. — Ord. c. 5. in fine.

6. — Nihilominus, quotiescunque ex peccato reservato grave aliquod damnum oriretur aut oriturum timeretur, nisi pœnitens rem totam Superiori manifestaret, confessarius pœnitentem obligare debet, ut ipse Superiorem adeat remque cum eo communicet. Quod si pœnitens renuit facere, incapax est absolutionis accipiendæ, non ex defectu potestatis in confessario, sed ex defectu necessariæ dispositionis in ipso pœnitente.

7. — Si periculum est in mora, id est, si Superior antea adiri non 189
potest pro concedenda facultate absolvendi a reservato, vel si numerus Sociorum alicujus domus tam parvus est, ut Superiori salvo sigillo res

non possit communicari, confessarius ordinarius habet facultatem absolvendi a reservato casu, attamen cum onere se sistendi ex parte pœnitentis; id est, pœnitens ipse debet, ut possit absolvi, habere intentionem adeundi proxime Superiorem, cui inest facultas eum absolvendi, cumque eo totam rem communicare. — Sic habet C. 8. D 25. § 1: „cum in parvis Collegiis aut Residentiis, in quibus quatuor aut quinque morantur ex Nostris, difficile sit confessario, salvo sigillo, ad Superiorem recurrere pro obtinenda facultate absolvendi a reservatis, si quando acciderent, videri consultius, ut confessarius pœnitentem absolvat cum onere se præsentandi Provinciali aut alteri Superiori, si brevi sit in ejus Collegium aut domum discessurus. Atque hoc responsum (Patrum Deputatorum) Congregatio sua auctoritate confirmavit." — Hoc Decretum valet etiam in domibus, ubi sex Nostrorum commorantur. — P. Roothaan in Angl. Nov. 1832. — P. Beckx supra, 8 Junii 1867. — Sed datur pœnitenti facilior etiam modus obtinendæ absolutionis a reservato statim et in ipsa sua domo, si respicimus Decretum Congr. Episc. et Regul. 17 Aug. 1866: „serventur Decreta Clementis VIII. et Urbani VIII., ita tamen, ut in (præfatis) parvis communitatibus Superiores omnino debeant deputare habitualiter unum confessarium ex religiosis proprii ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in ordine revervatis."

190 8. Qui absolutus est „cum onere se sistendi Superiori," directe quidem absolutus est a reservato, uti communiter traditur a nostris Doctoribus; quia non aliter intelligi potest rationabiliter concessa ibi facultas absolvendi a reservato. Quomodo autem intelligi debeat illud onus se sistendi Superiori, „eique aut alteri de ejus licentia confiteatur," non omnino consentiunt.

a. — Lugo, de pœn. disp. 15. dicit, posse Superiorem exigere iteratam confessionem reservati ut conditionem, sine qua non concederet facultatem absolvendi; et ex acceptata tali conditione ipse pœnitens acceptans se obligaret ad iteratam confessionem, vel expresse, si sciens conditionem absolutus est, vel implicite, si illam ignoraverit, sed habuit voluntatem accipiendi absolutionem cum oneribus ipsi adjunctis, qualem censetur per se habere; eo modo, quo volens ordinari censetur velle acceptare obligationem castitatis servandæ ordini sacro adnexam. Et addunt, talem pœnitentem non posse juste conqueri de onere idem peccatum bis confitendi; nam volens et libens hoc onus ipse subiit, cum ingressus Societatem eo ipso etiam se obligavit ad Constitutiones observandas.

b. — Econtra alii, uti Dicastillo et Gobat, dicunt, non ita constare de voluntate Societatis, ut se sistens Superiori etiam repetere debeat confessionem peccati reservati, a quo directe jam absolutus est. Nam finis præsentationis est, ut Superior videat, an apta remedia sint adhibita, ut alia congruentia præbeat, ut disciplinæ rigor vigeat, cet. Jam vero hic finis etiam per simplicem manifestationem extra confessionem sacramentalem obtinetur. — Nec obstant verba „eique confiteatur"; nam hæc non indicant necessario confessionem sacramentalem, sed tantum manifestationem; et cum agatur de re odiosa et difficili, debent stricta interpretatione intelligi. — Præterea verba ista: „se sistant et confiteantur," possunt etiam disjunctive accipi, nimirum: „Superiori se sistant, vel ei confiteantur." Et revera, si conjunctive sumenda essent, ita ut qui se sistat debeat etiam confiteri, quasi pleonastice esse dicta viderentur, cum qui Superiori tenetur confiteri, eo ipso etiam teneatur ei se sistere. — Certum utique est, eum qui Superiori se sistens ei manifestat rem, et ab eo dimittitur sine obligatione iterandæ confessionis, posse tutum esse in conscientia, quia in prima jam confessione a reservato directe absolutus est, verbisque regulæ satisfecit.

c. — Pœnitens in ipso actu confitendi debet habere voluntatem explendi hanc obligationem se sistendi Superiori; quia hæc est conditio, sine qua confessario concessa non est potestas absolvendi. Unde non absolvitur, nisi habeat hanc intentionem vel expressam vel implicitam. — Lugo l. c. — Suarez de poen. disp. 30. — Si habeat voluntatem se sistendi et postea mutaret eam, graviter peccaret, quia deficit in re graviter obligante; proin esset incapax absolutionis accipiendæ, quamdiu in hac prava voluntate manet.

d. — Obligatus ad comparendum coram Superiore non tenetur ante Missam vel Communionem; sed satis, si prima commoda occasione id faciat. Et si forte nequeat per se personaliter adire Superiorem, non tenetur (probabiliter) per alium vel per litteras huic oneri satisfacere.

9. — Pro itinerantibus et iis, qui casu extra domum versantur, 191
valent quæ habentur in Ord. c. 6. §. 6: „de iter agentibus, quando ad aliquem Societatis locum divertunt, aliter judicandum est: quos nempe potest a reservatis ordinarius loci illius confessor absolvere; aut si is haberi non possit, quilibet alius Societatis sacerdos approbatus; aut si is quoque desit, etiam externus. In omnibus tamen his casibus cum onere et obligatione, ut se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri vel redituri sunt, eique aut alteri de ejus licentia confiteantur. — Si vero accidat, ut aliquis tanquam hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus (puta spatio unius aut alterius circiter

mensis), si is eo tempore in casum aliquem reservatum incideret, poterit ac debebit absolvi a Superiore illius loci, in quo est, vel de ejus licentia, tanquam si proprius esset ejus subditus; sine obligatione sistendi se Superiori ejus loci, ad quem proprie pertinet."

192 10. — De Superioribus, si forte incurrerent reservatum casum, habetur Ord. 6. §. 7: „Superiores locales possunt absolvi a reservatis per quemcunque ex ordinariis suæ domus confessariis. Quodsi alium ex suis subditis malint is absolvet cum onere se præsentandi Provinciali. Provinciales autem absolvi possunt a suo socio, a Superioribus localibus seu eorum ad id delegatis, a confessariis ordinariis domus (cujuscunque in qua sunt.) Quo jure etiam gaudent ipsius socii."

193 11. — In residentiis missionibusque fixis, in quibus e Nostris pauci morantur, jus idem illarum Superioribus conceditur, quod Rectores habent, quoad facultatem absolvendi per se seu delegandi; integra tamen illis manente concessione Congregationis 8. D. 25. pro parvis domibus, qua confessarius potest absolvere pœnitentem a reservatis cum onere se præsentandi Provinciali aut alteri Superiori, si brevi sit in ejus domum discessurus.

194 12. — Præterea, si Superior ex urbe abierit, Vice-Præpositus aut Vice-Rector ab eo dictus habet potestatem absolvendi a reservatis, qualem et ipse Superior. Quodsi nullum suo loco substituerit, etiamsi per unum seu integrum diem sit absens, nec consuli possit, is qui Minister est et domui tunc præest, facultatem habet tum absolvendi tum delegandi hanc potestatem. — Vide etiam C. 17. D. 9., juxta quod, si nullus est designatus Superior, jurisdictio remanet penes Sacerdotem antiquiorem, ducta antiquitate ab ingressu in religionem.

13. — Ut consulatur conscientiæ quieti tum in confessario tum in pœnitente, sic habet Ord. c. 6. §. 8: „ad extremum, ut omnes eximantur scrupuli et majori cum fiducia ac libertate procedatur, cum confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, quod proponitur ab eo, etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licet hujusmodi dubitatio ex ignorantia procedat. Sed neque postea, si animadverterit manifeste fuisse mortale, repetenda erit confessio; bona siquidem et vera fuit absolutio"

195 *Nota.* — Quærunt, utrum Superior delegans confessario potestatem absolvendi pœnitentem a reservato peccato, possit etiam jubere simul confessarium, imponere pœnitenti certam pœnitentiam ab ipso indicatam. Respondetur cum distinctione:

a, Si fit per modum directionis, qua monetur confessarius de convenientia talis pœnitentiæ, nil obstat, quominus faciat Superior, cum hoc modo non se ingerat in judicium sacramentale.

b, Si fit stricto mandato, non consentiunt doctores: affirmat Suarez, negat Castropalaus probabilius, quia videtur esse ultra limites suæ jurisdictionis.

c, Verum habetur in Ord. c. 5. §. 7 »licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis.... a confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.«

II. DE ABSOLUTIONE RESERVATORUM IN SPECIE.

Propositis regulis generalibus de absolutione reservatorum, necesse est recensere, cuinam singuli casus reserventur, et ad quem proin pro eorum absolutione recurrendum sit.

1. — Ex casibus Clementinis.

Nullus reservatus est Generali vel Provinciali, neque in quantum hi 196
casus extenduntur pro Societate magisque ei adoptantur — Ord. c. 5. §. 2. — Omnes hi subsunt jurisdictioni Superioris localis. Excipiuntur utique ii. qui recensentur supra inter „Casus Societatis n° 10: Censuræ Societatis nostræ seu peccata, quæ in nostris Constitutionibus, Bullis et Decretis annexam habent excommunicationem." Nam in his casibus attendendum est, cuinam nostrorum Superiorum reserventur, et ad quem proin pro eorum absolutione recurrendum sit. Enumerantur et recensentur in: Catalogus novus censurarum, seu: præcepta et censuræ hominibus Societatis impositæ," c. 1. §§. 4. 5. et 6. — et c. 3. §§. 2. — 10. — inclusive.

2. — Hi casus Societatis.

De quibus modo diximus et qui in Ord. c. 5. sub n° 10. in genere proferuntur sub terminis supra enuntiatis, in specie sunt sequentes:

a. — Generali soli, resp. Vicario ejus omnes isti casus reservantur, qui annexam habent excommunicationem soli Papæ vel Generali reservatam Nimirum, uti videre est in Cens. et Præc.:

Ambientes Generalatum, Assist., Vicar., c. 1. §. 4., 5. et 6.
Non manifestantes hæc delicta. c. 1. §. 1.
Apostatæ. c. 3. §§. 2., 3., 5., 6., 7., 8. et 9.
Qui auxilium, consilium, favorem iis præstant. c. 3. §. 7.
Qui dimissionem impetrant causis non veris. c. 3 §. 9.

Nota. — Ut præsto sint legenti, quæ hic solum indicantur, sequuntur singula 197
præcepta et censuræ.

c. 1. §. 4: excommunicatio latæ sententiæ proposita n⁰ 1. (sc. de non manifestante ambitum) extenditur primo in omnes de Societate, quicunque vel ubicunque sint, qui ab obitu Præpositi Generalis ad electionem usque pro se vel pro aliis ambierint, aut cum personis Societatis aut cum externis, cujuscunque status aut conditionis sint, egerint aut tractaverint, vel litteras aut favorem Prælatorum, Principum aut aliorum procuraverint, ad quamvis nationem vel particularem personam promovendam ad Generalatum, vel excludendam. — Form. Cong. Gen. §. 21. — Extenditur secundo in illos, qui sinceritatem vel libertatem electionis juxta Institutum Societatis nostræ quoquomodo, directe vel indirecte, impedire vel corrumpere conati fuerint. — Extenditur tertio ad informationem non sinceram, eam scilicet, quæ studiose mendax est, mala cum intentione et in re gravi. — Demum ipso facto ambitiosos pro se vel pro aliis eo modo quo supra dictum est, in excommunicationem incidere decernitur, a qua non possint absolvi ante electionem, nisi a Patre Vicario, post electionem vero a R. P. Generali. §. 21.

§. 5: quicunque, vel ex Congregatione fuerit vel non, in informationibus vel extra illas, ambitiose egerit, ut vel ipse vel alius Assistens eligatur, aut etiam alius excludatur, excommunicatur ipso facto, et absolutio reservatur Præposito Generali. — Form. Congr. Gen. §. 82.

§. 6: in electione Vicarii eadem censura includuntur ambientes pro se vel pro aliis, quæ dicta est in electione Præpositi Generalis cum extensione prima, secunda et tertia, de qua n⁰ 4. — Form. Vicar. §. 6.

c. 1. §. 1: ab obitu Præpositi Generalis usque ad novi electionem, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, tenetur Vicario manifestare, vel alicui ex antiquioribus Professis, quicunque scit, aliquem Generalatum affectasse vel etiam tunc affectare, directe vel indirecte id procurando, vel signo aliquo id declarando. — P. 8. c. 6. §. 2. — Form. C. G. §. 21; a qua non possint absolvi ante electionem, nisi a P. Vicario, post electionem vero a P. Generali. §. 4.

c. 3. §. 2: si quis post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, ab ea ad sæculum recesserit, etiam prætextu cujusvis indulti concessi aut concedendi, absque expressa sui Superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta, ipso facto est excommunicatus, et absolvi non potest, nisi a Romano Pontifice vel Superiore Societatis. — Pius V. Bulla: »Æquum reputamus«, contra apostatas.

§. 3: deficientes a Societate post tria vota, etsi simplicia elapso biennio probationis emissa, tanquam veri apostatæ puniri possunt, et excommunicationi latæ sententiæ atque aliis apostatarum pœnis subjacent, Sedi Apostolicæ vel Præposito Generali Societatis reservatis. — »Ascendente.«

§. 5: nemo post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, sive Professus sive Scholaris, sive Coadjutor sit, ad alium ordinem præterquam Carthusiensium, nisi de expressa licentia ipsius Præpositi Generalis aut Sedis Apostolicæ, transire potest. — Paulus III. in Indult. et Privil — Idem cavetur et latius confirmatur a Pio IV. in litteris contra apostatas per Pium V. editis; proposita pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Romano Pontifici vel Præposito Societatis reservatæ, tam in religiosos recipientes, quam in ipsos receptos.

§. 6: jam vero, qui sine Præpositi Generalis facultate ad Carthusienses transiret, easdem pœnas incurreret, per communicationem privilegii Carmelitarum Discal-

ceatorum. — Paulus V, in Comp. Privil. antiquo, V. «Apostata», §. 10. — Nov. Comp. §. 529. 530.

§. 7: transeuntes ad Carthusienses intra tres menses, ad alium verum ordinem intra tempus eis a Superiore suo præfigendum, dictos ordines actualiter ingredi et si in eis permanere nolint aut non possint, absque ulla mora ad Societatem regredi tenentur; sub pœna excommunicationis eodem modo reservatæ, quam tam ipsi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium vel favorem præstantes, etiam incurrunt. — Comp. V. »Apostata«, §. 9. ex. litt. Pii V. contra apostatas. — Nov. Comp. §. 527.

§. 8: qui vult transire ad Carthusiensium ordinem tribus mensibus ei a Superiore præscriptis, si intra eos non ingrediatur vel non admittatur, vel non perseveret, non solum redire tenetur ad Societatem, sed ei etiam non licet amplius respectu Carthusiæ a Societate sine Præpositi ejus consensu recedere. Qui secus fecerit, in excommunicationis et alias apostatarum censuras et pœnas eo ipso incurret, a quibus nonnisi a Romano Pontifice vel a Generali Societatis absolvi poterit. — Gregorius XIII. »Exponi nobis«. — Nov. Comp. §. 536.

§. 9: omnibus etiam apostatarum pœnis ac censuris in foro conscientiæ subjacent, quicunque aut causis non veris, fraude ac dolo, aut delictis gravibus ea mente perpetratis, dimissionem impetrent. — C. 7. D. 22. §. 4. — Et si hoc in exteriori foro constiterit, possunt Superiores contra eos agere tanquam contra veros apostatas. — Ibid.

b. — Provinciali soli ex hac classe reservantur duo casus: c. 3. §. 4: Nostri ab ordine recedentes, nisi post mandatum cujusvis Superioris eisdem factum intra octo dies proximos ad obedientiam redierint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrunt, soli Pontifici reservatam; eidemque sententiæ subjacent omnes, qui iis auxilium vel favorem præstiterint. — Comp. Priv. Nov. „Apostata", 39. 40., per communicationem cum Erem. S. August., ubi Provincialibus committitur absolutio.

Dein in C. 7. D. 22. §. 2: „imponitur præceptum et pœna excommunicationis latæ sententiæ Provinciali reservatæ, tum in illos, qui inconsulto Provinciali externos de dimissione in consilium adhibent; tum in illos, qui quocunque modo externorum auxilio vel intercessione ad dimissionem a Superioribus obtinendam utuntur. Præcepti vero hujus transgressores, præter alias pœnas arbitrio Provincialis imponendas, longe sibi difficiliorem facturos dimissionem sciant."

3. — Quoad casus Papales

communes, tum ordinario tum speciali modo pro tota Ecclesia reservatos, hæc tenenda sunt:

a. — Soli Papæ reservantur: — 1, invasio Pontificiæ ditionis; — 198
2, attentata absolutio complicis; — 3, falsa accusatio de crimine solli-

citationis. — Comp. Priv. nov. V. „Absolutio". n° 3. pag. 8. — Petri Beckx, epist, encycl. 5 Julii 1875. — cf. n° 929.

b. Generali reservantur: hæresis et apostasia ab ecclesia post ingressum in Societatem. — Comp. nov l. c. n° 16. pag. 11; ubi adduntur, quæ excepta referuntur tit. „Apostasia", et in Catal. Censur. — Conf. supra n° 196.

c. — Provinciali committitur communicatio facultatis absolvendi in casibus speciali modo Papæ reservatis, sive de externis, sive de Nostris absolvendis agitur. Nov. Comp. l. c. n° 4. pag. 8.

Nota 1. — Confessarii Nostrorum, etiamsi habeant facultatem absolvendi a casibus Papalibus externos, non possunt propterea absolvere ab iis Nostros. Sic Lugo., Resp. Mor. l. 1. n° 27.; et P. Mutius ad omnes Provinciales; potissimum quia satis clare hæc facultas negatur in ant. Comp. Priv.: »Absolutio«, n° 8. in fine. Attamen P. Beckx ad Patrem Melot, 25 Aug. 1874, respondit affirmative, sc. quod possint, ad rationem P^is^ Melot dicentis: »quod post restitutam Societatem sat diuturno tempore derelictum est Compendium Privilegiorum; at in communicatione, quæ fit per pagellam Leoniis XII. nulla fit quoad Nostros specialis restrictio.« — Cf. tamen Nov. Comp. Priv. n° 16.

Nota 2. — Dicendum videtur cum Lugo aliisque, in Societate incurri reservatum etiam ab eo, qui ignoraverit reservationem istius peccati; cum reservatio apud nos sit principaliter medicinalis, neque possint Superiores supponi velle, ut ab ignorante non incurratur. — cf. Lehmkuhl, Vol. 2. n° 407.

Quarta Pars Constitutionum.

De iis, qui in Societate retinentur, instruendis.

Haec pars agit de eruditione et formatione Scholasticorum. Nam quum pro fine Societatis exsequendo præter virtutem etiam doctrina requiratur et facultas eam docendi, raro autem inveniantur viri, qui utramque hanc capacitatem jam afferunt in Societatem, hæc ipsa suscipit partem ejusmodi viros educandi. Sic habet proin Partis hujus quartæ Procemium, et præcipue ejus Decl. A:

„Cum scopus ac finis, ad quem tendit hæc Societas, sit, varias mundi partes ex obedientia summi Vicarii CHRISTI Domini nostri, vel Superioris ejusdem Societatis, peragrando verbum DEI prædicare, confessiones audire, et reliquis quibuscunque poterit mediis uti, divina gratia aspirante, ad animas juvandas: necessarium esse vel inprimis rationi consentaneum visum est, ut qui in eam sunt ingressuri viri sint vitæ probitate et litterarum eruditione ad id officium idonei. Et quia boni simul et eruditi pauci inveniuntur, si cum aliis comparentur, et ex paucis major pars jam a susceptis laboribus vellet conquiescere, perdifficile fore deprehendimus, hujusmodi hominibus, qui boni simul ac litterati essent, hanc Societatem augeri posse, tum propter magnos labores, quos ejus Institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem. Ideo nobis omnibus, qui conservationem et incrementum ejus ad majorem laudem et obsequium DEI ac Domini nostri cupiebamus, alia via tenenda esse visa est; admittendi nimirum juvenes, qui bonorum morum et ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul ac doctos viros ad colendam CHRISTI Domini nostri vineam essent evasuri; admittendi etiam Collegia cum iis conditionibus, quæ in litteris Apostolicis continentur, sive in Universitatibus, sive extra illas fuerint; et quidem si in Universitatibus, sive illæ Societatis curæ commissæ sint sive non. Hac enim ratione nobis in Domino persuademus, ad majus divinæ Majestatis obsequium fore, si et numero augeantur, et in litteris ac virtutibus pregressum faciant ii, qui eidem

obsequio se totos impendunt. — Primo ergo de iis, quæ ad Collegia pertinent, deinde de iis, quæ ad Universitates, agetur. Et quod ad Collegia primo loco de iis, quæ ad Fundatores; secundo de iis quæ ad Collegia jam fundata, quad materialia vel temporalia bona eorum pertinent; tertio de Scholasticis, qui in eisdem studiis vacant, admittendis, conservandis, litteris et aliis mediis ad proximum juvandum promovendis et a studiis educendis; quarto de iis quæ ad gubernationem eorum pertinent." — En, habes totius hujus partis claram et distinctam expositionem et divisionem.

Cum in hac parte fere unice sermo sit de Scholasticis et eorum rebus, non erit abs re, quædam generalia de eorum statu et fine præmittere.

a. — Essentie hujus status in Societate in eo est, quod Scholastici sunt classis hominum intermedia inter novitios, et eos, qui ultimis votis Societati definitive sunt cooptati. Sunt vera Societatis membra, eidem per vota substantialia licet simplicia incorporati, et proin vere religiosi, quamvis non jam sint in termino.

b. — Finis hujus classis in Societate est, ut amplius etiam probentur, cum adhuc sint in via; sed hæc eorum probatio præcipue ea est, ut progredientes in virtute simul litteris addiscendis incumbant, quo demum apta instrumenta ad finem ejus exsequendum evadant.

c. — Media ad hunc eorum finem proximum attingendum præbet ipsa vita, quam agunt Scholastici juxta Constitutiones et regulas, occupati continuo, ratione huic statui accommodata, in exercitationibus quam maxime variis: spiritualibus, scientificis, practicis, eo consilio, ut se aptos faciant ad varia ministeria in futuro exercenda juxta dispositionem Superiorum.

CAPUT PRIMUM.

De Collegiis.

DOMUS, in quibus vivunt Scholastici, vocantur Collegia, quae Societatis domicilia, ubi litterae et docentur et addiscuntur. Quorum Collegiorum sunt diversa genera, uti dicemus postea fusius, pro varietate doctrinarum et personarum eas addiscentium. Incipimus igitur ab his ipsis Collegiis, prout sanctum Ignatium totam hanc materiam divisisse supra in exordio jam exposuimus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FUNDATIONE COLLEGIORUM.

1. — Fundator Collegii juxtra mentem Constitutionum non est omnis, qui ad fundandum et conservandum Collegium quædam contribuit, licet hæc per se magni valoris sint: sed necesse est, ut provideat omnibus, quæ juxta normam Instituti ad fundandum et conservandum Collegium requiruntur, tum quoad fundos et ædificia convenientia, tum ad sustentationem personarum in Collegio degentium. Attamen varia pro varietate temporum et regionum in Congregationibus Generalibus statuta sunt. — cf. n° 764. 199

a. — In C. 5. D. 69. hæc habentur: „nempe ut deinceps, nullum Collegium admittatur, in quo litteræ humaniores doceantur, nisi ea fundatione dotatum sit, ut saltem triginta ex Nostris in eo ali possint: etc." — Attamen C. 8. D. 27. minus requirit: „visum est Congregationi, non fore contra vetera Decreta...., si deinceps admittantur aliqua Collegia, in quibus viginti saltem Socii degere commode ac sustentari possint. Excipiuntur Indicæ et Transalpinæ regiones, de quibus nihil adhuc præscribendum videtur." — Certe ea de causa, quia utrobique fieri poterat, ut quamvis non complerentur conditiones alias requisitæ, tamen Collegium ibi erigendum magnam uberrimi fructus acquirendi spem faceret.

Singula dein, quæ in fundando Collegio adesse debent, recensentur in Ord. c. 16. §. 6: „præter fundationis autem censum, congruam pro ratione numeri personarum habitationem, præparatam cum supellectili et bibliotheca, templique et scholarum ædificio hortoque dare debebit."

Talibus tantum fundationibus obveniunt beneficia et suffragia in Constitutionibus provisa. Unde explicantur varia Responsa, quæ sequuntur.

„Constitutiones non agnoscunt fundatores templorum, sed domorum vel Collegiorum. Talibus enim potest applicari pars suffragiorum, ut insignibus benefactoribus." — P. Ximenes Ferrar, 1592.

„Nobili, qui Residentiæ 9000 scutata donavit, non potest titulus fundatoris conferri neque cetera fundatorum privilegia. Hæc enim ad Collegia, domus probationis et Professas tantum se extendunt proprie: et summa oppido minuta est pro fundatione." — Prov. Lusit. 1652.

„Collegiorum fundatores dici non possunt, qui beneficia olim fun-

darunt; neque item, qui unionem beneficiorum procurarunt, nisi pactum intervenerit, habendi talem aliquem loco fundatoris, quale cum non intervenerit cum N.N., non est habendus fundator. — P. Claudius, 1598.

„Usus Societatis in omnibus fere provinciis jam obtinuit, ut illi habeantur pro fundatoribus Collegiorum qui pro fundatione eorum obtinuerunt a Pontifice applicationem bonorum ecclesiasticorum, iis enim utitur divina bonitas tanquam administris ad fundationem." — CC. 1636.

„Nomine fundatorum, quorum mensam Nostri adire possunt, non sunt intelligendi Canonici vel Senatores singuli, quando Capitulum, Monasterium vel Senatus fundat Collegium, sed solum Episcopus, vel Abbas, etc" — Gall. 1627,

„Fundatoris titulus non potest ad filium fundatoris extendi, quandoquidem nihil ad fundationem contulit. Ceterum ut fundatoris filius a nobis colendus est, atque tali debet singulis annis offerri candela." — Bohem. 1655.

„Fundatoribus, qui de Societate sunt, non solet offerri cereus; nec nomen eorum solet imprimi in publicatione suffragiorum." — Flandrobelg. 1646.

„Titulus fundatoris a Nostris non est transferendus in consanguineos." — 1649.

200 *b.* — Qui fundat Collegium, non est vi hujus fundationis pro patrono Collegii habendus, neque ulla jura in Collegium ipsi competere possunt pro beneficio præstito. Ita habetur in P. 4. c. 1. C: „per candelam significatio fit gratitudinis erga fundatores tenendæ, non juris patronatus vel actionis ullius, quæ illis aut eorum successoribus ad Collegium vel ejus bona temporalia competat. Nihil enim tale erit." — Vides, quam anxia sit Societas, ne ex ipsis beneficiis collatis libertas agendi restringatur. Et intelligitur proinde, quod de relatione externorum ad Collegium dicitur in C. 1. D. 112: „postea de his, quæ subdentur, agi cœptum est: An protectores habere in Collegiis tanquam amicos, et non tanquam habentes jus aliquod in ipsa Collegia, expediret. Probatum est, ut haberentur amici, qui protectionem susciperent Collegiorum; sed nomina juridica, quæ jurisdictionem dicant, vitanda esse, ne aliquando plus satis sibi sumant hujusmodi homines." — Itaque non habentur obligationes ex justitia. —

201 *c.* — Sed eo magis Societas vult obstringi fundatoribus eorumque successoribus pietate et gratitudine factis probata. Nam ita est in P. 4. c. 1. §. 1: „quoniam valde æquum est, ut, quod in nobis erit,

illorum devotioni ac beneficentiæ correspondeamus, quibus divina bonitas ad fundationem ac dotationem utitur administris, etc." — Dein sequuntur beneficia fundatoribus a Societate collata; sunt hæc:

α. — „Cum primum Societas in Collegii alicujus possessionem 202
venerit, Præpositus Generalis curet, indici per universam Societatem, ut quilibet sacerdos ter sacrum faciat pro superstite fundatore ipsius Collegii, ac benefactoribus, ut illos sua benignitate Dominus in rebus omnibus dirigat et suis donis semper augeat. Rursus cum ex hac vita illi excesserint, curabit idem Præpositus Gen., ubi primum resciverit, ut per totam Societatem singuli sacerdotes ter sacrum pro animabus eorum faciant. Quoties autem dictum est, missas esse a sacerdotibus celebrandas, ceteri omnes, qui in Collegiis degunt ac sacerdotes non sunt, ad eandem illam intentionem orare debent (i. e. rosarium ter): quandoquidem ejusdem gratitudinis nomine utrique obligantur in Domino." — Ita P. 4. c. 1. §. 4. — Item c. 1. §. 2:

β. — §. 2: „initio item cujusque mensis omnes sacerdotes, qui in Collegio fuerint, pro eisdem (fundatoribus et benefactoribus) semel offerre idem sacrificium perpetuo debeant. Singulis insuper annis eo die, quo Collegii cujusque possessio Societati tradita est, cum solemnitate missa pro fundatore et benefactoribus celebretur; et id temporis in eodem Collegio quicunque sacerdotes adfuerint, eodem sua referent sacrificia. — § 3: Eodem die candela cerea fundatori offeratur; etc." — Dein P. 4. c. 1. §. 1: „in quovis nostræ Societatis Collegio perpetuo singulis hebdomadibus missa semel pro ejus fundatore et pro benefactoribus vivis et mortuis celebretur." — Etiam P. 7. c. 4. §. 4: plures missæ pro numero sacerdotum.

γ. — §. 5: „Fundatores præterea ac benefactores Collegiorum 203
participes peculiariter efficiuntur omnium bonorum operum, quæ tum in ipsis Collegiis, tum in reliqua Societate DEI gratia fiunt."

Nota. — Hunc modum exhibendae gratitudinis erga fundatores pro variis circumstantiis in ipsa fundatione varium esse debere, sat clarum est. Itaque:

1. Ubi non fit plena fundatio, dicit decl. E: »cum iis autem, qui aliquod dumtaxat principium dederint, ea pars eorum, quæ diximus, præstabitur, quam Præpositus Generalis præstandam in Domine judicaverit.«

2. Si Communitates fundant, dicit decl. D: »in Communitatibus vel Rebuspublicis, quæ non moriuntur. dicentur hujusmodi missæ pro earum defunctis, et pro illis præsertim, qui de nobis melius meriti sunt in Domino.«

3. Si Episcopi fundant, distinguendum est; secundum C. 5. D. 11: »an declarandum esset, ut quando ab Episcopis fiunt fundationes Collegiorum de bonis mensæ episcopalis, sint potius habendi successores in fundatione Episcopi sub-

sequentes, quam fundatorum consanguinei. Et Congregationi visum fuit, ut nullum hac de re Decretum fieret, sed Patri Generali praxis permitteretur.«

4. Pro fundatore domus Professæ suffragia fiunt tantum in provincia et ipsa domo. — C. 3. D. 41 : »pro hujusmodi fundatore ea suffragia in ipsa domo et provincia, qua domus erigitur, exhibebuntur, quæ P. 4. c. 1. pro Collegiorum fundatoribus in tota Societate exhiberi præscribit, excepta candelæ traditione.« — C. 6. D. 20.

Ex dictis elucet, quantopere Societas benefactoribus se obstrictam sentit, temporalia spiritualibus copiosissime remunerando; et quidem non tantum semel et iterum, sed incessanter et pro futuris temporibus, quando plerumque homines etiam apud amicissimos et maxime conjunctos in oblivionem abierunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ADMISSIONE COLLEGIORUM.

204 1. — In admittendis Collegiis majori cum cura providendum est, ut Collegia, quæ jam habentur, sub omni respectu magis etiam firma et solida reddantur, quam ut numerus Collegiorum augeatur. Unde fluit hoc principium tenendum: nova Collegia tum demum admitti possunt, si vires in iis necessariæ suppetant, quin alia Collegia subtractis personis debilitentur; item ex altera parte tum demum, si, provisis convenientibus ædificiis, etiam pro sustentandis personis sufficientes donationes adsint. Unde factum est, ut jam a tempore Patris Laínez Societas in admittendis novis Collegiis refrænatione uti cogeretur, ne aliquid nimium fieret cum detrimento Societatis.

C. 1. D. 73: „statuimus, ne per decem annos proxime futuros, incipiendo a 1553, admittatur Collegium ullum, ubi non possunt duodecim saltem de Societate sustentari cum duobus aliis, qui rebus corporalibus inserviant, ita ut totus numerus ad quatuordecim perveniat." — C. 2. D. 8: „rogaverunt R. P. Generalem Præpositum et serio commendaverunt, ut potius applicaret animum ad roboranda et ad perfectionem perducenda Collegia jam admissa, quam ad nova admittenda; et si quæ admittenda existimaret ex iis, quæ offerrentur, ejusmodi essent et iis in locis et cum talibus circumstantiis, ut ad commune bonum Ecclesiæ Dei magnum momentum habitura videantur; et quoad ejus fieri possit, ita dotata, vel eam rerum vitæ necessariarum commoditatem habentia, ut non tantum operarii sustentari possint, sed et is etiam numerus Scholasticorum, qui pro seminario sit eidem

Collegio futurus, ut ex eo operarii prodire possint ad id conservandum. Nec admittatur, licet hæc omnia suppeterent, si non haberet Societas Rectores ac magistros, ac demum operarios in vita et doctrina idoneos, ut huic muneri posse satisfacere, auditis Assistentium sententiis, judicaret, et quidem sine aliorum Collegiorum detrimento." — In C. 3. D. 17. et D. 20. eadem Generali commendantur. — cf. n° 764.

Nota 1. — In C. 5. D. 69. forma Collegiorum approbatur, diversa pro diversis circumstantiis, quæ fusius in Ord. c. 16. explicantur. Distinguuntur nimirum tres formæ Collegiorum: infima, media, suprema forma, pro diversitate scientiarum, quæ ibi docentur et discuntur, et pro numero personarum in hunc finem ibi degentium: 205

a, infima Collegii ratio, ubi usque ad rhetoricam inclusive docetur et discitur, et ubi consequenter præter magistros et scholares etiam Superiores cum officialibus et necessarii operarii adsunt; in toto ad minimum 40 personæ.

b, media Collegii ratio, ubi præterea triennalis cursus philosophiæ exhibetur, ad minimum 80 personæ, quamvis dato casu etiam 60 personæ sufficiant.

c, suprema Collegii ratio, quæ est Universitas cum theologia scholastica, Scriptura et lingua Hebraica, ad minimum 100 personæ.

Omnia hæc tamen constituta sunt non pro regionibus Indicis et Transalpinis, ubi nil fixi determinatur; certe ea de causa, ne bonum ibi impediatur, quando omnia hæc fortasse haberi non possint.

Nota 2. — Nostris temporibus rerum status quoad facilitatem habendi Collegia rite fundata omnino discrepat ab antiquo; quare ne bonum impediatur, providit Societas in C. 22. D. 43. conjuncta cum C. 20. D. 14: istæ domus pro Collegiis inchoatis, quorum Superiores pleno jure Rectores sint, habendæ sunt, quæ bona stabilia non habent, scholas vero habent et numerosissimos convictores, quorum pensionibus suppletur fundatio. Est quidem status abnormis, tamen inevitabilis; quare a Generalibus provisum fuit quoad pensiones, earum summam, modum eas accipiendi etc., ut in his omnibus salvetur paupertas religiosa.

2. — Potestatem admittendi Collegia habet præter Congregationem Generalem ipse Pater Generalis, qui eam exercet nomine totius Societatis. Sic in P. 4. c. 2. §. 1: „ad Collegia, quæ libere Societati offeruntur, ut juxta suas Constitutiones omnino eis utatur, admittenda Præpositus Generalis nomine totius Societatis plenam potestatem habebit." — P. 9. c. 3. §. 17: „idem [Generalis] poterit, non exspectata Generali Congregatione, domos, Collegia, Universitates Societati oblatas accipere; et in fundatores, cum privilegiis in quarta Parte dictis, eos, quos in Domino admittendos duxerit, admittere; et lectores, sacerdotes et alia, quæ occurrerint, providere." — C. 2. D. 8. — C. 3. D. 20. — Attamen ut in hoc negotio caute procedat, admonetur. Quare: 206

a. — Generalis cavere debet, ne in acceptandis Collegiis „condi- 207

tiones admittat, ordini et modo procedendi Societati consueto non omnino consentaneas," uti habetur in P. 4. c. 2. §. 2. — Et P. 9. c. 3. §. 17: „erit ei curandum, ut cum hujusmodi conditionibus admittat, ex quibus Societas commoditatem ad propositum sibi divini obsequii finem, et non detrimentum sentiat, etc." — Hic finis, ut sæpius dicitur, est profectus in litteris et virtute.

b. — Talia detrimenta dicuntur esse ea omnia, quæ nimis distrahunt, mentem aliter occupant, tempus insumunt, quamvis alias utiliter: v. g. in P. 4. c. 2. §. 4: „curæ animarum, obligationes ad missas celebrandas, neque aliæ hujusmodi admittantur, quæ a studiis distrahere admodum et ea, quæ in illis ad divinum obsequium quæruntur, impedire solent." — P. 6. c. 3. §. 4: „non utentur Nostri choro ad horas canonicas, vel missas, et officia decantanda." — §. 5: „non debent curam animarum, neque item mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcunque suscipere." — §. 7: „quodsi Collegiorum aliqua negotia tractanda fuerint, suum habeant procuratorem, per quem ea tractent, et jura sua tueantur."

P. 7. c. 4. G: „non convenit, Societatem vel ejus domos aut Collegia cum aliqua Congregatione misceri; nec in ea ulli conventus agantur, nisi qui ad earundem domorum vel Collegiorum finem in divino obsequio fient." — C. 1. D. 134: non expedit, ut in nostris ecclesiis erigantur capellaniæ, quibus inserviant clerici sæculares, quos possint Nostri eligere. — C. 2. D. 59: non admittantur beneficia, quæ curam animarum habent. — Omnia ista, quamvis in se bona et utilia, a Collegiis arceantur, ut unico eorum fini omnes vires applicentur.

c. — Ne nimiæ sint scholæ vel lectiones habendæ, nec obligatio assumatur ad plures, quam decet, professores. — P. 4. c. 11. A: „Ille [Generalis] non se facilem ad id concedendum reddet [sc. cum fundator a Societate assignari certum lectorum numerum vel alias obligationis suscipi vellet], quin potius, re in consultationem cum suis Assistentibus adducta, videat, ne Societatem gravet; et si qua in re indulgeatur, constet, obligationem nullam induci, sed id, quod additur, omnino voluntarium esse." — Ratio in his omnibus est, ne Societas impediatur, quominus finem suum libere et modo sibi consentaneo prosequatur.

d. — Si forte quid nimium factum esset in concedendis obligationibus et subeundis oneribus, remedium statuitur in P. 9. c. 3. §. 17: „sed si experimento compertum esset, gravari magis quam juvari Societatem, nec Præpositus Generalis de remedio prospiceret, in prima

Generali Societatis Congregatione, utrum hujusmodi domum, Collegium, vel Universitatem relinqui an teneri cum tali onere expediat, agi poterit."

3. — Collegia et domos hoc modo a Societate rite admissa et 208
instructa, eo ipso tanquam auctoritate Apostolicæ Sedis erecta et confirmata censenda sunt. — Sic Paulus III. „Licet debitum" 18 Oct. 1549: „ipsasque domos, ecclesias, Collegia, cellas, oratoria ubilibet per dictos Socios pro tempore constructa, vel eis donata, eo ipso quod ædificata vel donata fuerint, Apostolica auctoritate erecta, approbata et confirmata; ac bona quæcunque pro Collegiorum dote, seu Scholarium inibi pro tempore commorantium sustentatione per quoscunque Christifideles pro tempore donata, relicta et legata, eo ipso prædicta Apostolica auctoritate perpetuo applicata et appropriata esse ac censeri, etc. etc." — Julius III. „Exposcit." — Pius IV. „Exponi."

ARTICULUS TERTIUS.

DE DISSOLUTIONE COLLEGIORUM.

1. — Potestatem dissolvendi Collegium aliquod sola Congregatio 209
Generalis habet per se; loco ipsius tamen etiam Pater Generalis una cum multis aliis de Societate, quorum suffragiis res definitur, uti nunc exponemus. — P. 4. c. 2. §. 3: „ad relinquenda vel alienanda Collegia aut domos jam admissas Præpositus Generalis simul cum ipsa Societate potestatem habebit. Cum enim id sit, perinde ac si membrum ab ejus corpore præscinderetur, et res alioqui perpetua majoris momenti sit, cum ea universa communicari melius est." — c. 11. §. 2: „non tamen Universitates, postquam admissæ fuerint, sine Congregatione Generali per eum dissolvi poterunt." — P. 9. c. 3. §. 5: „alienare autem aut omnino dissolvere Collegia vel domos jam erectas Societatis, sine Generali ejus Congregatione non poterit Generalis." — Ibid. §§. 17. et 18. — Sed nunc etiam observanda esse præcepta Ecclesiæ „de rebus Ecclesiæ non alienandis," si Collegium datum sit Societati sine conditione, clarum est.

2. — Quodsi Congregatio Generalis convocata non est, vel convocari non potest, urgeat tamen dissolutio, ipse Generalis, Assistentes, Secretarius, Procurator, omnes Provinciales in Europa cum binis cujusque Procuratoribus, i. e. antiquissimis Professis provinciæ, pro plura-

litate suffragiorum rem definiunt. Ita successivis Congregationum Generalium decretis statutum fuit.

C. 4. D. 23: „quodsi necessitas [dissolvendi Collegii] plane cogat, ut Generalis Congregationis tempus antevertatur, declarat [Congregatio] jus suffragii indubitatum habere ex officio, præter Præpositum Generalem, omnes Provinciales: non oportere tamen suffragia Provincialium, qui extra Europam sunt, propter nimiam eorum distantiam exquirere, nisi illius provinciæ, in qua esset domus vel Collegium, de cujus dissolutione ageretur. Assistentes vero non habere quidem jus suffragii, illis tamen fieri ab hac Congregatione, quæ id vehementer expedire judicavit, et ita eorum, sicut et Provincialium sententiam exquirendam. Procuratorem autem Generalem, nec Secretarium habere jus suffragii, nec illis tradendum videri. Majorem porro partem horum suffragiorum sufficere ad id statuendum, de quo deliberatur, juxta societatis Bullas et præsertim Julii III. anni 1550." — C. 4 D. 27: „decrevit autem Congregatio, ut non solum Provincialium, sed etiam duorum antiquissimorum Professorum cujusque provinciæ, sententiæ per litteras petantur, declarando, prout declarat Congregatio, ita intelligendam esse P. 4. c. 2. A. cui respondet, quod habetur in Bulla Julii III. anni 1550. Quod intelligi vult tantum, cum de dissolvenda aliqua domo vel Collegio extra Congregationem agitur. Quod vero ad intercessionem de Procuratore Generali et Secretario in D. 23. attinet, Congregatio definivit, ut et illi, quemadmodum de Assistentibus dictum est, jus suffragii in hoc eodem casu auctoritate hujus Congregationis habeant."
210 — Dein de Assistentibus generatim C. 5. D. 16: „statutum fuit auctoritate Congregationis, ut Assistentes habeant suffragium decisivum in iis omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem Generalem." — C. 11. D. 16. dedit Vicario amplam potestatem dissolvendi quæcunque Collegia male constituta. — C. 20. D. 20. voluit, ut Generali usque ad futuram Congregationem potestas esset, ob justas et evidentes rationes Collegia et domos dissolvendi, in residentias mutandi, penitus relinquendi cum suffragio Assistentium et Provincialis respectivi. — C. 22. D. 18. — C. 24. D. 28.

211 3. — De bonis temporalibus Collegii alicujus dissolvendi sic habet P. 4. c. 2. A: „et tunc non potest Societas nec ejus Generalis, quod sic relinquitur, vel ejus partem ullis extra Societatem hominibus donare. Sed si ipsa curam, quam habebat, reliquerit, poterunt, qui alias hanc auctoritatem sibi in fundatione reservaverint, pro sua devotione ad aliud opus applicare id, quod sic relictum fuerit. Si vero hujusmodi

non intercesserit reservatio, poterit procedere Societas juxta suum Institutum, prout ad DEI gloriam magis convenire judicabit."

ARTICULUS QUARTUS.

DE LICENTIA REQUISITA AD ERIGENDA COLLEGIA VEL DOMOS.

In erigendis Collegiis vel domibus cavendum est, ne jura aliena, 212
quæ jam exstant, lædantur vel offendantur; unde licentia necessaria oportet obtineatur ab iis, qui in hac parte auctoritatem habent. Quæritur igitur, a quibusnam hæc licentia petenda sit; et in genere, quænam observanda sint in hoc negotio erigendi novi Collegii, vel novæ domus.

1. — Summum jus summamque auctoritatem in hac re penes Pontificem summum esse, per se clarum est. Unde singulæ religiones in hoc negotio respicere debent ad ea, quæ jus commune præscribit, a quibus recedere non licet, nisi specialia privilegia iis concessa hoc permittunt et in quantum permittunt.

a. — Societati nostræ jam a Paulo III. „Licet debitum" 18 Oct. 1549 concessum fuit, pro arbitrio suo domos et Collegia erigere, ubi et quando sibi convenire videretur, quæ eo ipso tanquam Apostolica auctoritate erecta esse intelligerentur. — Verba habes supra Art. 2. §. 3.

b. — Innocentius X. „Instaurandæ" 26 Maji 1652 edixit, ut pro Italia et adjacentibus insulis ad erigenda cœnobia virorum Sedis Apostolicæ licentia prævia quæreretur. Unde multi juris periti existimabant, hac Apostolica Constitutione conditionem religiosorum in aliis regionibus non esse alteratam.

c. — Sed inde a Benedicto XIV. (de Syn. l. 9. c. 1. §. 9.) in omnibus tribunalibus Romanis obtinuit praxis, ex qua ubique et semper licentia hæc Sedis Apostolicæ tanquam necessaria requirebatur. Nihilominus etiam ipse S. Liguorius „de Privil. n° 88." dicit, rem non esse certam. Et „Mélanges théologiques" (L. i. fasc. 2. p. 57 Liége, 1877): „sententiam negantem, nedum tutam, sed solum hodie in praxi vigentem esse." Et „Analecta juris Pont. Live. Coll. 1599": „la Bulle de Pie VII. „Sollicitudo" semble munir le Supérieur-Génèral de la Société de JÉSUS du pouvoir de fonder librement des maisons et des Colléges dans le monde entier."

d. — Attamen saltem pro Anglia habet Bulla „Romanos Pontifices" 8 Maji 1881: „Respondemus: sodalibus religiosis, novas sibi

sedes constituere, erigendo novas ecclesias aperiendove cœnobia, Collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et *Sedis Apostolicae*, non licere." Et dein : „ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere, ea quæ constituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicæ et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quæ, salvis fundationis legibus, referatur duntaxat ad internum regimen et disciplinam regularem."

e. — Concludamus, in Societate de facto sufficere, licentiam habere Patris Generalis; qua data jure supponimus, omnia alia necessaria rite esse composita.

213 2. — Ab Episcopo, in cujus diœcesi domus vel Collegium erigendum est, expressa licentia data sit oportet; qua in re hæc, quæ sequuntur tenenda sunt.

a. — Præter licentiam erigendi Collegia et domos Societati a Papa concessam in „Licet debitum" 18 Oct. 1549, Paulus III. prosequitur: „inhibentes omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis aliisque ecclesiarum Prælatis et locorum Ordinariis, ac quibusvis aliis potestatibus ecclesiasticis et sæcularibus, illis nihilominus mandantes, ne ipsos Socios, aut eorum domos, ecclesias aut Collegia hujusmodi, ad aliquorum requisitionem ex propria eorum voluntate, si id in Domino expediens fuerit, ædificare volentes, quoquo modo in hujusmodi constructionibus impediant, perturbent aut molestent." — Tunc temporis igitur Episcopi licentia non requirebatur.

b. — Paulo post vero Trid. „sess. 25. de regul. c. 3. hanc licentiam omnino prærequirit: „nec de cetero similia loca [monasteria nempe tam virorum quam mulierum] erigantur sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta." — Quod accuratius etiam definiunt postea Clemens VIII. „Quoniam" 23 Julii 1603. — Gregorius XV. „Cum alias" 17 Aug. 1622, — Urbanus VIII. „Rom. Pont." 28 Aug. 1634. — Ex quibus colligitur, licentiam Episcopi scriptam ab ipsoque editam esse oportere; licentia a Vicario Generali vel a Capitulo data non sufficeret.

c. Episcopus non potest negare licentiam sine justa causa, unde, si negetur, religiosis semper competit jus appellandi, non quidem ad Nuntium, sicut in multis aliis causis, sed ad Congregationem Episcoporum et Regularium. Ita Gregorius XV. „Cum alias": „si vero a decreto seu decretis per Ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio

interponitur, ea ad eandem Sacram Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur; appellationeque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque et inane, quidquid secus supra his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernens, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus."

Nota. — Quæ dicta sunt de obtinenda licentia Sedis Apostolicæ et Ordinarii loci pro recens erigenda domo religiosa, tenenda sunt etiam, si in domum derelictam velit familia religiosa redire. S. C. Episc. et Regul. 17 nov. 1617. — Sed clarum est, hoc non obtinere v. g. temporibus nostris, quando per leges civiles iniquas cœnobia dissolvuntur et familiæ religiosæ per vim a domiciliis suis injuste arcentur. Quæ possunt igitur eo ipso in pristinum locum redire, cessante injusta vexatione. Intelligendum est de relictis domibus religiosis interveniente ecclesiastica auctoritate. 214

3. — Si in loco, ubi erigenda est domus vel Collegium, aliæ jam religiosæ familiæ sedem suam habent, earum jura inviolata et intacta servanda sunt. Fieri enim potest, ut nova accedens familia religiosa earum rebus nociva esse probetur, modo non tantam oneroso, sed etiam injusto. Unde æquitas et justitia postulat, ut etiam istæ habeant viam tuendi semetipsas. 215

a. — Exstant de hac re duo Decreta Pontificia, alterum alterum explanans et determinans. Primo Clemens VIII. statuit, „Quoniam" 23 Julii 1603: „Episcopum non posse dare licentiam pro erigenda nova domo religiosa, nisi prius Præpositi Mendicantium ibi jam degentium auditi essent, ipseque Episcopus certus factus sit, quod cœnobia ibi jam existentia vivere possint, etiamsi novum aliud cœnobium accedat. Quodsi a Mendicantibus jam ibi degentibus appellatio interponeretur, Episcopum usque ad definitam rem differre licentiam dandam teneri." — Secundo Gregorius XV. „Cum alias" 17 Aug. 1622: „confirmari hoc Decretum et extendi ad omnia alia cœnobia etiam non Mendicantium et quidem non tantum in loco, ubi erigenda sit nova domus religiosa, sed etiam ad distantiam quatuor millium passuum." — Addit Pontifex, interrogandos esse Præpositos alios, „nisi vel alias Ordinariis locorum constiterit."

b. — Est igitur hæc via ab Episcopo tenenda; — *a*) non tenetur Episcopus interrogare ceteros religiosos, si aliunde jam certus est, fore ut nihil ab iis opponatur: — *b*) si non est de hoc certus, utique ab eo sunt convocandi et interrogandi; — *c*) In omni eventu religiosis licet appellationem, de qua supra, interponere; qua pendente res in suspenso manet.

216 4. — Cum parochorum quoque intersit, habere vel non habere in suo loco domum et ecclesiam religiosam, quæritur, quænam ex jure iis competant in hoc negotio, quæque proin agenda sint.

a. — Ex Decretis Clementis VIII. et Gregorio XV. supra citatis nullatenus eruitur, Episcopum teneri, sicuti religiosos, ita parochos quoque congregare et interrogare. Nam quod in illis Decretis dicitur; teneri Episcopum ad hoc „et quoad alios interesse habentes," intelliguntur non parochi, sed alii religiosi; et patet igitur, parochorum licentiam ad erigendam domum religiosam non prærequiri.

b. — Quodsi tamen parochus putat, jura sua per ædificationem cœnobii vel ecclesiæ lædi, liber est ad interponendam rite appellationem, qua pendente progredi non licet nec Episcopo nec religiosis.

c. — Attamen non potest parochus nisi de stricti nominis juribus in casu lædendis conqueri, uti sunt v. g. decimæ, funeralia, necessaria sustentatio: non vero quæ alias ipsi ingrata essent vel ex accidenti aliquale nocumentum afferrent. v. g. quod ipsius ecclesia minus frequentaretur, quod accessus ad sacramenta in ea minueretur, quod perderet quædam lucra ex sellis et sedibus pretio locandis, et similia. Quibus perpensis satis clarum est parochos valde raro causam justæ querelæ habere posse.

217 5. — Fieri etiam potest, ut non liceat condere in aliquo loco domum religiosam, quia deficiunt conditiones a lege ecclesiastica requisitæ. Nimirum:

a. — Tridentinum sess. 25. de regul. c. 3. vult, ut in domibus religiosis „is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari."

b. — Gregorius XV. „Cum alias" 17 Aug. 1622 Tridentinam sanctionem magis determinans ita disposuit: „de cetero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium, cujuscunque etiam Mendicantium ordinis, societatis seu instituti, quocunque nomine nuncupentur, non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres aut monachi seu religiosi habitare ac ex reditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant."

218 *c.* — Non absolute tamen prohibentur erigi conventus, in quibus pauciores sint aut sustentari valeant, quam duodecim religiosi. Nam jussu et auctoritate Urbani VIII. 21 Junii 1625 prodiit Decretum Congr. Conc., in quo, renovata prohibitione Gregorii XV. de numero saltem duodenario, additur: „alioquin monasteria et loca hujusmodi posthac

recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari, aut inhabitare non poterint, et actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur." — Ex quo legitime concludi potest, posse quidem hodie erigi conventus absque duodecim religiosis, sed tunc non esse exemptos a jurisdictione episcopali. — Exempti tamen sunt, si sex adsint, ex Decr. S. C. Episcop. 12 Maji 1741. — cf. Craisson, n° 2563 sqq. — Bouix, p. 2. s. 2 p. 244 sqq.

Nota. 1. — Nostris iniquis temporibus, quando personæ religiosæ dispersæ, 219
vel paucæ tantum collectæ in unam domum, conversari coguntur, magni momenti sunt, quæ habentur in litteris Patris Anderledy ad Patrem Hœvel, 29 Aprilis 1876: »Responsum Pœnitentiariæ 12 Sept. 1872: cum Sacra Pœnitentiaria epistola data 18 Aprilis 1867 decrevit n⁰ 3: domos regulares civiliter suppressas, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum conveniant Regulares, quorum unus ad minus sit sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore subjectas, easque regendas esse per Superiorem peculiarem ibi constitutum.« — Sic Sacra Pœnitentiaria. Pergit tunc in eadem epistola: »Hoc rescriptum typis impressum est; ex quo eruitur, ubi tres e Nostris congregati sint, eos exemptos esse a jurisdictione episcopali. Hæc exemptio efficit, ut Nostri et etiam famuli intra clausuram degentes, utpote familiares, etiam a sacerdotibus nostris ultima sacramenta suscipere possint, quin jura parochi lædantur; porro, ut Sanctissimum quoque in tali loco asservare liceat, ne desit in casu necessitatis, cum viatico muniendi sint; cum hæc sit etiam ratio potissima, cur in ecclesiis parochialibus servetur.«

Nota. 2. — Præterea in Bulla: »Firmandis« Benedictus XIV. idem jus tribuit religiosis cohabitantibus, etiamsi numero terno minores sint, v. g. in Anglia; etiam hi possunt asservare Sanctissimum. Hæc Bulla valet pro regionibus Congregationi de Propaganda subditis, uti Anglia, Hollandia, Dania. – Imo pro Anglia Leo XIII. »Romanos Pontifices« 8 Maji 1881 sic dicit: »quamobrem in præsenti etiam Ecclesiæ catholicæ apud Britannos conditione declarare non dubitamus: Regulares, qui in Residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, etiam si singuli commorantur.«

ARTICULUS QUINTUS.

DE ERECTIONE ECCLESIARUM.

Plerumque simul cum domo religiosa ædificatur etiam ecclesia vel 220
oratorium sive sacellum publicum, cum hæc sit pars integralis cujusvis cœnobii. Sæpius tamen fiebat, nostris potissimum temporibus, ut religiosi rite permitterentur ab auctoritate ecclesiastica communiter cohabitare in quadam domo conducta vel recens ædificata, quæ non habebat sibi conjunctam ecclesiam vel sacellum publicum; aut ut, initio habentes

tantum sacellum publicum parvum et angustum, postea cogitarent de exstruenda ecclesia magis ampla et larga. Quod cum molirentur religiosi, sæpe sæpius obstacula et prohibitiones sibi opponi sentiebant variis ex partibus. Expedit igitur summopere proponere, quid juris sit in tali negotio, quidve facere vel non facere religiosis conveniat.

1. — Supra, art. 2. n° 3, jam dictum est, a Paulo III. „Licet debitum" 18 Oct. 1549, definitum esse, ut etiam ecclesiæ, oratoria, eo ipso, quod ædificata vel Societati donata sint, Apostolica auctoritate erecta, approbata et confirmata censeantur. Ex his verbis intelligitur, Episcopi licentiam ad ædificandam ecclesiam vel oratorium publicum non prærequiri. — Sed etiam Tridentinum, ubi privilegia ordinum exemptorum coarctat, in sess. 25. de regul. c. 3. solum exhibet „monasteria et domus," quæ non possint ædificari sine prævia Ordinarii licentia obtenta; minime vero loquitur de „ecclesiis et oratoriis." — Pontifices vero, qui postea hanc rem tangebant, nominatim Clemens VIII., Gregorius XV. et Urbanus VIII., de quibus supra sermo fuit, accuratius quidem istam Tridentini definitionem circumscribunt; attamen ne verbulum quidem de ecclesiis et oratoriis injiciunt, sed utuntur verbis Tridentini: „monasteria et domus."

2. — Concluditur inde: si licentia Ordinarii ad erigendum cœnobium, ædificandam domum religiosam rite a religiosis obtenta est, speciatim præterea de licentia Episcopi pro ædificanda vel aperienda ecclesia amplius curandum non est. Rationes hæ offeruntur:

a. — Domus religiosa, monasterium, cœnobium, secundum terminos juris, per se jam dicit ecclesiam, vel oratorium, tanquam partem sui integralem, quæ eo ipso secundum ejus conceptum vel ideam ei conjuncta sit. Dans igitur Episcopus licentiam erigendæ domus religiosæ, simul dat licentiam ædificandi ecclesiam vel oratorium, eodem prorsus modo, quo in prima licentia dat implicite licentiam ædificandi refectorium, bibliothecam etc.

b. — Recte etiam asseritur, religiosos exemptos etiam nunc sine licentia ulteriori Ordinarii, *vi privilegii pristini*, ecclesias ædificare posse. Nam hoc privilegium duo complectitur, domos nimirum et ecclesias ædificandas. Quoad domos quidem Tridentinum supervenit, prohibens, ne monasteria vel conventus sine prævia Ordinarii licentia erigerentur; ecclesias vero Tridentinum ne verbulo quidem attingit. Et ita, sublata prima parte pristini privilegii, stat adhuc firmiter altera, de ecclesiis nimirum ædificandis, quin recurratur ad Episcopum. Brevi igitur: aut ecclesia cum monasterio idem est, aut sunt diversa. Si idem, eo ipso

quod adsit permissio monasterii erigendi, adest permissio ædificandæ ecclesiæ; si diversa sunt, pristina privilegia quoad ædificandas *ecclesias* perseverant.

c. — Porro, religiosorum exemptio est non tantum personalis, sed etiam localis, ita ut territorium ipsum, in quo claustra sunt, jurisdictioni Episcopi non subdatur. Ædificare igitur in hoc loco exempto non potest pendere a jurisdictione Episcopi, quippe quæ ibi non obtinet. Quodsi tamen in jure dicitur non licere religiosis in loco exempto ædificare ecclesiam sine licentia *Superioris*, manifestum est, non intelligi Episcopum, quippe qui non sit eorum Superior, sed ipsum Papam, qui est omnium religiosorum Superior. — Aliter est ædificare in loco non exempto, ad quod requiritur Episcopi licentia, cum exemptio personalis non sufficiat ad hanc rem, uti patet.

d. — Cum ecclesia vel oratorium sit pars integralis conventus, ædificare ecclesiam nihil aliud est, atque ad finem perducere vel ultimato complere conventum. Quod tunc maxime obtinet, si pro oratorio jam exstante aliud ædificium magis amplum et spatiosum erigendum esset. Hæc non esset mutatio essentialis, ne tunc quidem, si novum ædificium in loco ab oratorio jam exstante distincto erigeretur, utique intra fines exemptionis; qui vero fines emptione fundorum adjacentium eo ipso sunt extensi. Esset ampliatio, non proprie dicta translatio; ad quam faciendam ex multis decretis Congr. Episc. et Reg. Episcopi licentia non requiritur; imo neque ad translationem in loco exempto.

e. — Denique, quidquid sit de licentia Episcopi etiam pro exstruenda ecclesia, hoc manifestum est, non posse Episcopum denegare ejusmodi licentiam „sine justa causa" Quæ aperte non potest adesse, nisi quando jus parochiale proprie dictum læderetur; casus certe rarissimus, imo fictitius. Nam quæ afferuntur a parochis adesse damna suarum ecclesiarum per vicinam ecclesiam religiosam, revera damna non sunt; et si essent aliquo sensu, plurimum compensarentur per bona, quæ ipsis parochianis, imo etiam ecclesiis parochialibus, ex ecclesia religiosorum et ex iis, quæ inibi fiunt, largissime accrescerent. —

Breviter igitur concludamus: ex canone juris non est monasterium sine ecclesia, quæ est istius pars integralis, imo principalis. Qui proin vult esse monasterium, vult eo ipso etiam esse ejus ecclesiam, cum omnibus lucris et bonis spiritualibus et temporalibus inde manantibus in commodum fidelium. — Vering. Achiv. 1871. t. 26. pag. 130 sqq.

Nota. — Quæ dicta sunt de ecclesiis nostris ædificandis, summi momenti erant in Germania; nam ibi plerumque incepimus, ex licentia Ordinariorum cum parvo oratorio publico. Quod quum plerumque ex frequentiori accessu fidelium non

ita multo post insufficiens et nimis augustum appareret, volentibus nobis ecclesiam ædificare plurimæ difficultates oriebantur, ex parte sæpius ipsorum Episcoporum. Quæ juris nostri sunt, proposuimus; addimus tamen, non expedire semper, juri suo stricte insistere, et magis couducere, rem nostram in pace et cum patientia urgere.

CAPUT SECUNDUM.

De rebus temporalibus Collegiorum.

PRÆTER ea, quæ juris sunt in fundandis, acceptandis, admittendis Collegiis, plurima occurrunt dicenda, quæ ad eorum res temporales spectant; nimirum ad ædificationem, reditus, administrationem, et similia alia; quæ sanctus Ignatius in Procem. decl. A. secundam sectionem hujus quartae Partis Constitutionum esse assignat.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ÆDIFICANDO IN GENERE.

1. — Jam a Paulo III. „Licet debitum" 1549 concessum fuit Societati recens natæ, pro arbitrio suo domos et Collegia erigere, ubi et quando sibi convenire videretur, uti supra dictum est. — Verbis magis etiam expressis Pius IV. „Etsi ex debito" 13 Aprilis 1561: „quæcunque Collegia, domos, ecclesias et oratoria in quibusvis mundi partibus per vos hactenus erecta et in posterum erigenda motu simili approbamus et confirmamus ac de novo concedimus, illique perpetuæ et inviolabilis firmitatis robur adjicimus." — Addit præterea facultatem, non attento privilegio Mendicantibus concesso, erigendi ædificia nostra etiam intra centum quadraginta cannas.

Idem confirmat Gregorius XIII. „Salvatoris Domini" 30 Oct. 1576; et Urbanus VIII. „Rom. Pont.", qui tamen monet, ut parce utamur hac consessione, et sub hac conditione: „de Ordinarii expresso consensu." — Sic de licentia Pontificia.

221 2. — In Societate ipsa ne quidquam ædificetur sine licentia Superiorum, quæ petenda est a majoribus vel minoribus Superioribus, prout de majori vel minori agitur· — cf. n° 788.

a. — Ad Generalem referendum est de ædificiis majoris momenti, ut de tota re ipsi plene constet. — C. 2. D. 84: „ad R. P Generalem referenda videtur forma ac modus ædificiorum nostrorum construen-

dorum, ut ille juxta Decretum Actorum posteriorum præteritæ Congregationis, quod sibi in Domino visum fuerit, statuat." — Indigitatio fit ad C. 1. D. 113: „deinde de ratione ædificiorum fuit propositum, modum esse imponendum ædificiis domorum et Collegiorum, quod in nobis est; ne præter cetera incommoda fiant aliquando palatia nobilium; sed sint ad habitandum et officia nostra exercenda utilia, sana et fortia; in quibus tamen paupertatis memores videamur; unde nec sumptuosa sint nec curiosa etc. De ecclesiis tamen nihil dictum est."

Reg. Prov. 75: „ædificia conservari et, si opus erit, instaurari curet; quodsi quæ ædificanda majoris momenti fuerint, ut esset templum, dormitorium vel aliquid hujusmodi, nisi approbante Generali non fiant, ad quem pertinet, formam et modum nostrorum ædificiorum præscribere."

b. — Sine Provincialis licentia nihil omnino ædificetur, qui ad necessaria tantum facultatem facere potest. — Ord. c. 2. §. 9: „Superiores locorum, inconsulto Provinciali, ædificare nihil debent; nec permittere Provincialis, ut quidquam, nisi quod necessarium sit, ædificent." — Claudius.

c. — Locales igitur Superiores ne ullam quidem habent potestatem ædificandi sine licentia Provincialis. Unde duplex fluit commodum: primo, obvium fit naturali pruritui sat multis indito, mutandi et construendi semper quid juxta conceptum propriæ mentis; secundo, obtinetur major conformitas æqualitasque in unaquaque provincia.

3. — Structura ædificiorum talis sit, ut inserviant usibus nostris, 222
neve pugnent cum ratione nostræ paupertatis. Supra C. 1. D. 113. — Immediata cura conservandi et reparandi ædificia incumbit Rectoribus et Superiobus immediatis. — P. 4. c. 2. §. _: „provideant necessitatibus materialis ædificii."

Nota. — Ne miremur, quod ædificia nostra hinc inde sat splendida apparuerint; non erat semper penes Superiores nostros, modum et formam Collegiorum et domorum præscribere, quando fundatoribus in animo erat, aliquid nomine et statu suo dignum Societati donare in perennem memoriam.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REDITIBUS COLLEGIORUM.

1. — Sancto Ignatio in animo erat, haberi in Societate talia 223
Collegia, in quibus scholastici per curam rerum ad vitam necessa-

riarum in studiis feliciter prosequendis non impedirentur. Inde est, quod jam in formula Instituti, in Bulla „Regimini" 27 Sept 1540 hæc habentur: „possint habere collegia habentia reditus, census seu possessiones, usibus et necessitatibus studentium applicandas." Quod idem dicitur in Bullis subsequentibus Julii III. „Exposcit" 1550, Gregorii XIII. „Ascendente" 1584. — Huic concordat, quod ex Trid. sess. 25. de regul. c. 3. conceditur omnibus monasteriis et domibus..., ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. ., exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio apostolico non erat concessum. — Ex. c. 1. §. 4: „habet Societas Collegia et domos probationis reditibus dotatas, ad scholasticorum sustentationem." — P. 4. c. 2. §. 6. constituitur, ut scholastici ex propriis reditibus ali possint, neve, nisi in summa necessitate eleemosynas ad tempus emendicent.

2. — Reditus tanti sint, ut sufficiant ad removendam ab incolis Collegiorum curam et sollicitudinem rerum necessariarum, quo magis expediti sint ad studia strenue persequenda. — C. 1. D. 73: „quia etiam videmus, quam sit incommodum, quantumque impediatur divinum obsequium, cum domus et ecclesia exercitiis nostro Instituto consentaneis apta non habetur, cumque Nostri necesse habent, occupationes spirituales relinquere, ut vacent victui et rebus temporalibus ad studium necessariis quærendis, similiter statuimus, ne ullum mittatur Collegium ad locum aliquem, ubi domus conveniens ad Nostrorum habitationem et scholas tenendas, et ecclesia ad spiritualia exercitia in proximorum auxilium tractanda non assignetur, sive proprietatem ejus, sive usum liberum relinquant." — „Non item mittatur, si saltem ad unum annum, quæ necessaria sunt..., non dabuntur. Elapso enim anno, si communitati Collegium utile non invenietur, poterit nos certiores facere, et inde Nostri alio commigraro poterunt." — C. 2. D. 8: „ita dotata, vel eam rerum vitæ necessariarum commoditatem habentia, ut non tantum operarii sustentari possint, sed et is etiam numerus scholasticorum, qui pro seminario sit eidem Collegio futurus, ut ex eo operarii prodire possint ad id conservandum." — C. 5. D. 69. vult, ut nullum Collegium admittatur, nisi ea fundatione dotatum sit, ut ex propriis reditibus, pro varia Collegiorum forma, saltem triginta, vel sexaginta, vel centum ex Nostris in eo ali possint.

224 3. — Quo major Societatis sollicitudo est, ut in Collegiis necessaria adsint, et quidem ex fundatione, eo major etiam cautio est habenda,

ne paupertatis ratio negligatur, neve fiant vel admittantur, quæ ejus spiritui contraria sunt. Unde varia constituta fuerunt:

a. — Collegiis non possunt simpliciter applicari, quæ ex bonorum abdicatione a Nostris Societati donantur. Ista bona manent in ea provincia, ubi exstant; et Patris Generalis est definire, cui domui obvenire debeant. De his postea fusius agetur, ubi sermo fiet de modo qui tenendus est a Nostris secundum rationem paupertatis, quando bonis suis renuntiant. — n° 637. seqq. — etiam. n° 783.

b. — Eleemosynæ et oblationes ne admittantur. — P. 4. c. 2. §. 6: „nec petantur eleemosynæ, nec illæ, aut dona ulla oblata admittantur. Si reditus minores fuerint, quam huic numero [duodecim scholasticorum cum magistris] alendo sufficiant, admitti quidem, non autem peti aliquæ eleemosynæ possent, nisi tanta paupertate Collegium premeretur, ut etiam petere, saltem a quibusdam, esset necessarium. Tunc enim (magis divinum obsequium et universale bonum præ oculis semper habendo) peti eleemosynæ, imo et ostiatim ad tempus, quandocunque necessitas id exigeret, emendicari poterunt. — C. 3. D. 25. — C. 8. D. 59. — Ord. c. 1. §. 14. — P. 4. c. 2. G.

c. — Pro spirituali ministerio: confessionum, prædicationum, lectionm, scholarum, ne quidquam accipiatur in compensationem. — P. 4. c. 7. §. 3: „cum tam proprium sit nostræ professionis, nullum temporale præmium accipere pro spiritualibus ministeriis, in quibus juxta nostrum Institutum in proximorum auxilium occupamur, non convenit, ullam Collegii dotationem admittere, per quam ad dandum concionatorem, aut confessarium, aut lectorem aliquem theologiæ Societas obligetur." Non potest obligatio ulla esse, nisi ex gratitudine erga fundatorem, non ex titulo justitiæ, sed ratione æquitatis. — decl. E: „non repugnaret hujus constitutionis intentioni, ut sese [Societas] ex consequenti obligaret ad lectiones Universitatis ordinarias, quamvis inter illas aliquæ theologicæ essent." — C. 1. D. 75.

d. — Non licet, in ecclesiis arcas exponere ad capiendas eleemosynas. 225
— P. 6. c 2. §. 8: „ut omnis avaritiæ species evitetur, præcipue in iis ministeriis, quibus ad animarum auxilium Societas utitur, nulla sit in ecclesia arca, in quam eleemosynæ ab iis, qui ad conciones, missas, vel confessiones et reliqua spiritualia ad eam conveniunt, conjici solent." — Ne pro aliis quidem hæc arca exponatur. — C. 2. D. 78: „omni cura, labore et diligentia curemus, ne arcula aliqua proponatur in nostris ecclesiis ad eleemosynas accipiendas pro aliis, cum pro nobis tam sit necessarium, eas poni non posse; ut non rem tantum evitemus, quæ nobis prohibita est, sed rei illius omnem speciem."

226 Hinc inde quidem permittebatur, valde raro tamen et per exceptionem. Quod probant sequentia Responsa. — Rectori Masup. 20 Maji 1610: „arculum concedi in sacello convictorum, in quam eleemosynas conjiciant, alibi permissum est; magis tamen placet, non concedi." — Patri Hoffæo Visitatori, 15 Aprilis 1595: „non putamus, fieri debere arcam illam matronarum, in quam eleemosynas suas conjiciant. Etsi enim templum nostrum non est, tamen ad usum sacelli nostri eas offerunt; quod proinde est, ac si nostrum sit." — Lusit. 15 Aprilis 1610: „parochi seu vicarii in ecclesiis Collegiis unitis arculam, salvis Constitutionibus, possunt exponere, in quam fideles conjiciant eleemosynas; quæ tamen ad usus nostros concedi non possunt, sed cedere debent in usum templi, seu parochi, seu vicarii."

e. — Non permittuntur in ecclesiis nostris fundationes, capellaniæ et ejusmodi, ne suscitetur invidia aliorum, qui putant, sibi inde damnum afferri. — Gregorius XIII, „Salvatoris," 30 Oct. 1576: „neve ullum, aut certe quam minimum præjudicium aliis Religiosorum monasteriis ex Societatis domorum, Collegiorum et ecclesiarum vicinitate provenire ex eo, quod, propter diversam functionum et Instituti rationem, Societas ipsa nec chori usum habet, nec ad funerales associationes accedit, nec defunctorum funera nisi rara, nulla item missarum vel sepulcralia stipendia, nullas sepulcrorum vel capellaniarum fundationes, nullam denique prorsus eleemosynam, quæ ad quodvis ipsius Societatis ministerium vel opus dirigi intelligatur, admittit."

f. — Paupertatis ratio in Collegiis eo potissimum exhibeatur, quod in administrandis bonis Collegiorum ubique vigeat spiritus paupertatis, ejusque leges et præscripta, secundum mentem Instituti, ab omnibus et omni tempore caute observentur. Juvat igitur de hac administratione expresse disserere.

ARTICULUS TERTIUS

DE ADMINISTRATIONE BONORUM.

1. — In hac materia imprimis oportet intelligere, cui ipsum jus administrandi bona competat, et penes quem de facto sit bonorum administratio.

227 *a.* — Summum et primum jus administrationis omnium temporalium Societatis bonorum est penes Societatem professam, una cum Generali. — Paulus III. „Regimini": „retenta penes Præpositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta Collegia." —

Julius III. „Exposcit" 21 Julii 1550: „possit professa Societas... habere Collegia..., quæ possint habere reditus, census, seu possessiones, usibus et necessitatibus studentium applicandas." — Pius V. „Innumerabiles fructus" 29 Aprilis 1568. — P. 4. c. 2. §. 5: „possessionem Collegiorum cum rebus temporalibus, quæ ad ipsa pertinent, capit Societas." — P. 10. §. 4: „juverit magnopere, in suo bono statu ac disciplina Collegia conservare, et ad id eorum superintendentiam per illos exercere, quibus utilitatis temporalis nihil ex eis potest accedere; talis est Societas professa." — Recte igitur habet Suaresius: „Collegia sunt quasi pupilli perpetui et habent tutorem Societatem: Generalem, Provincialem, Rectorem."

b. — Loco et nomine Societatis professæ ipse Pater Generalis est 228
summus administrator omnium bonorum Societatis; sine ipsius auctoritate nihil potest valide fieri, v. g. in contractibus, etc. — P. 4. c. 2. C: „Societas in usum Scholasticorum suorum juxta litteras Apostolicas redituum administrationem exercebit per Præpositum Generalem, vel Provincialem, vel alium, cui Generalis id commiserit, ad defendendas et conservandas possessiones et reditus Collegiorum, etiam in judicio, cum id conveniens vel necessarium fuerit."

Pius V. „Innumerabiles fructus" 29 Aprilis 1568: „omnimodo Collegiorum ipsius Societatis gubernatio ad pro tempore existentem Præpositum Generalem vel ipsam Societatem spectet..., ut neque Collegia præfata Capitulum habeant, neque capitulariter ad quævis peragenda congregentur; omnisque facultas celebrandi contractus ex iisdem Constitutionibus penes Præpositum præfatum resideat, quod etiam Generalis Congregatio ad commodiorem Societatis hujusmodi negotiorum expeditionem utile, imo necessarium judicans, voluit et publico instrumento decrevit et declaravit." — C. 1. D. 100. et D. 144.

P. 9. c. 3. §. 5: „est item penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quosvis contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium, tam domorum quam Collegiorum Societatis; et imponendi ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum Collegiorum, in eorundem utilitatem ac bonum, cum facultate sese onere liberandi restituta pecunia, quæ data fuerit. Alienare autem aut omnino dissolvere Collegia vel domos jam erectas Societatis, sine Generali ejus Congregatione Præpositus Generalis non poterit."

Generali licet etiam bona immobilia vendere, si sit in evidentem utilitatem Societatis. — Gregorius XIII. „Apostolicæ Sedis" 18 Dec. 1576: „Societati ac Præposito Generali moderno et pro tempore existenti, ut ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, informatione

de contractibus ineundis per litteras vel alias, prout ipse Generalis statuerit, a subordinatis localibus Præpositis vel Rectoribus..., vel a Provincialibus seu Visitatoribus aut Commissariis, vel ab aliis sibi bene visis, auditis juxta eorum Constitutiones Consultoribus, accepta; quæcunque domorum tum professarum tum probationis, Collegiorum et aliorum locorum ejusdem Societatis ubilibet consistentium bona stabilia et immobilia, seu quasi stabilia, nec non et pretiosa mobilia, cujuscunque qualitatis et quantitatis ac valoris, et in quocunque loco posita, pro pretio et sub pactis, conditionibus, modis et formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen domorum et Collegiorum hujusmodi utilitatem, per se vel alium seu alios, vendere, alienare, permutare, ac etiam in emphyteusin seu livellum, ad tres generationes vel nominationes tantum, seu aliud longum tempus, pro affictu sibi bene viso concedere, absque alia a nobis vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus aut sede prædicta, vel illius de latere Legatis seu Nuntiis aut etiam locorum Ordinariis petenda vel obtinenda licentia seu confirmatione, libere et licete possit et valeat, concedimus et indulgemus." — Sed nunc valent, quæ dicuntur n° 732. 733.

229 *c.* — Penes Rectorem vel Superiorem localem utique est immediata administratio temporalium, et facultas faciendi contractus validos; attamen pendent in omnibus a Generali, resp. a Provinciali. — P. 4. c. 2. §. 5: „totius vero administrationis ratio Rectoribus constet, ut eam reddere, quando et cui per Præpositum Generalem constituetur, possint." — P. 9. c. 3. §. 4. — C. 8. D. 60. §. 4. — Ord. c. 20. §. 3. — cf. n° 769-779.

Totius administrationis ratio continuo Superioribus constare debet; unde tenetur rationem reddere Procurator singulis mensibus Rectori, Rector in visitatione Provinciali; hic Generali singulis tribus annis.

230 2. — Quo modo temporalia administranda sint, dicitur in regulis eorum, quibus hæc cura vi muneris commissa est: Provincialis c. 9. — Rectoris c. 6. — Instr. 21. — Hæc Instructio legenda est saltem bis in anno a Rectore una cum Ministro et Procuratore; deinde etiam tempore visitationis Provincialis. — In Congregationibus Generalibus etiam sat frequenter de iis agitur, quæ ad bonam administrationem pertinent: C. 7. D. 82. — C. 8. D. 60. — C. 9. D. 41 — C. 14. D. 12.

Et cum a bona temporalium administratione plurimum pendeat status religiosæ domus, etiam spiritualis, non abs re erit, distincta quædam puncta in hac re proponere.

ARTICULUS QUARTUS.

QUÆDAM DE BONA ADMINISTRATIONE.

1. — Imprimis necessarium est, de rebus temporalibus et de muneribus ipsis, quibus earum cura commissa est, ita sentire, loqui, agere, prout ex principiis fidei et ex spiritu religionis convenit. Quod dicunt Constitutiones: 231

P. 3. c. 2. § 7: „in iis, quæ pertinent ad rerum temporalium conservationem, præter curam illam, quam omnibus charitas et ratio imponit, æquum erit, alicui peculiariter demandari hoc munus, ut tanquam bona Domini nostri JESU CHTISTI propria ea curet;... omnia ad majorem gloriam DEI, Creatoris et Domini nostri semper dirigendo." — cf. nº 770.

C. 8. D. 15: „negligentes et prodigos rei familiaris Collegiorum ac domorum, quæ CHRISTI pauperum est patrimonium et a qua etiam res spirituales et bonus Societatis status,... tantopere pendent, impunitos esse minime patiatur (Præpositus Generalis). — C. 1. D. 112. monetur, ne plus quam necesse est, hominibus sæcularibus in hac re confidatur, cum facile arrogantes et onerosi sint: „probatum est, ut haberentur amici, qui protectionem susciperent Collegiorum; sed nomina juridica, quæ jurisdictionem dicant, vitanda esse, ne aliquando plus satis sibi sumant hujusmodi homines."

2. — Ii, quibus cura rerum temporalium committitur, administrationis talentum habeant oportet. 232

P. 4. c. 2. §. 5: „possessionem Collegiorum cum rebus temporalibus, quæ ad ipsa spectant, capiet Societas, et Rectores, qui ad id munus conveniens habent talentum, constituet, qui curam suscipiant conservandi atque administrandi res ipsorum temporales, ac provideant necessitatibus etc."

Rect. reg. 5: „eos, qui domestica obeunt ministeria... prudenter constituat, suas cuique regulas tradat, aliquando visitet, et prout in Domino convenire judicabit, vel in eisdem ministeriis detineat, vel ab iis removeat. Quia vero officia quædam, ut bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei invenientur, non facile mutari debebunt."

C. 7. D. 82. §. 6: „ut Rectores reliquique officiales tales adhibeantur, qui prudentes sint œconomi: Ordinationemque Patris Nostri Claudii de rebus temporalibus commendatissimam habeant. Sed neque permittendum Rectoribus, ut œconomiæ domesticæ formam in rebus alicujus momenti, inconsulto Provinciali, immutent." — cf. no. 789.

233 3. — Tota administratio tam sollicita et accurata cura geratur, ut quovis momento Superioribus de omnibus et singulis ratio reddi possit; quare etiam in archivio omnia scripta huc spectantia, uti contractus, rationes, etc., bene ordinata serventur. — cf. no. 791.

Prov. reg. 78: „intelligat, an exempla authentica contractuum majoris momenti, præsertim rerum perpetuarum, ad archivium, quod est in urbe penes Præpositum Generalem, missa sint, alioqui mittenda curabit." — 79: „videat computa inter Superiorem et Procuratorem transacta, rationemque exigat accepti et expensi, et resolutionem ultimi sui computi summatim scribi faciat, quam ipse subscribet in libro designato; in hoc autem scripto simul constet tam de summa accepti et expensi ab ultima visitatione, quam de eo, quod residuum fuerit, vel etiam, si quid debiti maneat."

Rect. reg. 57: „singulis mensibus a Procuratore rationem accepti et expensi, præsente Ministro, exigat, ut totius domus administrationis ratio ipsi constet, eamque reddere possit, cui et quando per Superiorem constituetur. Caveat autem, ne Collegium ære alieno gravetur." — Huc referuntur Reg. Procuratoris, et Ord. 20. per totum.

234 4. — Æs alienum ne contrahatur sine gravissima causa, diligentissima sollicitudine curandum est.

C. 7. D. 82. §. 8: „causas æris alieni contracti in visitatione diligenter inquirant Provinciales; nec patiantur Superiores, quorum negligentia debita creverunt, sine pænitentiis abire; moneatque Generalem de talibus, si rei gravitas id postulaverit, a munere amovendis." — C. 8. D. 15: „censuit Congregatio, non statuendam quidem de novo certam pœnam culpæ (Superioribus localibus, qui sine facultate Provincialis, aut probabili causa, notabili summa æris alieni gravaverint domum, quæ potest esse admodum varia Verumtamen Patri nostro summopere voluit commendatum, ut, pro suo in Societatem affectu, ejusmodi Superiores incuriosos et negligentes vel etiam prodigos rei familiaris Collegiorum ac domorum, quœ CRISTI pauperum est patrimonium et a qua etiam res spirituales et bonus Societatis status ac progressus tantopere pendet, impunitos esse minime patiatur; sed Provincialium (vel in gravioribus causis, suo ipsius) judicio pœnam irroget non imparem culpæ juxta C. 7. D. 82. §. 8." — cf. n°. 772.

235 5. — Superfluæ expensæ ne fiant — C. 7. D. 82 §. 7: „ne personarum sine necessitate mutationes fiant. Superflua domi ne habeantur: non equi, non famuli plures: serveturque Ordinatio Patris Nostri Claudii circa peregrinantes data anno 1611;" ne fiant peregrinationes sine justa

omnino causa et modo pauperibus accommodato. — C. 3. D. 37: „ad religiosam disciplinam et paupertatis rationem pertinet, ut in peregrinationibus et profectionibus Nostri, quos ipsorum Superiores id præstare posse judicaverint, pedestri itinere in toto vel in parte utantur... curabitque, ut in equitando solius necessitatis, sive personæ sive negotiorum (quam Superiores mittentes judicabunt) ratio habeatur."

Nota. — Nostris temporibus, cum itineris faciendi modus omnino mutatus est, 236
hæc ad amussim exequi non convenit. Eo magis autem cavendum est omnibus, ne occasione peregrinationis expensæ fiant non necessariæ et pauperibus non convenientes; item ut in via ferrea ad summum curru secundæ classis utantur; et similia. Sentiant itinerantes, extra domum etiam rationem vivendi debere esse uti pauperibus accommodatam, ne scandalizentur homines ex modo vivendi, quo utuntur religiosi.

6. — In ratione vivendi paupertatis leges stricte observandæ, et 237
proin mutationes in ea minime faciendæ sunt sine legitima auctoritate.

Ex. 4. §. 26: „sui victus, potus, vestitus et lecti rationem, si Societatem sequi volet, sibi persuadeat, fore ut pauperibus accommodatam, quodque quæ vilissima sunt domi, ei tribuentur."

P. 3. c. 2. §. 3: „in iis, quæ ad victum, vestitum et habitationem et alia corpori necessaria pertinent, curetur cum divino auxilio, ut, quamvis sit, in quo probetur virtus..., non desit tamen, quo sustentetur natura et ad divinum obsequium laudemque conservetur, habita convenienti ratione personarum in Domino." — P. 6. c. 2. §. 15: „in vestitus itidem ratione tria observentur: primum, ut honestus ille sit; alterum, ut ad usum loci, in quo vivitur, accommodatus; tertium, ut professioni paupertatis non repugnet. Videretur autem repugnare, si sericis vel pretiosis pannis uteremur, a quibus abstinendum est; ut in omnibus humilitatis et submissionis debita ad majorem Dei gloriam ratio habeatur." — cf. n° 777.

7. — Domi ne plures sint personæ, quam necessariæ, ne in earum sustentatione inutiles expensæ fiant.

C. 7. D. 82. §. 1. sqq: „ne plures in singulis [Collegiis] alantur, quam per facultatem ali possunt, pauciores etiam. — Ne plures in Novitiatum admittantur, quam qui provinciis necessarii sunt. — Ne Coadjutores quartam partem in Collegiis, in domibus vero professis ne tertiam partem excedant." — C. 8. D. 60: „potius adhibeantur famuli, quam prœscriptus ille numerus excedatur."

8. — Ex modo, quo temporalia administrantur, proximi ædificentur; 238
absit et ipsa species avaritiæ.

C. 7. D. 85: „ampla prædia, quæ non sine externorum offensione possidentur, commutari curet Generalis." — C. 2. D. 61: „omnia, quæ speciem habent sæcularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, et similibus, intelligantur prohibita esse Nostris." — C. 7. D. 84. §. 4: „typographiam in Collegiis ne habeant, in qua libri excusi externis divendantur." — C. 21. D. 11: „quoad conducenda prædia ad facilius et commodius Collegium vel religiosam domum sustentandam, standum est antiquis decretis." — C. 2. D. 55: „lites forenses, pro rebus præsertim temporalibus, fugiant Nostri omnes et id curent Provinciales efficere; ac primum compromissione rem adnitantur componere. Quodsi nulla ratione id possint assequi, tamen non intendat quisquam e Nostris litem hujusmodi, nec omnino litem aliquam, absque consensu Præpositi Generalis, aut ejus, cui expresse suas vices ad hanc rem ille commiserit."

239 9. — Quamvis secundum paupertatis rationem omnia componenda sint, nihilominus Superiores absint omnino ab avara tenacitate, utantur vero liberali cura in suppeditando subditis necessaria et convenientia. Cujus rei exemplum clarum exstat nobis in Epistola P. Pauli Olivæ, 1 Jan. 1680, in qua hæc:

„Nam et in alimentis parce suppeditandis interdum prævalet vel tenacitas moderatorum, vel negligentia, et in re vestiaria non paulo sæpius, maximeque in linea supellectili, tam quæ ad lectum quam quæ ad amictum interiorem pertinent; nec liberalitati satis consultum audio nec fere necessitati. Obsecro igitur in visceribus CHRISTI caritatem Provincialium atque obtestor, ut, in quibuscunque sive domorum præsidibus, sive administris officinarum, reperiant illiberalitatem hujusmodi et sordidam indolem, corrigant protinus et convertant ad meliora consilia, sine quibus et laxandæ religiosæ paupertati et vitæ communi eliminandæ paulatim in sacris familiis aperitur via. Murum proinde Societatis præcipuum stabilire se noverint, ubicunque Superiorum providam curam in habendis honeste et liberaliter subditis, ac potissimum ægrotis, in quorum neglectu nullam prorsus erroris exigui ac materiæ levis excusationem admittimus, fovebunt peramanter et provocabunt."

240 10. — Pauperes eleemosynis sublevandi sunt.

Prov. reg. 96: „quæ eleemosynæ externis pauperibus, sive ordinariæ, sive extraordinariæ, erogari debeant, ipse Superioribus præscribet, auditis Consultoribus, pro Collegii vel domus facultate. Ubi vero habentur

bona ecclesiastica, eleemosynas aliquas fieri providebit, in locis præcipue, ubi hujusmodi reditus percipiuntur." — Reg. 89: „si aliqua bona applicabuntur Societati... expediet, ut ex his eleemosynæ aliquæ in pauperes ejus oppidi, ubi sunt bona, distribuantur."

Reg. Janit. 11: „cum pauperes eleemosynæ causa ad januam accedunt, benigne respondeat et sedulo quærat, quidnam iis erogari possit juxta Superioris arbitrium; idque illis cum caritate distribuat."

Ord. c. 1. §. 10: „si, qui bonis suis se abdicant, alii potius quam Societati ea donare velint, nec dissuaderi nec retrahi debent, nec opus est, ut Generalis assensum ad id requirant etc." — „Habeaturque ratio pauperum ejus oppidi, in quo sunt bona" — cf nº 779.

Coroll. — Juvat addere nonnulla ex Epistola Joannis Pauli Olivæ: 241
„de sedula rerum temporalium administratione", 1 Jan. 1679, quibus intelligitur, quantopere cordi sit Generalibus, tum ut Superiores in administrandis temporalibus bono communi provideant, tum ut subditi secundum leges paupertatis se componant. Legimus ibi:

„Cogitanti mihi sub ipsis renascentis anni primitiis, quid nomine Societatis universæ offerrem ei, de cujus plenitudine spiritum et nomen accepimus, illud sponte se obtulit, quod non exterioris modo, sed et interioris vitæ necessarium est fundamentum, ut nimirum administrationem rerum temporalium, tanquam conditioni temporum opportunam, summopere Superioribus omnium provinciarum serio commendarem. Nam et domesticæ disciplinæ vim perstitisse diutius et vigere adhuc animadvertimus in antiquioribus illis religiosorum cœnobiis, quæ intentiore studio curarunt rem familiarem, et ex ejus neglectu irrepsisse in alia quoque non pauca multiplicis mali labem, occasionemque degeneris laxamenti, etc." — „Sicubi autem aut bellorum injuriis, aut soli sterilitate aliave temporum inclementia, vel diminuti appareant annui reditus vel diminuendi, erit calamitatis insolitæ non leve solatium aut lucrum in exercitatione virtutis. Neque enim recusabimus nos interea parcioris vitæ victusque tolerantia subire communem aleam, quæ vel nobiles opulentasque in sæculo familias coegit, consuetos antea sumptus contrahere, atque ad modum fortunæ tenuioris attemperare. Sed hoc quidem postremum Rª Vª ceterique passim Superiores, ubi opus fuerit, in exhortationibus domesticis ad subditos referant" — Tantopere decet homines, qui paupertatem profitentur, temporibus extraordinariis etiam effectus quosdam paupertatis extraordinarios sentire.

CAPUT TERTIUM.

De Scholasticis admittendis et conservandis.

EARUM personarum, quæ in Collegiis versantur, est triplex genus: sunt Superiores cum suis officialibus ad regendum et gubernandum; sunt operarii ad exercendum sacrum ministerium in prædicando, confessiones audiendo et aliis operibus spiritualibus exercendis; sunt demum magistri et scholares ad docendum litteras et ad eas discendas. — Porro Collegia ipsa etiam triplici ratione distinguuntur: sunt, in quibus solum nostri scholares erudiuntur; alia, in quibus solum externi; alia demum, ubi nostri et externi simul scholas frequentant. De quibus postea fusius. — Hic imprimis agendum de tertia classe personarum, de magistris et magis etiam de scholaribus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ADMITTENDIS SCHOLASTICIS.

242 1. — Facultas admittendi scholasticos in Collegia, i. e. statuendi, ut nostri juvenes ad hæc vel illa studia facienda destinentur, apud solum Provincialem est. Rector Collegii suscipit tantum eos ex arbitrio Provincialis.

Prov. reg. 49: „ipsius prudentiæ relinquitur, quid hi aut illi addiscere debeant, juxta ætatem et ingenium uniuscujusque, ad majorem gloriam DEI; eos autem, quos non esse aptos ad studia inveniet, ab illis removere poterit." — P. 4. c. 5. §. 2. — Rect. reg. 37: „neminem ad inchoanda studia admittat, nec eos, qui ad illa ex Provincialis commissione admissi fuerint, ad aliam facultatem promoveat, absque ejusdem Provincialis approbatione; cui post maturam considerationem et examen de unoquoque suo tempore significabit, quid sentiat."

Provincialis nonnunquam etiam novitium ad studia in Collegio facienda destinare potest. — Reg. Prov. 38: „poterit etiam ex commissione Generalis cum novitiis in secundo anno probationis circa studia dispensare, habita ratione personarum, locorum et temporum, prout expedire in Domino judicabit." — P. 4. c. 3. §. 4: „non tamen approbati scholastici censentur, donec biennio exacto, et votis ac promissione illa emissis, in approbatorum numerum referantur." — Idem dicitur in C. 2. D. 14.

2. — Scholastici vero, qui ad studia mittantur, quales esse debeant, dicitur in P. 4. c. 3. §. 2. sqq: „primum omnium, cum aliquo ex quinque illis impedimentis in prima parte dictis nullus in Collegio aliquo Societatis... collocari poterit — et hujusmodi esse debent, ut secundum rationem sperari possit, idoneos ad vineam CHRISTI Domini nostri exemplo et doctrina excolendam esse evasuros. Hi autem, quo magis ingeniosi bonisque moribus ornati, et sani corpore ad ferendos studiorum labores fuerint, eo magis idonei et citius ad Collegia mitti, vel in eisdem admitti possunt. — Ad hæc, illi solum in scholasticos approbatos admittuntur, qui in domibus vel Collegiis ipsis probati fuerint et biennio in variis experimentis et probationibus exacto, ac votis cum promissione de Societatis ingressu jam emissis... — quibusdam studia conceduntur, qui ante biennium et probationes hujusmodi ad Collegia ex domibus destinantur." — In summa igitur, sint . 243

a, liberi a quovis impedimento essentiali;

b, spem facientes, fore ut in bonos operarios evasuri sint;

c, præsertim, si ingeniosi et bonis moribus ornati sunt;

d, sani quoque corpore ad ferendos studiorum labores;

e, non ante finitum novitiatus biennium, et regulariter emissis votis;

f, nonnulli jam secundo novitiatus anno, ita tamen, ut sint sub speciali cura Patris spiritualis, nec censeantur jam scholastici approbati.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SCHOLASTICORUM VALETUDINE.

Quantopere sollicita sit Societas, ut valetudo corporis in Nostris, præcipue in juvenibus tempore studiorum, integra conservetur, inde jam elucet, quod in ipsis Collegiis ædificandis hujus rei ratio habetur. — P. 10. C: „curandum est, ut domus et Collegia in locis, ubi sit purum et salubre cœlum, habeantur, et non in iis, qui contrariam habent proprietatem." — Imprimis vero apparet hæc materna cura in iis, quæ Societas ordinat et statuit, ut omnia procul absint et caute evitentur, quæ sanitati corporis ejusque viribus qualecunque nocumentum afferre possint. 244

1. — In ipsis exercitationibus spiritualibus et in adhibendis aliis sanctificationis mediis prudens mensura statuitur. — P. 4. c. 4. §. 3: „itaque præter sacramenta confessionis ac communionis (ad quæ octavo 245

quoque die accedendum erit), et præter missam, quam quotidie audient, horam unam impendent recitando B. Virginis officio, ac examinandis bis quotidie suis conscientiis, cum aliis orationibus pro cujusque devotione, usque ad prædictam horam explendam, si expleta non fuerit." — Hoc orationis tempus mox per usum, dein per legem augebatur in unam horam totam meditationis matutinæ, præter tempus examinis bis per quadrantem faciendi; de quo infra. — En, habes nostrum cibum spiritualem quotidianum, sufficientem quidem et solidum, sed non exuberantem; vires spiritus valide sustentantur roboranturque; potest homo intimam cum DEO familiaritatem fovere, et simul aptum se reddere ad serviendum ipsi in explenda sanctissima ejus voluntate.

De externis perfectionis exercendæ mediis habet Summ. reg. 48: „corporis castigatio immoderata esse non debet nec indiscreta, in vigiliis et abstinentiis et aliis pœnitentiis externis ac laboribus quæ et nocumentum afferre et majora bona impedire solent." — Quare quoad juvenes nostros habet Rector in regulis suis nº 38: „impedimenta removeat, quæ a studiis animos scholasticorum avocant, qualia sunt nimiæ mortificationes et devotiones."

246 2. — In studendo modus et tempus impendendum ita regulentur, ut non per imprudentiam vel inconsiderationem valetudini noceatur.

Huc referendum est imprimis illud universale principium ex P. 10. § 10: „moderatio laborum animi et corporis, et in Constitutionibus, quæ ad neutrum extremum rigoris vel dissolutionis vergant (ut sic melius observari possint,) mediocritas conferet ad durationem et totius corporis in suo statu conservationem."

Unde in P. 4. c. 4. §. 1: „id tamen peculiari cura animadvertendum erit, ut temporibus valetudini corporis incommodis scholastici non studeant; et somno, quantum temporis satis erit, tribuant; et in laboribus mentis modum servent. Sic enim fiet, ut diutius in iis perseverare, tam in litteris addiscendis, quam in eisdem exercendis ad DEI gloriam possint."

Ad Rectorem pertinet, hisce rebus invigilare, sicuti est in Rect. reg. 38: „et circa scholasticorum valetudinem peculiari cura animadvertat, ut et in laboribus mentis modum servent, et in iis, quæ ad corpus pertinent, religiosa commoditate tractentur, ut diutius etc." — reg. 49: „omnes, præter illos, quos ipse judicaverit excipiendos, horæ quadrantem ante prandium vel cœnam corporis exercitationi tribuant." — reg. 55: „a prandio et a cœna hora una, diebus autem Veneris post collationem vespertinam dimidia recreationi religiose impendatur; idque

in uno loco si commode fieri poterit. Sed neque extra hujusmodi horas labores nimium continuari sine aliqua convenienti relaxatione sinat."

Scholastici corporali labore ne graventur; sed tali labore potius recreentur et reficiantur. — P. 4. c. 6. B: „adjuvare eos, quibus hujusmodi officia operosa [occupationes exteriores] commissa sunt, aliqua hora nihil prohibet; verum onus ipsorum officiorum sumere potius Coadjutorum est. qui ad scholasticos sublevandos in Collegiis constituentur."

3. — In omnibus corpori necessariis: somno, cibo habitatione, nihil desit, quod conveniat; nam inoportuna harum rerum deficientia, quamvis per tempus aliquod ferri potest, demum tamen nociva est et inhabiles reddit ad labores ferendos in futuro. — P. 3. c. 2. §. 1: „ut nimia sollicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent, reprehensibilis est, ita cura moderata tuendæ ad divinum obsequium valetudinis ac virium corporis laude digna et ab omnibus adhibenda est etc." — Quare si quid noceat, Superior debito modo monendus est, ut provideat. — Etiam P. 4. c. 4. §. 1., ut supra. 247

4. — Ad conservandas corporis vires plurimum confert, ut ex anima ipsa omnes affectus nocivi expellantur; quales sunt: passiones, sensuales inclinationes, laudis cupido, defectus indifferentiæ, mala conscientia, ut sit sana anima in sano corpore. Nam ordinis perturbatio in anima etiam in corpus perturbationem infert, destruitque harmoniam et æquilibrium partium, cum maximo detrimento sanitatis. — Quare in P. 3. c. 1. §. 4: ab omni inordinatione se custodire; se in pace ac vera humilitate interna conservare, commendatur; et experientia satis docet, ex anima in corpus et bona et mala transire. 248

5. — Cum corporis sanitati viribusque convenienter consulitur, sollicite cavendum est, ne quid nimii ei præbeatur in suis necessariis, in otio, recreatione et similibus. Quare eo ipso tempore, quod quasi unice destinatum esse videtur ad reficiendas corporis vires exhilarandamque animam, sollicite attendendum est rebus spiritualibus, ne pietas deficiat. — Sic habet Ord. c. 14. §. 1: „idcirco enitendum erit Superioribus ut quæ intermissiones a studiis ad novas vires sumendas institutæ sunt, quo alacriores ad eadem revertantur, ita peragantur, ut et corpori recreationem pariant et vires, et spiritus ardorem minime extinguant. Quare hæc pauca in universum præscribenda visa sunt": — 1).... ut ædes sint peraccommodæ, et obseratæ fores, ne liber sit 249

exitus nec desideretur religiosa disciplina; — 2) ut spiritualia exercitia examinum et orationis minime prætermittantur; — 3) ut nullus eo præsertim tempore externorum villas, licet propinquorum, adeat, nisi graves ob causas Provinciali videretur esse alicui concedendum; — 4) Provincialis statuat tempus, genus ludorum etc., et ultra quindecim dierum spatium non erit procedendum.

250 Statuit C. 16. D. 25: „facultatem rusticandi apud externos, et excurrendi extra domus nostras, nonnisi rarissime gravibusque de causis, atque ad breve tempus, nec unquam sine socio, concedendam esse." — Et C. 18. D. 7: „non licere Superioribus localibus, inconsulto Provinciali, facultatem concedere excurrendi extra domus nostras, et rusticandi apud externos, si apud eos pernoctandum sit. Quodsi quando causæ urgentissimæ, quæ raræ sunt, id omnino exigant, et socium semper adjungant, et rem totam Provinciali quam primum significent." — cf. nº 908.

251 6. — Ne quid desit scholasticis et ut omnibus eorum necessitatibus rite provideatur, datus est iis, sicuti in spiritualibus proprius pater, sic in corporalibus et temporalibus proprius Minister, qui curam eorum agat. Ordinatio quidem, quæ hoc exhibet, proprie est de scholasticis junioribus; sed usus communissimus fert, ut, si fieri potest, idem fiat pro philosophis et theologis, nisi rationes aliud suadeant.

Ord. c. 13. §. 3: „horum [scholasticorum] autem cura et instructio, etsi ab ipso Rectore Collegii, sicut et aliorum, tota pendebit, nihilominus per alios exercenda erit; quorum primus quasi Præfectus spiritus in eo promoveat et dirigat; alter tanquam Minister in regulari disciplina contineat, ac de necessariis prospiciat; nisi ob numerum grandiorem tertius videretur addendus Coadjutor. Nam Ministro totius Collegii minime visum est expedire illos subjicere" etc. — §. 5: „Posterioris (i. e. Ministri scholasticorum) vero, qui sacerdos plurimum esse debebit, munus erit, Rectorem ad exteriorem gubernationem juvare in iis omnibus, quæ ab eodem præscripta fuerint; a quo item uno tanquam suum instrumentum, et non ab aliis pendebit. — §. 6: „Quare ejusdem erit, catalogum officiorum exercitiorumque, quæ ab illis in Collegio fieri oportebit, ex Rectoris præscripto conficere... curabitque, ne quidquam Fratribus desit, sive ad vestitum et habitationem, sive ad cetera necessaria pertineat, Rectore consulto." — §. 8: „versetur una cum iisdem in recreationibus, quæ in vinea aut domi fiunt, in loco a Rectore præscripto, a quo sine ejusdem Patris facultate non abscedent; sintque minimum terni, quotquot, cum foras

eundum erit, egredi domo oportebit." — §. 9: quamvis de singulis ab eo monendus erit Rector, quin et singulis quibusque mensibus, ac sæpius (si sic eum velle intellexerit), quemadmodum quisque se gerat, nisi res ipsa quam primum fieri docebit."

Ex omnibus, quæ dicta sunt elucet, Societatem cura prosus singulari eos amplecti, qui efformandi adhuc sunt ad opera grandia et gravia in futuro ad laudem Dei præstanda.

ARTICULUS TERTIUS.

DE SCHOLASTICORUM VITA SPIRITUALI.

Scholastici, ne studiorum occupatione in studio virtutum et in rebus 252
spiritualibus quid remittant, imo ut fervorem spiritus retineant, multis provisum est, de quibus in P. 4. c. c. 4. §. 2. sqq. —

1. — Ut finis Societatis attingatur, in omnibus ejus membris statim ab initio studium virtutis assequendæ primum omnino locum semper obtinet, quidquid est de aliis muneribus et occupationibus et ministeriis. Hæc summa nostra lex et norma agendi conspicuis verbis proponitur in P. 10. §. 2:

„Media illa, quæ cum Deo instrumentum conjungunt, ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora sunt, quam quæ illud disponunt erga homines. Hujusmodi est probitas et virtus ac præcipue charitas et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum ad gloriam ejus, qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento posthabito. Videtur itaque in universum curandum esse, ut omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum, et in spiritualium studium rerum incumbant, ac in hujusmodi majus momentum, quam in doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet."

2. — Unde etiam scholastici, dum tota animi contentione studiis 253
incumbunt, monentur serio, ne propterea vita spiritualis destrimenti quid capiat.

P. 4. c. 4. §. 2: „post probationem, cum studiis vacant, ut est cavendum, ne fervore studiorum intepescat solidarum virtutum ac religiosæ vitæ amor etc." — Optime illustratur hæc res ex Patris Claudii

epistola: „de mediis ad conservationem Societatis," nº 6: „In scholaribus Societatis omni modo nitendum erit, ut conservetur spiritus ac devotionis fervor; curandum etiam, ut tempus habeant vacandi studiis, et ut liberentur ab omnibus aliis occupationibus, quæ hoc ipsum impediant. Videndum tamen in primis erit, ne ii ullo modo permittantur in litterarum studiis progredi, qui superbi, inquieti, aut male mortificati animadvertentur, de quibus probabiliter existimari poterit, si scientiis et doctrina ornentur, non aliud esse, quam eos armare in Societatis damnum, sive nobiscum manserint, sive potius discesserint, quod aliquando necessario futurum est, nisi se emendaverint. Quocirca invigilandum est primo quoque tempore ad verum in eis spiritum excitandum ac renovandum. Quod tentari poterit removendo illos ab occupationibus studiorum, reducendo ad solitas novitiatus probationes, excercendo in rebus humilibus ac contemptibilioribus, aliisque ejusmodi exercitiis ac modis. E quibus tamen, si visi fuerint minus proficere, aut emendationem seriam ac sufficientem non consecuturi, præstat, mature ut e Societate dimittantur. Vix enim credi poterunt damna atque incommoda, quæ ab ejusmodi hominibus Societas patitur, non tantum ob molestias illas, quas in dies afferunt, quamquam et hæ permagnæ sunt; sed et multo magis, quod progressu tandem temporis, nisi ad sacerdotium promoveantur, murmurant facile et tumultuantur; si vero promoveantur, majores longe difficultates exhibent, nec potest Societas de eis esse secura. Dilabuntur postea ad prætensiones graduum, obloquuntur palam, alienant animos simpliciorum ab Instituto, scandalizant alios, et denique gravissime periculosissimeque nocent; quod tunc maxime etiam faciunt, cum operarii jam aut concionatores constituti alliciunt sibi animos prælatorum populorumque; quo fit, ut... eos tolerare cum incommodis jam enumeratis cogamur, et tandem dimittere majori cum eorum amaritudine minorique proximorum benevolentia et ædificatione."

254 Hæc generaliter de necessitate agendi curam de scholasticorum vita spirituali. Res vero, quarum imprimis interest in iis, hæ esse dicuntur:

a. — Puritas animæ universæ et puritas intentionis specialiter. — P. 4. c. 6. §. 1.: „ut autem scholastici plurimum in his facultatibus proficiant, imprimis animæ puritatem custodire ac rectam studiorum intentionem habere conentur; nihil aliud in litteris, quam divinam gloriam et animarum fructum quærentes; et in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant... crebro petant." — cf. reg. Schol. 1.

b. — Inde derivatur etiam vera indifferentia circa studia. — P. 4. c. 6. §. 2: „et licet nunquam ad exercenda ea, quæ didicerunt, per-

veniant, illum tamen studendi laborem ex obedientia et charitate... susceptum, ut par est, opus esse magni meriti in conspectu divinæ ac summæ Majestatis apud se statuant." — Quod fortius etiam in Instr. 7. §. 5: „nec minus operæ ponendum est a Superioribus, ut scholastici nostri eam indifferentiam assequantur, juxta regulam 31. Summarii, ut scilicet a Superioribus se regi sinant, nec sint solliciti, quid peractis studiis et tertiæ probationis anno sint facturi; solet enim plerumque evenire, ut si aliter contingat, quam animo conceperunt, non sine magna molestia et spiritus jactura perturbentur."

c. — Modestia interna et externa, cum vera humilitate, quæ est decus et ornamentum juventutis. — P. 4. c. 4. §. 6: „eant et redeant invicem associati, cum ea modestia interiori ac exteriori, quæ ad sui et aliorum ædificationem conveniat." — P. 3. c. 1. §. 27: „Domus sunt ad præparandum litterarum fundamentum, humilitatis scilicet, ac omnis virtutis in iis, qui operam eis sunt daturi." — Supponuntur igitur scholastici jam fundati esse in humilitate.

d. — Spiritus abnegationis; ad quem augendum exteriora quædam 255
juvare possunt, uti servire ægrotis in xenodochiis, publice concionari, comitari emptorem, et similia. — Inst. 7. §. 4: „proderit autem ad scholasticorum spiritualem profectum, veterem mortificationum consuetudinem tempore vacationum excitare, propositis in hunc finem in tabella mortificationum capitibus." — Ex. c. 4. §. 27: „Scholastici, si Superiori videbitur, antequam approbati censeantur et vota sua ac promissionem superius dictam faciant, per triduum suis constitutis temporibus, vestigia sequendo primorum, de quibus mentionem fecimus, ostiatim pro CHRISTI Domini nostri amore mendicare debent, ut contra quam est communis hominum sensus, ad divinum obsequium et laudem magis se possint submittere magisque in spiritu proficere, ad gloriam divinæ Majestatis."

3. — Orationi ceterisque exercitationibus pietatis tempus debitum magna cum diligentia impendatur, ut tota vita iis fulciatur dirigaturque.

a. — Quantum temporis orationi tribuendum sit quotidie, habetur 256
in P. 4. c. 4. §. 3: „itaque præter sacramenta confessionis ac communionis, ad quæ octavo quoque die accedendum erit, et præter missam, quam quotidie audient, horam unam impendant recitando Beatissimæ Virginis Officio, ac examinandis bis quotidie suis conscientiis, cum aliis, orationibus pro cujusque devotione, usque ad prædictam horam explendam, si expleta non fuerit. Quæ omnia juxta ordinationem ac judicium majorum suorum, quibus obedientiam CHRISTI loco præstare debent, facient." — Hæc orationis hora mox ita aucta est, ut, retenta

præter eam semihora explenda in faciendo duplici examine, tota impenderetur in orationem mentalem sive meditationem.

C. 2. D. 29: „actum fuit et per aliquot dies disputatum de augendo tempore orationis, quod in Constitutionibus, P. 4. c. 4. §. 3. præfigitur; et placuit tandem Congregationi, ut P. Præpositus Generalis pro sua prudentia possit id augere, prout expedire in Domino judicaverit, habita ratione personarum, regionum, etc." — Hic præfixit unam totam horam orationis mentalis; quod videre est in C. 4. D. 5: „propositum fuit a quibusdam, num consuetudo a R. P. Borgia, juxta potestatem sibi factam a 2. Cong. Gen. D. 29. introducta, de integra orationis hora præter tempus utriusque examinis retinenda sit; an potius illius praxis revocanda ad Constitutiones semihoræ et duorum examinum et formam decreti 97. Congregationis primæ. Et decretum fuit, prædictam consuetudinem unius horæ integræ orationis, præter tempus duplicis examinis quotidiani, tanquam piam et salutarem omnino retinendam esse, prout a R. P. Borgia fuit introducta; et servata forma prædicti Decreti Congregationis secundæ Generalis, decreto Congregationis stabiliendum, pront præsenti decreto stabilitur." — Notandum, hanc integram orationis mentalis horam præscriptam esse omnibus, qui in Societate sunt, incipiendo ab ipso ingressu in novitiatum.

257 *b.* — Ad sanctam communionem singulis hebdomadis semel accedunt scholastici. — P. 4. c. 4. §. 3. ut supra. Dein in decl. B: „frequentius quam octavo quoque die communicare, non nisi peculiares ob causas, et potius necessitatis quam devotionis habita ratione, permittatur." — Pendet tamen ab arbitrio Superioris, in hac re dispensare — Reg. Rect. 34: „non permittat, nostros scholasticos frequentius, quam octavo quoque die communicare, nisi peculiares ob causas, habita magis ratione necessitatis, quam devotionis. Diebus tamen solemnibus in hac re dispensare poterit. Coadjutoribus vero et iis, qui litteris non dant operam, longe facilius concedi potest, ut etiam intra hebdomadam communicent; et præfecto rerum spiritualium aut confessario delegari, ut id concedat iis, quos ea ratione magis in spiritu juvari in Domino judicabit."

258 *c.* — Dicitur in C. 6. D. 40. §. 4: „de rosario vel officio B. Virginis quotidie recitando visum est, id cujusque devotioni ac præfecti rerum spiritualium prudentiæ relinquendum esse."

Nota. — Recitare quotidie rosarium est usus communissimus omnium in Societate, a quo, quamvis non sit obligatio, difficillime recedunt. In quo imitantur exemplum virorum sanctorum, uti sancti Francisci Salesii, qui repositis aliis curis et occupationibus, hoc reverentiæ et devotionis genere quotidie Reginam cœlorum Matremque suam dulcissimam venerari et colere satagebat.

d. — Pro lectione libri spiritualis in ordine diurno provisum est in C. 7. D. 25. §. 3: „supersit in posterum ante examen vespertinum quadrans integer, quem singuli ut præfinitum sibi tempus lectioni spirituali impendant, simulque ut ad matutinam orationem se præparent." — Sed præter hanc Superior etiam aliam lectionem spiritualem ordinare potest. — C. 8. D. 38. §. 3: „de lectione spirituali nihil quidem communi Decreto addendum ad illum quadrantem, quem C. 7. illi pariter ac præparationi futuræ meditationis præfinivit. Ceterum ad Superiorum providentiam spectare, eos dirigere, quibus non satis eo decreto consultum videatur." 259

Nota. — In Societate plurimi, ne dicam fere omnes, habent piam hanc consuetudinem, impendendi aliam præterea particulam temporis ad legendum librum asceticum sibi convenientem, vel sacram Srcipturam cum commentariolo, v. g. post jentaculum, vel ante examen matutinum, vel a prandio post recitatas vesperas. Utilissime hoc fit; nam persæpe ex tali lectione, quam quasi meditando instituimus, animus vere et solide nutritur et confortatur, præcipue cum quis ex causa occurrente ad rite meditandum aptus non est. — cf. Consuet. Prov. Germ. n. 17.

4. — Ad profectum in vita spirituali promovendum scholasticis datur adjumentum prorsus singulare in Patre spirituali, cum quo quam frequentissime convenire et de rebus animæ suæ communicare et jubentur et invitantur, magis quam in vita posteriori suadetur. 260

Ord. c. 13. §. 3: „scholasticorum (juniorum) cura et instructio, etsi ab ipso Rectore Collegii, sicut et aliorum, tota pendebit, nihilominus per alios exercenda erit, quorum primus quasi præfectus spiritus in eo promoveat ac dirigat." — §. 4: „hic peculiarem eorum curam gerat... adnitendum illi est, ut quinto decimo minimum quoque die illos alloquatur, audiat, instruat, formet, prout spiritus necessitas postulabit." — Instructiones 7. et 17. de speciali cura agunt, qua Superiores scholasticos præ aliis complecti tenentur. — C. 24. D. 20. n° 2: „ut in juvenibus nostris, sive discendi sive docendi causa ad Collegia mittuntur, spiritus fervor, quem probationis tempore conceperunt, non elangueat, commendatur eorum specialis cura Superioribus et Præfectis spiritualibus; ita ut eos frequenter alloquantur, et in munere sibi commisso dirigant; præmuniantque contra pericula, in quæ facilius est impingere, dum e domibus Probationis educuntur; eandemque curam etiam gerant erga Fratres Coadjutores in Domibus et Collegiis degentes." — Et dicit C. 23. D. 30. n° 2: „quod ad Scholasticos attinet, optandum est, ut, si fieri potest, eorum confessarius ordinarius sit Pater spiritualis domus, cui eorum cura in suis regulis tantopere commendatur."

261 5. — Ne spiritus distrahatur, imprimis a rebus vitam internam spectantibus, scholastici vivant separati, tum a conversatione cum externis, tum in ipsa domo cum internis.

a. — Quoad externos habetur P. 4. c. 4. §. 6: „cum ad publicas scholas eundum erit, nam alia loca sine facultate Superioris non petent..." — quam facultatem adeundi externos Superior certe non dabit, nisi quasi necessitate compulsus.

Instr. 7. §. 2: „vigilent Superiores, ne assuescant scholastici nimis colloqui cum externis aut amicis, et cum illis familiaritatem habere, apud eos prandere, litteras vel munera dare et accipere, nisi necessitas aut recta ratio aliud suadeat. Constat enim, his omnibus et similibus spiritum in Nostris graviter lædi et religiosæ perfectionis fervorem intepescere."

Instr. 17. §. 1: „ad januam, nisi de unius Rectoris expressa licentia, non vocentur, quam raro admodum oportebit illum concedere; eundemque invigilare, ne prolixa sint eorum cum externis colloquia. — Idem C. 6. D. 40. §. 1.

b. — In ipsa domo habitent separati. — C. 6. D. 16: „Provincialis hunc juniorum seorsum a ceteris habitandi, conversandi et in omnibus quoad fieri poterit segregandi morem invehi et observari curet, tum in seminariis maxime iisque Collegiis, in quibus numerus eorum major est, tum vero etiam in aliis, ubi commode fieri posse judicaverit." — Et Ord. c. 13. §. 1: „ad quem juniorum locum intelligant omnes sibi minime licere, nisi prius ab uno Rectore facta potestate accedere; quemadmodum neque illis, ab eodem egredi absque ejus licentia, qui curam gerit, nisi cum ad res consuetas domus peragendas signum detur."

262 *c.* — Neque ipsos suos professores adire iis licet, nisi cum iis de studiis sit agendum; neque hoc nisi statuto tempore.

C. 6. D. 40. §. 5: „cum quæsitum esset an fieri regula deberet, ne scholastici ingrediantur cubicula magistrorum suorum, visum fuit Patribus, universe non posse prohiberi, sed sicubi mos est, ut studiorum causa scholastici suos professores in cubiculis conveniant, declarandum iis est, facere ipsos contra regulam 33. communium, si ob aliam causam, quam studiorum, in eorum cubicula intrent aut morentur. Expedit autem, ut Superior assignet horam unam ipsis commodam magistris, qua conveniri possint; extra quam si necesse sit, scholasticos agere cum ipsis et eorum ingredi cubicula, petant a Superiore licentiam." — C. 7. D. 80. §. 18.

Qui adhuc novitii ad studia admissi sunt, arctius etiam separentur et uti novitii habeantur. — Reg. Prov. 38: „ii vero, cum quibus

dispensaverit Provincialis [circa studia secundo novitiatus anno] extra domum probationis et seorsim a collegialibus esse debebunt, sub cura alicujus sacerdotis ab ipso constituti, qui vicem magistri novitiorum gerat, ejusque regulas et examinatoris habeat: ex quibus eæ servabuntur, quæ commode servari possunt. Cujusmodi erit, ut per dimidiam horam vespere orent, sed iis tantum diebus, quibus a studiis vacaverint."

6. — Renovatio votorum, a scholasticis singulis sex mensibus facienda, 263
plurimum confert ad confirmandam eorum vocationem et devotionem augendam.

a. — Renovatio votorum ab ipso sancto Ignatio originem traxit; quod narrat Orland. p. I. l. 6. n° 98: „hoc anno (1545) votorum renovatio in communi conventu fieri cœpta, tanto animorum motu sensuque, tam ingenti collacrimatione cunctorum, ut tum primi ad Societatem accessus renovari lætitia, tum repræsentari cujusque jucundissimus dedicationis dies videretur. Cujus cœlestis consuetudinis ortus ab eo nimirum repetendus est tempore, quo B. Ignatium memoravimus cum delectis Lutetiæ sociis consuevisse quotannis prima illa vota, quæ in monte Martyrum nuncupaverant, renovare. Quippe ut id Pater ad continendos in sententia Socios prope divinitus excogitaverat, sic qui Societatem deinceps suam inire vellent, dum iis periclitandis opera datur, ne a proposito resilirent, eos eodem modo voluit vota illa, quæ tyrocinio exacto nuncupaverunt, non modo semel, verum etiam iterum ac bis in anno repetere; divinum prorsus inventum, et superioribus ante sæculis inauditum ... tanquam acerrimum telum contra diabolum ut firmissimum constantiæ monumentum." — Sic jam primis istis annis invenimus hanc renovationem in Lusitania in usu; et ipse sanctus Franciscus Xaverius in India Nostros jussit eam facere. — Orland. p. I. l. 12. n° 111.

Nota. — Resuscitare memoriam obligationis, qua DEO per vota obstricti sumus, et per ipsorum votorum formulam recitandam se DEO iterum iterumque offerre, est privatus usus fere omnium in Societate; et sunt, qui quotidie se eo modo DEO de novo consecrant, post missam, vel sacram communionem. — Sed hic agitur de renovatione votorum, quam secundum regulam scholastici et alii facere tenentur.

b. — Nimirum obligantur ad eam omnes in Societate, qui emissis votis primis ad ultima vota nondum admissi sunt. Proin: 264

α. — Scholastici approbati; nam de iis proprie est sermo, ubi de hac re agitur in P. 4. c. 4. §. 5: „ad devotionis augmentum, et ad excitandam, qua DEO obstricti sunt, obligationis memoriam, et ad majorem studentium in sua vocatione confirmationem, bis annis singulis,

in festis videlicet Resurrectionis ac Nativitatis, simplicia vota, quæ juxta formulam in quinta Parte capite quarto dicendam emiserunt, congruum erit renovare."

β. — Dein tenentur ad eam Patres omnes et fratres Coadjutores, donec ad gradum admittuntur. — P. 5. c. 4. §. 6: „qui in domibus versantur, post biennium vota eadem emittere, quæ scholastici et CHRISTO Domino nostro se obstringere, debent; et id, quamvis studiis applicandi non videantur; nec expedire, ut tam cito in Coadjutores formatos vel Professos admittantur, existimetur." — Imprimis in decl. H: „eadem erit ratio eorum, qui in domibus habitant et vota emiserunt."

γ. — Etiam ii, qui paulo ante prima vota nuncuparunt; Mutius 10 Oct. 1641: qui brevi ultima vota emissuri sunt. Ita Goswinus Nickel 19 Aprilis 1659 ad Provincialem Germaniæ: „moris est in hac provincia Romana, ut edituri publica vota, etiamsi brevi tempore post consuetam renovationem votorum, cum aliis renovent et triduanam recollectionem præmittant. Nihil incommodi eveniet, si etiam mos in ista provincia servetur."

265 *c.* — Finis hujus renovationis votorum clare exprimitur in verbis supra citatis P. 4. c. 4. §. 5: „devotionis augmentum, obligationis memoria excitanda, vocationis confirmatio." — De quibus singulis non est necesse amplius quid addere, cum ad eum assequendum omnia ista dirigantur, quæ ipsum actum renovationis præcedunt ipsumque præparant.

266 *d.* — Nimirum media hujus finis perficiendi sunt omnes istæ exercitationes orationis et abnegationis, quæ diem renovationis præcedunt; sunt hæ:

α. — Quindecim diebus antea ad mensam indicitur futura renovatio, et monentur de iis, quæ a singulis renovaturis præstanda sunt. Fit etiam in pluribus provinciis per hosce dies ad mensam lectio quarundam rerum, quæ publice per annum prælegendæ sunt; simul legitur aliquis liber asceticus, plerumque Rodriguez de Perfectione christiana.

β. — Instituitur Triduum recollectionis, cum prævia instructione generatim, quamvis hæc non sit de præscripto. Legenda tamen Epist. Vinc. Carrafæ.

γ. — Vacatio fit a scholis, de qua C. 6. D. 29. §, 1. „ut ante renovationem votorum instituatur vacatio per triduum ita ut cessetur ab aliis occupationibus etiam litterariis, præterquam a lectionibus ordinariis, ubi eæ habentur, sive matutino sive etiam vespertino tempore. Et ideo, ubi commode fieri poterit, eligendum tempus in quo præcedant aliquæ vacationes, sicut vacationes Natalitiæ."

δ. — Augetur tempus orationis; abstinetur a recreationibus; redditur

ratio conscientiæ; fit confessio generalis. — Ex. c. 4. §. 38. — Reg. com. 41. —

ε. — Fit abstinentia ultimo vespere ante diem renovationis, etiam tempore paschali, modo non incidat in eandem hebdomadam dies jejunii ab Ecclesia præscriptus: Fit objurgatio defectuum ex suggestu in refectorio in ultimo prandio. — Quæ ex repetito usu omnia et singula satis omnino nota sunt.

e. Specialis effectus hujus votorum renovationis ex jure nostro inducitur, prout habetur in C. 8. D. 22: „atque adeo, quod olim Patres nostri piæ memoriæ, Claudius et Mutius, declararunt; vitia, quæ forte contigerint in prima nuncupatione votorum ob defectus ætatis, biennii, aliosque similes, cessantibus ejusmodi defectibus, qualibet consueta renovatione votorum emendari, præsenti Decreto constituit." — C. 12. D. 13: „primam vero renovationem votorum post annum 17. expletum factam habere vim primæ nuncupationis, ac supplere quoscunque prædictos ejusmodi defectus."

Nota 1. Quædam pro praxi notanda: — a. Patres, qui renovant vota, id non 268
faciunt in ipsa missa quam dicunt. Claudius 14 Sept. 1610, — Possunt dicere missam vel post vel ante renovationem. Mutius 7 Maji 1616. — *b.* Si Superior ipse est cum aliis renovaturus, legit missam et post »Domine, non sum dignus» ante communionem suam ante alios omnes facit renovationem, in altari ad sanctam hostiam versus. 24 Martii 1683. — *c.* Prima vota emittentes non faciant hoc cum renovaturis, sed ab iis separati. Claudius 21 Oct, 1583.

Nota 2. — Praeter hæc, quæ recensuimus media omnibus communia, ad promovendos scholasticos in perfectione, possunt etiam extraordinaria a Superioribus adhiberi, de quibus sermo fit in his præcipue documentis:

Instr. 7. §. 4. ubi plura tanguntur. — Etiam Instr. 27.

Epist. Claudii Aquavivæ: de institutione scholasticorum, 27 Jan. 1611.

» Vicecomitis: circa scholasticorum educationem. 14 Oct. 1752.

» Piccolomini: de utilitate executionis, no. 12.

» Petri Beckx, identidem: de beatificatione Petri Canisii. — de scholasticis, etc.

CAPUT QUARTUM.

De doctrina, cui scholastici studere debent.

AGITUR de ea in Constiutionum Partis quartæ Capite quinto, sed breviter tantum et summarie; addemus igitur ad ea, quæ ibi dicuntur, plura alia ex diversis locis collecta, quibus hæc materia plenius explicatur secundum mentem Instituti.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE DOCTRINÆ EJUSQUE FINE.

270 I. — Quam necessarium sit, ut nostri scholastici in litteris et scientiis solide et universaliter instituantur, ex pluribus rationibus satis colligitur.

a. — Nostræ conditionis in Ecclesia DEI est, ut in sacro ministerio pro salute proximorum operemur. Satis notum est, sanctum Paulum jam suos in hoc opere collaboratores serio monuisse de necessitate doctrinæ acquirendæ. — I. Tim. 4, 16: „attende tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et te ipsum salvum facies et eos, qui te audiunt." — Tit. 2, 7: „in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum, irreprehensibile."

Synodus Tridentina in sessione 23. decreto reformationis cap. 18. tota est in erigendis seminariis, constituendis regendisque, ut futuri clerici statim a juventute recte erudiantur instruanturque, quia inde salus fidelium fere unice pendet. — Et historia docet, Ecclesiam catholicam nec sumptibus nec laboribus unquam pepercisse, ut ministri sacri omnibus ornentur scientiæ armis, quibus hostibus in eam irruentibus cum effectu resistant, fidelesque in via salutis acquirendæ tueantur semper et promoveant.

b. — Conveniens est doctrina nostro vitæ statui, qui amplexi sumus religionem, profitentem vitam mixtam, i. e. contemplativam simul ac activam. De qua habet S. Thomas 2. 2. q. 188. a. 5: utrum instituenda sit aliqua religio ad studendum. Et respondet: „conveniens est, ut aliquæ instituantur religiones, quæ studio bonarum artium et scientiarum vacent; et quidem tripliciter: — primo quidem, quantum ad id, quod est proprium contemplativæ vitæ, ad quam studium litterarum dupliciter adjuvat: uno modo directe, coadjuvando ad contemplandum, illuminando scilicet intellectum. Vita enim contemplativa principaliter ordinatur ad considerationem divinorum, in qua dirigitur homo per studium ad considerandum divina. — secundo, necessarium est studium litterarum religiosis institutis ad prædicandum et alia hujusmodi exercendum. — tertio, studium litterarum religioni congruit, quantum ad id, quod est omni religioni commune; valet enim ad vitandum carnis lasciviam; avertit enim animam a cogitatione lasciviæ et carnem macerat propter studii laborem."

Vides igitur, quanto jure ipse fundator noster in eligendis primis suis sociis animum adverterit ad viros, non tantum sanctitate, sed etiam scientia præcellentes; non minus, quam congruenter jam in

prima Instituti formula, quæ exhibetur in bulla „Regimini", requirat ab iis, qui ad Institutum admittantur, ut sint etiam „in doctrina conspicui". Et hæc est præcise ratio, cur, cum viri devoti et docti simul raro inveniantur, in Societate ipsa tantum apparatum mediorum præparavit, quibus juvenes nostri in viros probos simul et doctos evadant.

2. — Finis omnium studiorum in Societate refertur ad finem proprium 271
ipsius Societatis, qui est non solum propria perfectio assequenda, sed et salus et perfectio proximorum promovenda.

a. — In primis jam bullis iterum iterumque profertur, Societatem potissimum institutam esse ad profectum animarum in vita et doctrina christiana, ad fidei defensionem et propagationem, per publicas prædicationes et verbi DEI ministerium, per spiritualia exercitia et charitatis opera, et nominatim per puerorum ac rudium in Christianismo institutionem, etc., etc. Nemo non videt, ad talia exsequenda medium ex parte hominis maxime necessarium esse doctrinam solidam et universalem. Et jure igitur postulat Societas, ut socii sint doctrina conspicui, qua valeant ista in DEI honorem perficere.

b. — Expressis verbis idem pronuntiant Constitutiones. — P. 4. c. 5. §. 1: „cum doctrinæ, quæ in hac Societate addiscitur, hic scopus sit, suis et proximorum animis, DEI favore aspirante, prodesse, hæc erit in universum et in particularibus personis mensura, ex qua, quibus facultatibus addiscendis Nostri incumbere et quousque in eis progredi debeant, statuatur." P. 4. c. 6. §. 1: nihil aliud in litteris, quam divinam gloriam et animarum fructum quærentes." — P. 4. c. 12. §. 1: „cum Societatis atque studiorum scopus sit, proximos ad cognitionem et amorem DEI et salutem suarum animarum juvare."

3. — Ex hoc etiam studiorum fine universali definitur, quibus facultatibus in specie vacandum sit, nimirum litteris humanioribus, philosophiæ et theologiæ. — P. 4. c. 5. §. 1: „et quia generatim loquendo litteræ humaniores diversarum linguarum, logica itidem, naturalis ac moralis philosophia, metaphysica, et theologia, tam quæ scholastica, quam quæ positiva dicitur, et sacra Scriptura ad id juvant, harum facultatum studiis operam dabunt, qui ad Collegia mittuntur." — Agemus igitur de tribus his facultatibus singulis.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LITTERIS HUMANIORIBUS.

Hæ litteræ humaniores non solum grammaticam complectuntur et ulteriorem in linguarum usu culturam, etiam poeticam, sed et proprie

rhetoricam, et quidem quam maxime; tunc historiam profanam. — P. 4. c. 5. A. — c. 6. §§. 4. et 5. — c. 12. §. 2. A.

272 1. — His studiis humaniorum incumbunt Nostri ea de causa, ne desit illis ea eruditio et animi cultura, quæ, maxime pro nostri temporis conditione, omnibus prorsus suppetere debent, qui cum hominibus omnis generis conversari iisdemque utiles esse volunt. Sed magis etiam in iis refertur intentio ad hoc, ut præparent hominem ad theologiam rite addiscendam. — P. 4. c. 12. §§. 2. et 3: „et quia tam doctrina theologiæ, quam ejus usus exigit, his præsertim temporibus, litterarum humaniorum et Latinæ ac Græcæ et Hebraicæ linguæ cognitionem, harum etiam idonei professores constituentur..... sic etiam, quoniam artes vel scientiæ naturales ingenia disponunt ad theologiam et ad perfectam cognitionem et usum illius inserviunt, et per se ipsas ad eundem finem juvant, qua diligentia par est, et per eruditos præceptores, in omnibus sincere honorem et gloriam Dei quærendo, tractentur." Sic igitur hoc studium maximam utilitatem affert iis operationibus, quæ sunt in Societate præcipuæ

273 2. — Jure igitur merito Societas hoc humaniorum studium uti rem præcipuam et primariam extollit et fovet.

a. Emphasi quadam ipsius laudem pronuntiat. — C. 7. D. 26: „magistrorum litterarum humaniorum studium, quod cum Societate longe lateque magno reipublicæ christianæ emolumento crevit, tanquam rem unam e maxime optatis et quæ saluti plurimorum commodissima est, quo potest Congregatio Superioribus omnibus affectu censuit commendandam; ut in tam laudabili munere desudantes, quanta possunt benevolentia in Domino prosequantur, suosque omnes ad munus illud magna alacritate obeundum ac prosequendum adhortentur, ut in hoc tam utili eruditionis et cultus animarum genere fortiter insistentes, præmia ab illo exspectent, qui suorum labores non patitur irremuneratos." — Item C. 7. D. 92. — C. 14. D. 10: „postulatum fuerat, ut Congregatio consuleret, ne unquam apud nos langueret studium litterarum humaniorum, quod tanta cum laude hucusque coluit Societas, cuique debet tum Collegia quam plurima, tum non exiguam nominis æstimationem, tum fructum animarum, dum hujus disciplinæ tradendæ occasione pietate ac bonis moribus juventus instituitur." — Vide etiam Instr. 20: „de studiis promovendis." — Ratio Stud. Prov. reg. 22. sqq.

274 *b.* — Quanto in honore et æstimatione sit hoc studium in Societate,

videre etiam est ex hoc, quod excellentes in hac parte etiam ad professionem admittit. — C. 6. D. 15: „censuit Congregatio, ut . . . cum Nostris, qui mediocrem rerum theologicarum cognitionem habuerint, quæ sufficere ad infidelium et hæreticorum conversionem possit, quique insignes alioqui in litteris humanioribus fuerint, et plures annos in iisdem docendis cum laude strenue laboraverint, si cetera non desint, quæ in Constitutionibus requiruntur, dispensari possit, ut ad professionem quatuor votorum promoveantur, R. P. N. Generalis judicio juxta Constitutiones. Quodsi prædictam rerum theologicarum cognitionem eos non habere contigerit, et nihilominus cetera, quæ dicta sunt, adfuerint, dispensari cum illis poterit, ut ad trium votorum professionem promoveantur." — C. 9. D. 32: „qui mediocriter in theologia profecisse invenientur, proponi possunt Patri Generali ad professionem quatuor votorum promovendi, si compertum sit, judicio Provincialis et Consultorum, excellere illos in cognitione linguæ Græcæ, cum sufficienti notitia Hebraicæ." — C. 14. D. 17: judicium debet esse juramento firmatum et non sufficit ad finem prædictum peritia alterutrius linguæ, sed requiritur, ut proponendus excellat in Græca cum sufficienti notitia Hebraicæ simul.

3. — Linguarum studium præprimis commendatur et postulatur. 275
In genere jam dicitur in P. 4. c. 5. §. 1: „litteræ humaniores diversarum linguarum," ita ut non fiat restrictio ad certas quasdam, sed extendatur istud studium ad plurimas, imo omnes, quæ convenire possint vel utiles esse. Et in c. 6. §. 13. tanta facilitas in usu linguæ Græcæ supponitur, „ut unus ex provectioribus a prandio orationem Latinam aut Græcam de re aliqua ad ædificationem domesticorum et externorum pertinente, qua ad perfectiora in Domino animentur, habeat." — Habeat utique orationem, ut intelligatur; supponuntur ergo etiam omnes auditores tantum profecisse, ut intelligant. — Dicamus nunc de singulis linguis.

a. — Primo loco venit lingua Latina propter universalem et omnino 276
necessarium ejus usum et principalem ejus præ omnibus aliis utilitatem. — Jam candidatus Societatis interrogatur, in Ex. c. 5. §. 1: „nominatim, quam sit ei familiaris Latina lingua" Supponitur ergo in eo jam adesse non mediocris hujus linguæ cognitio. Dein de scholasticis instituendis: „prius in Latina lingua solidum jaciant fundamentum." — P. 4. c. 6. §. 4. — Expedit hic exponere, quænam in Constitutionibus definita sint de usu hujus linguæ Latinæ.

α. — Latine loquendum est. — P. 4. c. 6. §. 13: „omnes quidem 277

scholastici, sed præcipue humaniorum litterarum studiosi, Latine loquantur communiter." — c. 13. §. 3. de studiosis litt. human.: „Latine communiter loquendo." — Reg. Schol. 10. — Reg. Rect. in Rat. stud. 8: „domi linguæ Latinæ usum inter scholasticos diligenter conservandum curet."

β. — Excipiuntur dies vacationum. — Rect. in Rat. 8: „ab hac autem Latine loquendi lege non eximantur nisi vacationum dies et recreationis horæ, nisi forte in aliquibus regionibus Provinciali videretur, his etiam temporibus facile posse hunc Latine loquendi usum retineri." — Sed: „dies vacationum non generales studiorum feriæ intelligendæ sunt, sed hebdomadariæ tantum, eorumque dierum spatium, quibus commorabuntur in villis." — Instr. 20. §. 4.

γ. — Etiam scribendum est Latine. — Stud. Rect. reg. 8: „faciendum quoque, ut Nostri, qui nondum studia absolverunt, litteras, cum ad Nostros scribunt, scribant Latine. Bis præterea aut ter in anno, cum aliqua celebritas, ut renovationis studiorum aut votorum agitur, philosophi etiam ac theologi carminum aliquid condant affigantque."

δ. — In Societate restaurata, ut idem linguæ Latinæ utilis usus retineretur, decretum fuit. — C. 21. D. 19: „ut per universam Societatem uniformitas servetur circa linguam adhibendam in docendis classibus superioribus, Congregatio decrevit, usum linguæ Latinæ in scholis nostris omnino retinendum esse in docendis logica, metaphysica et theologia... et suum desiderium ostendit, ut in physica et mathesi tradendis Latinæ linguæ usus revocetur." — Idem C. 22. D. 31: „formam syllogisticam et linguam Latinam non modo retinendam, sed sicubi in desuetudinem abierit, omni ope revocandam."

ε. — Demum C. 22 D. 30: „litteras ad R. Patrem Nostrum Latine conscribendas esse, cum ex officio mittuntur, ac etiam cum de negotiis gravioribus agitur."

278 *b*. — Studio Græcæ linguæ incumbendum est omnibus tanta cum solertia, ut saltem provectiores in ea orationem habere, ceteri vero eam intelligere valeant, ut supra dictum est. — P. 4. c. 6. §. 13. — Jure igitur hoc studium commendatur et urgetur. — C. 8. D. 16: „enixe commendandum Patri Nostro, ut hanc curam promovendi litteras Græcas, in quibus tantum est adjumenti ad omnes, quas profitemur, disciplinas capessendas atque tradendas, tantum luminis ad sacrorum voluminum explanationem, tantum præsidii ad hæreses expugnandas, tantum nostræ Societatis decoris et ornamenti, simulque gloriæ CHRISTI et Ecclesiæ catholicæ, non in minimis, suæ providentiæ partibus collocet." — Inde etiam est in C. 9. D. 32., quod ii, qui in theologia non

sufficiunt, tamen proponi possunt ad professionem, si excellant in cognitione linguæ Græcæ, cum sufficienti notitia Hebraicæ. — De hac re jam supra, n° 274.

c. — Lingua Hebraica ex iis est, quæ theologiæ valde utiles, imo 279
necessariæ sunt. — P. 4. c. 12. §. 2: „et quia tam doctrina theologiæ, quam ejus usus exigit, his præsertim temporibus, litterarum Latinæ ac Græcæ et Hebraicæ linguæ cognitionem." — Etiam C. 1. D. 29.

α. — Hujus linguæ professor, si fieri potest, idem sit, ac sacræ Scripturæ. — Stud. Prov. reg. 7: „linguam Hebræam si commode possit, doceat sacræ Scripturæ professor, vel saltem aliquis, qui sit theologus." — Utique propter intimum nexum, quem habet cum scientiis divinis, ad quas solas fere referri potest.

β. — Addiscere eam per se omnes theologi tenentur. — Rat. Stud. Prov. 8: „a lectione linguæ Hebraciæ per annum audienda .... theologi non eximantur, nisi qui ad eam inepti penitus censeantur." — Quod fere esse non potest.

d. — Addiscere Indicas linguas valde laudatur, propter utilem 280
earum usum in regionibus istis. — C. 5. D. 67: „quia summopere necessaria est ad salutem Indorum procurandam, ... Superiores ipsi omni cura et diligentia, atque etiam exemplo suo, quoad licebit, ministerium illud, quod est adeo in conspectu DEI pretiosum, honorificent atque promoveant." — Quare, quod privilegium professionis faciendæ litteris humanioribus additur, etiam harum linguarum notitiæ requisitæ tribuitur. C. 6. D. 15. — Testes jurati judicent de eo. — C. 8. D. 40. — Formula juramenti C. 15. D. 11. — Sufficit peritia linguæ unius Indicæ, dummodo eam non ut nativam a puero hauserint, sed apud Indos utiliter laborando, sedulo studio in eadem addiscenda sibi comparaverint.

e. — Aliarum etiam linguarum mentio fit, imprimis earum, quæ inserviunt studio exegesis. — Sic P. 4. c. 6. §. 5: „linguæ vero illæ .... ut Superiori pro varietate causarum occurrentium ac diversitate personarum videbitur, disci poterunt." — Reg. Com. 10: „addiscant ejus regionis linguam, in qua resident." — Nemo non videt, nostris præcipue temporibus, quando est tam facilis et frequens cursus per omnes terræ partes et tam inevitabilis conversatio inter diversas nationes, linguarum diversarum notitiam et nostris hominibus utilissimam esse et fere indispensabilem. — Hoc habetur in P. 4. c. 12. B: „cum in aliquo Collegio vel Universitate eo spectaretur, ut homines ad Saracenos vel Turcas juvandos præpararentur, Arabica lingua vel Chaldaica conveniret; cum ad Indos, Indica: et sic de aliis dicendum, quæ

esse possent aliis in regionibus ob similes causas utiliores." — Non inepte proin dictum est: Jesuitam toties esse Jesuitam, quot diversas linguas calleat; nam quot linguis utitur, tot diversis hominum nationibus ministerium suum applicare aptus est.

Nota. — Etiam Historiæ profanæ mentio fit in P. 4. c. 12. A. Nunc inter ordinarias lectiones habetur, ea jam de causa, quia ejus cognitio abesse non decet ab homine ingenio culto, propter frequentissimum ejus usum jam in conversatione communi.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PHILOSOPHIA.

281 Philosophia, secundum antiquam studiorum rationem, complectitur, quæ habentur in P. 4. c. 5. §. 1 et c. 12. C: „tractabitur logica, physica, metaphysica, moralis scientia, et etiam mathematicæ, quatenus tamen ad finem nobis propositum conveniunt." — Ubi intelligitur physica esse, quam vocamus nunc cosmologiam.

1. — Finis philosophiæ addiscendæ proximus in eo est, ut hoc studio præparetur via ad theologiam penitus hauriendam; quod dicit C. 3. D. 47: „ita philosophiam interpretentur, ut veræ theologiæ scholasticæ, quam nobis commendant Constitutiones, ancillari et subservire faciant." — Et eodem refertur philosophia, quo omnes aliæ nostræ scientiæ, quarum scopus est, nostris et proximorum animis, Dei favore aspirante, prodesse. — P. 4. c. 5. §. 1.

Prof. phil. reg. 1: „quoniam philosophia ingenia disponit ad theologiam aliasque facultates, et ad perfectam cognitionem et usum illarum inservit, et per seipsam ad intellectum excolendum et consequenter voluntatem perficiendam juvat, eam, qua par est diligentia, in omnibus sincere honorem et gloriam DEI quærendo, præceptor ita tractet, ut auditores suos ad alias scientias, potissimum vero ad theologiam præparet, contra novatorum errores armis veritatis muniat, maximeque ad cognitionem excitet sui Creatoris."

282 2. — Cursus philosophiæ olim absolvebatur duobus, tribus, vel tribus annis cum dimidio, si repetitio ejus vel actus concedebantur. — P. 4. c. 15. §. 2. — Nunc in C. 22. D. 34. præscriptum est triennale studium philosophiæ; et materiarum distributio pro singulis annis confecta est a R. P. Beckx, in epistola: „de triennali studio philosophiæ; „facta est quidem hæc distributio ad normam veteris

Rationis studiorum; sed cum iis eliminationibus, correctionibus, amplificationibus, quas temporis nostri conditio omnino requirit.

3. — Mathematica jam olim docebatur. — c. 12. C: „quatenus tamen ad finem nobis propositum convenit." — Nunc habetur in Rat. stud. reg. Prov. 20: „omnes primi anni philosophi per horam circiter in schola audient quotidie prælectionem mathematicam, suique profectus specimen aliquod ter vel quater in anni decursu dabunt, coram studiorum præfecto et professoribus." — Ut præter mathematicam etiam physices studium non languescat, provisum est in C. 21. D. 17.; cursu ordinario docetur in anno secundo triennalis studii.

4. — Ut quis possit ascendere in studiis ab anno in annum, necesse 284
est tulisse in examine, uti sequitur:

a) a primo anno ad secundum: quatuor examinatorum duo „attigit." — C. 22. D. 35.

b) a secundo ad tertium annum; quatuor examinatorum tria „attigit." — Ibid.

c) a tertio anno ad theologiam scholasticam: quinque examinatorum tria „superavit." — C. 8. D. 37. §. 6. — C. 7. D. 33. §. 1.

Dicitur vero: „mediocritatem attingere", qui, quæ audivit, bene intelligit et rationem illorum potest reddere; „superare autem mediocritatem", qui ea etiam cum satisfactione tueri potest.

Nota 1. — In examine post expletum cursum philosophicum suffragium examinatoris debet conjunctim universam materiam cursus philosophici respicere ideoque etiam physicum. Non prohibetur tamen, quominus examinator adnotationem aliquam addat suo suffragio, quotiescunque id opportunum judicaverit. — Turin. 1896. — Ramières Besson n⁰ 579.

Nota 2. — Qui in examine judicatus quidem est aptus ad scholasticam, sed ingenio valde mediocri, si deliberate et sponte desideret adire casus, potest a Provinciali applicari morali — 1638 — (i. e. nunc cursui triennali.) — Potest tali etiam suaderi, ut eligat studium casuum. — Instanter petenti transire sine examine ad casus potest concedi; consultum tamen est, ut etiam chyrographo suo cogatur fateri, se id postulasse. — 1641. — His vero cursum specialem theologiæ compendiosæ tradi, multo melius erit, quam si per tres annos cursum theologiæ scholasticæ sequi permitterentur. — 1855.

ARTICULUS QUARTUS.

DE THEOLOGIA.

Theologia strictiori sensu sumpta comprehendit tum positivam tum scholasticam theologiam, quæ utraque in scholis nostris docetur. —

P. 4. c. 5. § 1. — In restituta Societate præscripsit C. 21. d. 13: „theologiam scholasticam omnino retinendam esse, prout illa semper in Societate viguit et viget; nec tamen agi debere quæstiones inutiles, vel renovari disputationes, quæ animorum consensionem inter catholicos labefactare possent." — Horum igitur studiorum brevis conspectus hic est:

284 1. — „Theologiæ curriculum (in universitatibus) sex annis emetietur. In primis quatuor ea omnia, quæ legi oportebit, prælegentur; in duobus reliquis, præter repetitionem, actus soliti ad gradum doctoratus, ab iis, qui promovendi sunt, absolventur." — P. 4. c. 15. §. 3. — „Communis autem modus educendi scholasticos e Collegio . . . tunc erit, cum quisque studia sua jam obsolverit,... quatuor annis theologiæ studio impensis." — P. 4. c. 9. §. 3. —

A duobus professoribus ordinariis, quorum uterque quotidie per unam horam lectionem habet, omnes tractatus per quadriennium absolvantur. Hos professores erga sanctum Thomam bene affectos esse oportet; qui vero ab eo alieni sunt vel etiam ejus parum studiosi, a docendi munere repellantur. — Stud. Prov. reg. 9. §. 3. — Initio quarti anni Provincialis cum Rectore, Præfecto, Magistris suisque Consultoribus designet aliquos, qui et probatæ virtutis in primis sint et ingenio polleant, ut ad theologiam privatim repetendam et habendos actus, Superioris arbitrio, biennio, ut Constitutiones jubent, privatum et quietum studium habeant. — Stud. Prov. reg. 10.

285 2. — Præter hunc cursum theologiæ completum quadriennalem in restituta Societate datur alius cursus brevior, qui triennio absolvitur; de quo habet C. 21. D. 16: „pro scholasticis theologis, qui theologiæ scholasticæ per quadriennium non applicantur, censuit Congregatio, temporum ratione id omnino exigente, providendum esse, ut sufficientem nihilominus theologiæ dogmaticæ notitiam acquirant, ad docendam religionem et eam saltem a communioribus objectionibus tuendam." — Hi theologi scholastici audiunt quotidie duas lectiones dogmaticas apud eundem iis solis constitutum professorem, per tres annos completos, præter alias disciplinas, quas habent plus minusve cum aliis communes. — Nuper statuit C. 24. D. 24. n° 6: ad cursum breviorem quod attinet: — 1. triennium illi est impendendum; — 2. singulorum Provincialium arbitrio, cum approbatione Patris Generalis, relinquitur, an et quibus auditoribus hujus cursus concedendæ sint scholæ quoque juris Canonici, Historiæ Ecclesiasticæ et Scripturæ Sacræ.

3. — Pro theologia morali constitutus est proprius professor, qui habet quotidie saltem unam lectionem per horam; ad quam accedunt omnes theologi, tum majoris tum brevioris cursus, plerumque per annum primum et secundum theologiæ. Hic professor omnem operam atque industriam conferre studeat, ut peritos parochos seu sacramentorum administratores instituat, divisa tota materia tractanda per duos annos. — Nunc habet C. 24. D. 24. n° 5: theologia moralis accurate ac solide tradenda est; quapropter quæstiones illæ, quæ principia continent scientiæ moralis, scholastice sunt exponendæ, et ex ipsis aliquæ, tum pro examine annuo theologiæ dogmaticæ, tum pro examine ad gradum, sunt seligendæ. Modus vero hujusmodi quæstiones tradendi determinandus est a Provincialibus cum approbatione Patris Generalis." 286

4. — Professor sacræ Scripturæ docet quotidie per unam horam, theologos majoris cursus per annum tertium et quartum; brevioris, plerumque per annum tertium, finita morali. Intelligat, suas partes esse, divinas litteras juxta germanum litteralemque sensum, qui rectam in DEUM fidem, bonorumque morum instituta confirmet, pie, docte, graviter explicare. — Reg. 1. 287

5. — Etiam Historia Ecclesiastica habet suum proprium professorem cum duabus lectionibus per singulas hebdomadas, plerumque a prandio, alternando cum professore juris canonici. Accedunt ad has lectiones utriusque cursus theologi omnes, anno primo et secundo. — „Ex unoquoque sæculo illa omnia, quæ necessaria et opportuna videbuntur, explicet: leviora prætereat vel obiter attingat. In rebus vero majoris momenti indicet etiam auctores, qui eas solide ac copiose explanarunt, ut illos discipuli consulere possint." — Reg. 3. — Notitia historiæ indispensabilis est ad refellendas impugnationes inde haustas.

6. — Jus canonicum docentur a professore proprio omnes utriusque cursus theologi, in anno primo et secundo singulis hebdomadis per duas horas, plerumque a prandio alternando cum Historia Ecclesiastica. Magni fit jus canonicum in Societate, ita ut, qui in eo habet sufficientem doctrinam possit ad professionem trium et etiam quatuor votorum promoveri. — P. 5. c. 2. B. — C. 12. D. 23. 288

Ab initio materia docenda satis circumscripta erat, P. 4. c. 12. §. 1: „non attingendo tamen eam partem canonum, quæ foro contentioso inservit." Major facultas datur in C. 14. D. 20: „in jure canonico abstineatur ab iis titulis prælegendis, quos R. Pater Noster, servata

earundem Constitutionum mente, designaverit." — Dein C. 16. D. 30: „Nostri, cum Præpositus Generalis in Domino expedire judicaverit, suscipiant munus docendi sacros canones in Universitatibus publicis, etiamsi omnes juris canonici materias seu titulos prælegere ac tractare oporteat."

289 *Nota.* – Statuit demum C. 24. D. 24. n⁰ 4: ne careant Nostri sufficienti Juris Canonici et Historiæ Ecclesiasticæ cognitione, quæ his temporibus est sane in multis regionibus necessaria, in omnibus perutilis: in iis provinciis, quæ hujusmodi cognitionem nostris hominibus necessariam esse existimaverint, instituantur in cursu theologico lectiones harum quoque facultatum, quibus utriusque disciplinæ saltem elementa probe et solide tradantur; in ceteris autem provinciis curent Provinciales, ut auditores cursus theologici aliquo modo earundem disciplinarum studio vacent. Nihil vero hac in re fiat sine approbatione Patris Generalis. In omnibus denique provinciis provideant iidem Provinciales, ut, quoad ejus fieri possit, nunquam desint aliqui, qui in iis scientiis egregie docti, quique eas docere possint.

De professore linguæ Hebraicæ jam supra satis dictum est, nº 279.

290 *7.* — Quæ in examine theologorum, ut possit ascendere ab anno in annum, suffragia requirantur:

a) a primo anno ad secundum, quatuor examinatorum duo „superavit." — C. 8. D. 37. nº 3.

b) a secundo anno ad tertium, quatuor examinatorum tria „superavit:" — Ibid.

c) a tertio anno ad quartum quatuor examinatorum tria „superavit." — Ibid.

d) ad professionem, quatuor examinatorum juratorum tria suffragia clara et minime dubia. — Ibid.

De valore suffragiorum in quovis examine, hæc teneto:

a) suffragium: „dubie" attigit vel superavit, nullum est.

b) „vix," „ægre," „parum," pro affirmativo sumitur.

c) „fere" vero pro negativo suffragio.

291 *Nota.* — Quoad examen ad gradum exstat epistola R. P. Beckx, 2 Sept. 1879, quæ hæc est:

»Si quis suffragium non ferat propter cognitionem physices non sufficientem, semper hoc ab examinatoribus indicandum est; et dein Provincialis a Patre Generali petere debet, ut discernat, an hoc suffragium positivum habendum sit, an negativum. Ne autem severitatis modum excedant examinatores, habeant præ oculis Ordinationem pro triennali studio philosophiæ §. VI., quo definitur, chimiæ, astronomiæ, meteorologiæ elementa non absolute, sed *quoad per tempus licebit*, item trigonometriam sphæricam, *quantum fieri potest*, tradenda esse. Physices autem professori id cavendum est, ne rerum multitudine obruat ingenia.

Potissima autem ratio habenda est theologiæ et *practicæ philosophiæ*, neque omnes in rebus physicis excellere oportet. Sed qui singulari ad eas addiscendas ingenio præditi sunt, curriculo philosophiæ emenso, judicio Superioris peculiari ratione sunt excolendi.«

De »doctrina præsenti« habet C. 22. D. 37. n° 3: »an examinatores ad gradum judicium de præsenti scientia examinati ferre debeant ex solis responsis, an etiam ex prævia cognitione. Probata fuit sententia PP. Deputatorum de confirmando responso dato a P. Thyrso die 8 Oct. 1699: per τὸ doctrinæ præsentis intelligitur doctrina, quam nunc habet re ipsa dum examinatur. Si itaque re ipsa tanta doctrina sit instructus, etsi id non appareat ex examine, poterit examinator, siquidem ei aliunde de ea certo constat, suffragium ferre favens.« — At ipse P. Thyrsus jam probaverat, examinatores semper ex *propria* scientia judicare debere, nec conjecturis fidendum. Nam formula juramenti supponit convictionem, quæ non potest acquiri ex labore aliorum.

ARTICULUS QUINTUS.

DE DIRECTIONE STUDIORUM.

1. — Hæc tota est penes Superiorem, qui judicat et statuit de singulis: quibus facultatibus operam dent, quantum temporis, et cetera. — Jam in Ex. c. 7. §. 3: „interrogetur, an velit se duci sinere circa ea quibus studere debeat, ac studiorum modum et tempus, juxta quod Societati, vel ejus Præposito, aut Collegii, ubi daturus est litteris operam, Superiori videbitur." — P. 4. c 5. §. 3: „qui adhibita examinatione conveniente considerabit et statuet." — c. 13. §. 3: „ad Rectorem pertinet expendere, quantum quisque eas facultates discere, et quamdiu in eis versari debeat." — Prov. reg. 49: „ipsius prudentiæ relinquitur, quid hi aut illi addiscere debeant, juxta ætatem et ingenium uniuscujusque, ad majorem gloriam DEI; eos autem, quos non esse aptos ad studia inveniet, ab illis removere poterit." — Ex his locis colligitur, Superiorem non pro mero arbitrio in hac re agere posse, sed respiciendum illi esse ad multas partes. Nam: 292

a. — Plerumque statuitur juxta cujuscunque ingenium, quocum fere semper animi amor et propensio ad hæc vel illa conjuncta sunt. — P. 4. c. 5. §. 2: „qui tamen indole ingenii præditus esset, quo in dictis facultatibus solidius fundamentum jaceret, eo rem utiliorem faceret." — Ex altera parte etiam attendendum est ad defectum ingenii, vel ad ætatem jam provectam; P. 4. c. 13. §. 4. E; nam tunc expedit, ut tantum formetur ad bonum operarium. — Prov. reg. 56: „qui propter ætatem provectiorem aut alias causas in facultatibus et scholasticis studiis progressum facere non possunt, curabit ne in illis tempus insumant, sed casibus conscientiæ discendis dent operam."

b. — Sed etiam necessitas Societatis potest causam præbere, quibus studiis aliqui applicandi sint. Nam Prov. reg. 56. „sint semper aliqui ex Nostris, qui studio casuum conscientiæ diligenter incumbant, ut Societas copiam habere possit operariorum, qui confessionibus audiendis sint idonei." — Non est intentio Societatis, ut omnes ejus socii „homines docti" evadant, sed ut apti sint ad finem ejus prosequendum, qui est salus proximorum procuranda.

c. — In genere: studiorum, quibus in Societate juxta ordinem Instituti omnes incumbunt, non est hic finis, ut in speciali quadam facultate excellant, eique se quasi exclusive tradant; nam hoc obtinetur in Societate aliis mediis, v. g. eo quod absolutis studiis communibus, nonnullis conceditur biennium ad studia specialia prosequenda; vel eo quod mittuntur ad Universitates, in quibus audiant lectiones speciales ejus doctrinæ, cujus postea vel professores constituantur, vel in qua scriptis editis hominibus prosint, simulque Societatis et famam et honorem promoveant. — Sic quoad directionem studiorum in genere; quæ autem in ipso modo docendi et discendi valent, hæc sunt.

293 2. — In omnibus disciplinis, præprimis autem in theologia et philosophia sequantur Nostri doctrinam communem et probatam, eosque auctores, qui eam docent.

a. — In P. 4. c. 5. §. 4: „sequantur in quavis facultate securiorem et magis approbatam doctrinam, et eos auctores, qui eam docent, cujus rei penes Rectorem (qui quod statuetur in universa Societate ad majorem Dei gloriam, secuturus est), cura sit." — c. 14. §. 1: „illi prælegentur libri, qui in quavis facultate solidioris ac securioris doctrinæ habebuntur."

Jam in Examine cavet Societas, ne admittatur inter nos caput singulare et pertinax et durum; sic habetur — c. 3. §. 11: „interrogetur, an habuerit vel habeat conceptus aliquos vel opiniones ab iis differentes, quæ communius ab Ecclesia et doctoribus ab eadem approbatis tenentur; et si quando hujusmodi opiniones animum subierint, num paratus sit ad judicium suum submittendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate, de hujusmodi rebus sentire oportere." — P. 3. c. 1. O: „novæ opiniones admittendæ non sunt; et si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia et ejus doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subjicere... In opinionibus etiam, in quibus catholici doctores variant inter se vel contrarii sunt, ut conformitas etiam in Societate sit, curandum est."

C. 5. D. 6. censuit, hunc locum Constitutionum esse explicandum, quod fit in eadem C. 5. D. 50. nº 2: — „tria ergo volunt Constitutiones: primum, ut Nostri non inducant novas opiniones; secundum, ut si quando contra communem senserint, sequantur quod Societas judicaverit; tertium, ut in controversiis, in quibus neutra opinio est adeo communis, redigantur ad conformitatem, ut sic idem sapiamus et idem dicamus omnes juxta Apostolum." — Dein in D. 56: quomodo sequendus sanctus Thomas et quam necesse sit, ut professores ad eum bene afficiantur.

b. — Qui libri sint legendi, qui auctores adhibendi, dicitur in P. 4. 294
c. 5. E: „in libris ethnicis litterarum humaniorum nihil, quod honestati repugnet, prælegatur; reliquis ut spoliis Ægypti Societas uti poterit. Christianorum opera, quamvis bona essent, si tamen malus fuerit auctor, legenda non sunt, ne ad auctorem aliqui afficiantur. Et convenit, ad particularia descendendo, qui libri sunt prælegendi tam in humanioribus, quam in aliis disciplinis, qui vero prælegi non possint, constituere." — c. 14. A: „quamvis liber suspicione malæ doctrinæ vacet, cum tamen suspectus est auctor, legi eum non convenit. Solet enim opus in causa esse, ut, qui legit, ad auctorem afficiatur; et auctoritas, quam apud ipsum habet in iis, quæ bene dicit, posset postmodum aliquid persuadere ex iis, quæ male dicit. Rarum est etiam, aliquid veneni non admisceri in iis, quæ a pectore veneni pleno egrediuntur." — Utinam tanta cautio et sollicitudo in evitandis auctoribus et libris malis periculosisque ubique et ab omnibus adhibeatur; quanta quotque mala tunc abessent a juvenibus nostræ ætatis, qui, proh dolor, sæpissime nunc per lectionem malorum librorum corrumpuntur et pessumdantur. Absit, procul absit!

CAPUT QUINTUM.

Quo modo juventur Scholastici in discendo.

MEDIA, quibus juvantur scholastici in facultatibus recensitis bene addiscendis, habentur in cap. 6. partis quartae Constitutionum. Uti par est, media supernaturalia primo loco et statim ab initio proferuntur §. 1: — „ut autem scholastici plurimum in his facultatibus proficiant, in primis animae puritatem custodire ac rectam studiorum intentionem habere conentur, nihil aliud in litteris quam divinam gloriam et animarum fructum quaerentes, et in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant,

ad hunc finem crebro petant." — Similiter c. 5. §. 1. — c. 12. §. 1. — c. §. 16. §. 4. — Praeterea ut etiam naturalibus mediis diligentissime utantur, non minus est secundum DEI voluntatem. Quae quidem media dici possunt vel negativa, vel positiva.

ARTICULUS PRIMUS.

MEDIA NEGATIVA, QUÆ VOCANTUR.

295 Juvantur scholastici jam eo, quod, quæ eos in studendo impedire aut iis molesta esse possint, cura Superiorum procul ablegentur. — P. 4. c. 6. §. 3: „impedimenta etiam removeantur, quæ a studiis animum avocant." — Talia recensentur:

a — „tam devotionum ac mortificationum, quæ vel nimiæ vel sine ordine debito suscipiuntur." — Potest enim fieri etiam in juvenibus nostris, ut zelo parum prudenti tempus et corporis vires profundant in rebus devotionis et mortificationis, dum utraque secundum divinam voluntatem hoc præcise tempore impendere debeant in finem proximum, i. e. in profectum in litteris postea in DEI gloriam adhibendis.

b. — „quam curarum et exteriorum occupationum, quæ domi, in officiis domesticis, et foris in colloquiis, confessionibus atque aliis erga proximos functionibus assumuntur." — Omnia enim tempus suum habent; est tempus operandi, et est tempus abstinendi ab operando in ministerio; nimirum, quo DEUS vocat ad ea sibi comparanda, a quibus fiducia bene in posterum operandi tota quanta pendet.

c. — Decl. C: „ea de causa, in iis, qui ad sacros ordines promoti non sunt, congruum erit, si promotio differatur, ne impedimentum ipsis præstet, donec ad finem studiorum accedant; necessitatis tamen sæpe occurrentis ratione dispensare aliquando opus erit." — Nonnunquam fit, ut qui jam sacerdotes sunt inter scholasticos, plus æquo mittantur extra domum ad succurrendum parochis in sacro ministerio, sub titulo quidem, ut mature jam assuescant laboribus suæ vocationis; attamen raro hoc fit sine detrimento studiorum. — De tempore, quando theologiæ studiosis ordines sacri conferri possint, stat nunc Decretum s. Congr. Episc. et Regul. 4 Nov. 1892, quod habetur n° 311.

ARTICULUS SECUNDUS.

MEDIA POSITIVA AD BENE STUDENDUM.

Clarum est non sufficere, ut removeantur impedimenta studiorum; quinimo laborandum est ab omnibus positive, quorum partes in hac re sunt, ut procedant studia, i. e. a scholasticis ipsis, a professoribus, a Superioribus, et ab ipsa methodo, qua utantur in studendo. Et mirum est, quam apte et copiose sub omni hoc respectu scholasticis ad studia promovenda in Constitutionibus provisum sit.

1. — In scholasticis requiruntur adesse eæ voluntatis dispositiones, 296
quibus studia quasi animantur et vivunt, nimirum diligentia, indifferentia, assiduitas. — P. 4. c. 6. §. 2: „serio et constanter animum studiis applicare deliberent; sibique persuadeant, nihil gratius se DEO facturos in Collegiis, quam si cum ea intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant; et licet nunquam ad exercenda ea, quæ didicerunt, perveniant." — Item §. 8: „in audiendis lectionibus sint assidui et in eis prævidendis diligentes, et postquam eas audierint, repetendis; eis, quæ non intellexerint, interrogandis; aliis vero, quæ oportuerit, annotandis, quo in posterum memoriæ defectui consulatur." — Quot juvenes sæculares, qui hoc modo studiis ab initio incumbebant: diligenter, amanter, constanter, quamvis non prædití speciosis ingenii dotibus, tamen eam animi culturam eruditionisque soliditatem sibi compararunt, quibus postea conditionem vitæ honoratam, imo conspicuam tuebantur. Et illi quidem ut coronam corruptibilem assequantur, Nostri vero incorruptam!

2. — Ex parte professorum Superiorumque non minus solerti cum 297
diligentia scholasticis studentibus succurritur.

a. — Adsint professores apti et numero sufficientes. — P. 4. c. 6. §. 6: „qui quidem professores, sive de Societate illi sint, sive externi, optandum est, ut docti, diligentes et assidui, et profectus studentium tam in lectionibus, quam in aliis litterariis exercitationibus studiosi sint." — c. 13. §. 3. et B: „quodsi lectiones tantum negotii exhiberent, ut unus magister eis solus non satisfaceret, adjutor aliquis ei adjungetur. Si vero auditorum numerus ferre non poterit, ut unus præceptor solus omnibus det operam, quamvis alios auxiliares habeat, geminari posset classis ea, quæ sic numero abundaret, ita ut v. g. duæ quintæ classes, duæ quartæ essent." — En quatuor dotes boni

professoris: doctrina, diligentia, perseverantia, sollicitudo pro discipulorum progressu. Quodsi tali homini non imponitur nimium onus propter numerum discipulorum plus æquo magnum, non potest non fieri, ut eo dirigente et adjuvante singuli discipuli solidos progressus faciant.

298 *b.* — Cum hac cura ex parte præceptorum conjuncta sit oportet accurata vigilantia quoad singulos discipulos, cum varii vario modo tractandi sint. — c. 6. §. 15: „ut reprimi oportet quorundam cursum plus æquo concitatum in studiis, ita movendi, incitandi et animandi ad studia sunt alii, quibus id necessarium est. Quod ut melius præstare possit Rector, intelligat oportet per se et per aliquem alium, cui syndici vel visitatoris scholasticorum curam ipse dederit, quomodo scholastici suum officium faciant."

c. — Inepti a studiis prosequendis removeantur, ne sibi ipsis et aliis oneri sint, neve inutiliter tempus teratur. — c. 3. §. 2: „hujusmodi esse debent, ut secundum rationem sperari possit, idoneos ad vineam CHRISTI Domini nostri exemplo et doctrina excolendam esse evasuros." — c. 6. N: „si aliquis non aptus ad studia, sed ad alia ministeria idoneus videretur, posset intra Collegia vel domos Societatis iis occupari, quæ convenire viderentur. Si ad utrumque inutilis esset et in scholasticum fuisset admissus, dimitti e Societate posset." — Attamen solum arbitrio Generalis.

299 3. — Maximum emolumentum ad bene studendum affertur nostris scholasticis ex ipso modo, quo studia tractantur, i. e. ex singulis exercitationibus practicis et theoreticis, quæ præter scholas vel lectiones audiendas ab omnibus constanter subeundæ sunt. Nam hisce mediis non tantum memoria juvatur ad retinenda firmiter, quæ a professoribus in scholis audita sunt; sed non minus illuminatur intellectus ad ea penitus perscrutanda, in omnes partes dilucidanda, dubia solvenda, rationes et argumenta indaganda etc. Quo fit, ut doctrina eo modo acquisita sit in nostris scholasticis clarior, solidior, firmior et sic ad usum maxime accommodata. Et ut juventur scholastici in his omnibus bene præstandis, habet C. 24. D. 24. n° 3: „non solum optandum, sed omnino præstandum est, ut, tum in ipsa theologia tum in aliis disciplinis, textus aliquis prælegatur typis editus, designandus a Provincialibus cum approbatione Præpositi Generalis." — Recenseamus singula:

300 *a.* — Fiunt repetitiones. Jam supra dictum est ex P. 4. c. 6. §. 8: „scholastici in prævidendis lectionibus sint diligentes, et postquam eas

audierunt, repetendis." — Et decl. H: „quod ad repetitiones attinet, curet Rector, ut certis quibusdam horis in scholis vel domi fiant, uno quidem repetente et aliis audientibus, et quæ difficilia occurrerint, mutuo proponentibus; et si quid erit, de quo constituere inter se non possint, magistrum adeant." — c. 13. §. 3: „[magistri] profectum uniuscujusque ex suis scholasticis speciatim procurent, et lectionum rationem exigant, utque eæ repetantur curent." — decl. D: „non solum repetitiones ultimæ lectionis fieri oportebit, verum et hebdomadæ et longioris temporis, prout expedire judicabitur." — Stud. Reg. com. prof. 11: „rationem lectionum sæpius exigat curetque, ut eæ repetantur. Post lectionem vero in schola vel prope scholam maneat saltem per quadrantem, ut possint ad eum interrogandum auditores accedere." — C. 1. D. 32. — Sic verificatur apud nos notum illud dictum: „Repetitio est mater studiorum."

Cum his conjunguntur disputationes et circuli, quos vocamus. — P. 4. c. 6. §. 10: „cum perutilis sit (præsertim artium ac theologiæ scholasticæ studiosis) disputandi usus, intersint scholastici ordinariis scholarum, ad quas accedunt (licet non sint sub cura Societatis) disputationibus, et singulare sui specimen in doctrina præbere, modeste tamen, curent etc." — §. 11: quotidie aliquid disputetur. — §. 12: etiam rhetorici, statis temporibus, imprimis diebus dominicis, suas disputationes habeant. — Præsertim c 13. §. 3: „humaniorum litterarum, ac multo magis facultatum superiorum studiosis crebras disputationes imponet, quibus dies et horæ certæ constituantur, ubi non solum cum condiscipulis, verum paulo inferiores cum aliquanto provectioribus disputent in iis, quæ ipsi capiunt."

Compositiones et lectiones fiunt. — c. 6. §. 12: „se in componenda soluta oratione aut carmine exercebunt, sive id ex tempore, proposito ibidem themate, ad explorandam promptitudinem fiat, sive domi composita de re prius proposita, illic publice legantur." — §. 13: „singulis hebdomadis, die aliquo designato, unus ex provectioribus a prandio orationem latinam aut græcam habeat." — §. 18: „num autem his, qui jam studiorum suorum cursum peregerunt, prælegere privatim vel publice, ad suam vel aliorum utilitatem, conveniat, penes Superiorem id erit judicium."

Collatio casuum, quæ est repetitio practica et omnino instructiva 301
theologiæ moralis. — Stud. Prov. reg. 14: fiat etiam hujusmodi casuum collatio in primariis Collegiis, sive unus duove sint casuum professores, sive nullus, potissimum pro omnibus theologiæ auditoribus, sed semel tantum in hebdomada." — reg. 15: „ab his autem collationibus, præter

theologiæ ac philosophiæ professores, et si quos alios excipiendos Superior judicaverit, nulli præterea theologiæ moralis auditores, nullique sacerdotes, qui ex instituto vel interdum confessiones audiant, eximantur: imo Superior ipse non nisi raro, et graves ob causas, absit." — Urgetur hæc res in C. 9. D. 8. et C. 13. D. 17. — Imo Clemens VIII. severiori præcepto aufert a Superioribus potestatem dispensandi.

302 *b.* — Examina facienda sunt quotannis et sæpius. Nescit nemo, quantopere stimulentur juvenes, quantumque virium iis addatur in studendo, dum animo præsens sit continuo, se de iis, quæ didicerint, specimen daturos esse in examino, de quo reliquæ vitæ conditio et status plurimum pendeat. Jure merito proin dicitur in c. 6. L.: „ut scholastici magis in studiis promoveantur... conferet etiam, in memoriam eis reducere, quod, cum ad domos venerint, studiis absolutis, in omnibus facultatibus, quibus operam dederint, sunt examinandi." — § 17: „suis constitutis temporibus se ad publicos actus examinationum ac responsionum præparent; et ad gradus consuetos, qui per diligentem examinationem digni invenientur, promoveri poterunt."

In C. 7. D, 33. singula examina philosophorum et theologorum enumerantur, necnon examen ad gradum. — 11. D. 24. habetur de spatio temporis, quo examinandi sunt, etiam materia, de qua in ultimo examine. — De ultimo examine ad professionem C, 12. D. 22: suffragium, juramentum; item C. 10. D. 6. — C. 21. D. 18.

In examine de theologia morali quid requiratur, dicitur in C. 13. D. 16: „tantam habeant doctrinam, ut confessiones fructuose audire possint." Et debet fieri hoc examen, antequam quis ad sacerdotium promoveatur. Præterea in fine cujusvis anni fit examen de materia per decursum anni tractata. C. 20. D. 25. § 1.

303 *c.* — Curandum est, ut omnibus supersit sufficiens tempus, quod privato studio impendant. — P. 4 c. 6. § 14: „præterea artium et theologiæ studiosi potissimum, sed et reliqui suum habeant privatum studium et quietum, quo melius ea, quæ tractata sunt, intelligant." — § 16: „absoluto sudio alicujus facultatis, eandem privatim repetere conveniet." — Hoc privato studio efficitur, ut, quæ quis studendo ordine consueto sibi comparavit, sic penitus penetret suumque faciat, quo possit de iis liberius, securius, efficacius in usum convenientem disponere. — Unde est, quod pluribus tale tempus concedatur, quod biennium vocamus.

304 *d.* — De hoc biennio est in P. 4. c. 15 §. 3: „theologiæ curriculum sex annis emetietur. In primis quatuor ea omnia, quæ legi oportebit,

prælegentur, in duobus reliquis præter repetitionem actus soliti ad gradum doctoratus ab iis, qui promovendi sunt, absolventur."

Provincialis, ut supra dictum est, currente anno quarto seligat, quibus biennium concedat; qui habent speciales suas regulas, secundum quas hoc tempore vivant. Suntque de iis etiam Stud. Rect. reg. 5, et 6: „eos, qui biennio reculunt theologiam, habendis concionibus, in ecclesiis vel in cœnobiis virginum, quam minime potest, occupet, idque consulto Provinciali." — „Ex iisdem, si quando vel philosophiæ vel theologiæ præceptores desint, in eorum locum aliquos suffici par erit; iidemque poterunt, si opus sit, domesticis tum repetitionibus tum disputationibus præceptorum loco præsidere; imo etiam, consulto Provinciali, philosophiam vel theologiam in scholis ad tempus prælegere; vel Nostris, qui biennio vel nunc triennio solum theologiæ vacant, compendium dogmatum tradere." — De biennio concionatoribus concesso habetur in C. 7. D 80. § 10: „his etiam, qui concionandi talentum habent, duo itidem, vel unus saltem annus concedatur, ut privato studio sacræ Scripturæ, legendisque Patribus ac sanctæ meditationi vacent." — Instr. 14. § 1. commendatur Pruvinciali, ut hujus rei, sc. formandis concionatoribus biennio, serio attendat.

e. — Sæpius habentur actus, qui vocantur, ab iis, quibus id a Superiore, auditis studiorum præfecto et professoribus, conceditur. Sunt vero hi actus disputationes sive publicæ ad quas externi invitantur, sive magis domesticæ coram Nostris, tum de theologia tum de philosophia, propositis thesibus defendendis. De his actibus ex professo tractatur in Stud. Præf. reg. 7. sqq. — Actus magnus, qui vocatur, potest concedi pro examine ad gradum; ut tamen quis ad eum habendum admittatur, requiruntur examinatorum tria suffragia clara et minime dubia; et de sufficientia doctrinæ ad professionem item trium judicum juratorum suffragia positiva. — 11. D. 24. §. 5. 305

f. — Etiam gradus in theologia et philosophia acquiri possunt a Nostris. P. 4. c. 6. §. 17. — c. 15. §. 4: gratis conferantur etiam externis sicuti etiam gratis docet Societas. — decl. F: „non permittentur convivia, nec alii ludi, qui cum sumptibus non mediocribus fiunt et ad finem nobis propositum inutiles sunt; nec pilei, aut chirothecæ, vel quid aliud detur." — c. 17. §. 8: de insignibus forte conferendis judicabit Generalis. 306

4. — Medium externum ad promovenda studia est bibliotheca; de qua dicitur in P. 4. c. 6. § 7: „bibliotheca communis, si fieri potest, in Collegiis habeatur, cujus clavis illis, qui juxta Rectoris judicium 307

habere debebunt, tradatur. Præterea quisque libros, qui necessarii ei fuerint, habebit." — decl. G.: „scribere tamen in eis non debent. Constet vero eorum ratio ei, qui bibliothecæ præfectus est."

308 *Nota.* -- P. 4. c. 13. §. 5: remissio a studiis necessaria est; quanta esse debeat, prudenti considerationi Rectoris relinquitur, — decl. F: saltem singulis hebdomadis dies unus a prandio quieti destinatus sit. — Vide nunc Rat. Stud. reg. Prov. 36.-38.

CAPUT SEXTUM.

De Scholasticis instituendis in sacro ministerio.

DE hac re habet caput octavum Partis quartae statim in exordio: „scopum illum intuendo, ad quem studia Societatis diriguntur, sub ipsorum finem congruum erit, ut ad arma spiritualia in proximorum auxilium tractanda assuescere incipiant. Quamvis enim id proprie magis et diutius in domibus fiat, poterit tamen in Collegiis inchoari." — Supponitur igitur, scholasticos, antequam e studiis dimittantur, esse jam, per aliquantulum temporis saltem, sacerdotio insignitos, ut ultimo hoc tempore ea ministeria exercere incipiant, quibus sacerdotes funguntur. Unde de ordinibus suscipiendis fiat initium.

I. — Sub finem igitur studiorum conferuntur ordines. — P. 4. c. 6. C: „congruum erit, si promotio [ad ordines] differatur, ne impedimentum ipsis præstet, donec ad finem studiorum accedant. Necessitatis tamen sæpe occurrentis ratione dispensari [aliquando opus erit." — De ordinibus sacris conferendis hæc teneto:

309 *a.* — Ad ordines sacros nemo admittendus, qui in virtute nondum sit solide probatus. — Ord. c. 7. §. 5: „ut iis moribus, spiritu ac vita religiosa et exemplari, præsertim autem resignatione, et humilitate sit præditus, quæ ad tantum ministerium obeundum sunt necessaria." — Instr. I. §. I.: „cavendum est omnino, ne deinceps, qui in spiritu et religiosis virtutibus non bene profecerunt, aut in vocatione stabiles et firmi non sunt, ad sacerdotium promoveantnr, etiamsi suæ bonæ existimationis jacturam, nisi ordinentur, objiciant."

310 *b.* — Ord. c. 7. §. 6: „ut consueta Societatis vota emiserit et quinquennium saltem in Societate exegerit." — Utique etiam, antequam ultimo vota emittat.

Nota 1. — Præterea attendendum est ad Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium 4 Nov. 1892: 311

1. non posse ad sacros Ordines promoveri titulo mensæ communis vel Missionis, nisi illos tantum alumnos, qui vota quidem simplicia sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem.

2. hinc de generali regula in posterum haud dispensatum iri, ut ad majores ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit; vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus...

6. Professi tum votorum solemnium tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi præter alia a jure statuta testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacræ theologiæ operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium; præmisso tamen regulari studiorum curriculo.

Nota. 2. — Communicans hoc Decretum Congr. Episc. et Regul. cum Nostris, R. P. Generalis Ludovicus Martin adjecit litteras d. d. Fesulis die 11 Maji 1893, in quibus dicit, præmissis præmittendis: — »ex quibus omnibus hæc certissime constant:

1. quod in prima et secunda Decreti parte statuitur, ita esse intelligendum ad mentem Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ut Nostri ad ordines sacros promoveri possint triennio post biennii vota peracto...

3. quod sextam ac postremam Decreti partem attinet, Nostros nullo modo excipi, sed communi deinceps cum omnibus lege teneri, vi cujus nemo sacris initiari poterit, nisi post expletum tempus pro unoquoque sacro ordine suscipiendo ibidem constitutum.«

c. — Habet C. 20. D. 20: „examen de universa theologia morali subeundum, priusquam ad sacros ordines promoveantur et audiendis confessionibus exponantur." — Certa debet esse Societas, hominem esse aptum ad id genus ministerii exercendum, quod est principale ex iis, quæ a sacerdotibus administrantur. 312

d. — In rubricis bene versati esse debent ordinandi. — P. 4. c. 8. §. 2: „primum illi qui juxta Superioris judicium ad sacros ordines erunt promovendi, in ratione missæ dicendæ, ut præter intelligentiam et devotionem internam decentem etiam habeant exteriorem modum ad audientium ædificationem, instituantur; et ceremoniis eisdem omnis Societas, quantum fieri poterit, utatur; in quibus usum Romanum, ut magis universalem et quem peculiari quadam ratione Sedes Apostolica amplexa est, sequetur." — C. 1. D. 93. — C. 9. D. 19. ritus Romanus præscribitur.

e. — Nostri ordinari possunt extra tempora, „a quovis Episcopo gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habente;" et „interstitiis

nequaquam servatis." — Facult. Leon. §. 1. n° 2. — Paulus III. „Licet debitum" 1549. — Gregorius XIII. „Pium et utile" 22 Sept. 1582. — Comp, Priv. novum n° 444.

314 *f.* — Nostri ordinati, si postea e Societate dimittuntur, neque ab Episcopis neque a Societate possunt sustentationem exigere. — C. 2. D. 77: „quodsi nostros ordinatos contingat expelli a Societate, tamen non tenebuntur eos Episcopi alere, cum qui ordinantur ex Societate nostra, cesserint suo juri in ordinatione; ordinantur enim ad titulum voluntariæ paupertatis." — C. 7. D. 3: „post seriam prolixamque hujus rei discussionem [de alimentis præstandis a Societate] censuit Congregatio, omni animi submissione rogandam esse Suam Sanctitatem, dignaretur Societatis jura receptamque jam inde ab initio sui consuetudinem tueri; maxime cum gravissimæ causæ sint, quæ nihil in hac re mutandum suadeant." — Recensitis dein expresse his causis, ostenditur, rem jam esse compositam per anteriores Pontifices et Congregationem S. Officii. — Postremo Benedictus XIII. „Injuncti nobis." 14 Junii 1728 rem conclusit hisce verbis: „hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus ac declaramus, memoratam Societatem JESU non teneri nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive congruæ sustentationis, sive alimentorum, sive alio quocunque titulo et causa illis faciendam, qui post biennium probationis et emissionis votorum simplicium extra dictam Societatem a suis Superioribus ejiciuntur, tametsi, dum in ea permanebant ad sacros etiam presbyteratus ordines sine beneficio ecclesiastico ac patrimonio et ad titulum religiosæ paupertatis promoti fuerint."

315 2. — In prædicationibus habendis scholastici diligenter exerceantur, jam ante ordines susceptos.

a. — P. 3. c. 1. §. 21: „convenit, omnes exerceri, si aliquem Superior non exemerit, in concionibus domesticis, ut, præterquam quod utiliter in hoc expendetur aliqua hora a prandio, animentur, ut aliquem usum comparent (quod ad vocem et motum attinet et ad reliqua), et ut specimen etiam ejus talenti, quod in hoc genere DEUS eis communicat, præbeant." — Etiam inter prandium, §. 5: „aliquis, cui a Superiore id injungetur, concionabiter, vel aliquid simile ad DEI gloriam fiet." — Instr. 2. §. 1: „diligenter a Superioribus curandum est, ut, qui ad munus concionandi talentum a Domino acceperunt, bene ab ipso etiam studiorum tempore in hunc finem instituantur, ut possint suo tempore illud bene ad DEI gloriam et proximorum salutem fructuose exercere." — §. 2 sqq.

b. — Præterea scholastici jam alia adminicula provideant, quibus postea in concionibus habendis juventur. — P. 4. c. 8. B et C: „vidisse evangelia toto anno currentia; prævidisse etiam, quod ad vitia pertinet et in eorum detestationem inducit, remedia iis applicanda; quæ ad præcepta, bona opera, et virtutes pertinent; et hæc in compendium, si fieri potest, redacta utiliora esse solent; vidisse præceptiones; bonos audire concionatores; bonum habere correctorem; in lingua vernacula exerceri etc. etc." —

c. — Nostris licet publice concionari, etiamsi ad sacros ordines 316
nondum sunt promoti — Gregorius XIII. „Vigore privilegii" 20 Nov. 1587 dicit, jam Paulum III. hoc Societati concessisse privilegium; sed cum dubitatio exorta sit de ejus extensione, pergit summus Pontifex: „Nos præsentium auctoritate declaramus ac etiam decernimus, vestrum unumquemque etiam ad sacros ordines non promotum prædicationis munus in vim privilegii hujusmodi exercere potuisse et posse. Vobis insuper concedentes, ut etiam clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo prædicare, districtius inhibentes universis et singulis locorum Ordinariis, et quibuscunque aliis quacunque dignitate et auctoritate fungentibus, ne quemquam vestrum quovis pretextu præmissorum occassione impedire vel molestare audeant quoquo modo." — C. 2. E. 62: „debent concionatores esse sufficienter instructi. Visum est retinendum esse privilegium a Sede Apostolica concessum, ut nostri possint concionari, etiamsi non sint ad ordines promoti."

3. — „In ministerio etiam sacramentorum confessionis et communionis se exerceant; et non solum quod ad ipsorum, sed etiam quod ad pœnitentium et communicantium officium pertinet, ut bene ac utiliter ad Dei gloriam ea percipiant et frequententent, perspectum habere et exsequi curent." — P. 4. c. 8. §. 4. — Et decl. D: „conveniet compendium aliquod casuum et censurarum, quæ reservantur, habere;... et simul formulas, quæ minus usitatæ sunt quarundam absolutionum, quæ occurrunt; ac brevem interrogandi methodum de peccatis et eorum remediis; et instructionem ad bene ac prudenter in Domino, sine damno suo et cum proximorum utilitate hoc officium exercendum; et aliqua confessione audita, præsertim in principio, confessarius apud se consideret, num in re aliqua defecerit, ut in posterum caveat."

4. — Etiam exercitia tradere incipiant. — §. 5: „ad exercitia spiri- 317
tualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus,

assuescant; et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando, quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur, dexteritatem habere possint." — c. 8. §. 8: „in universum loquendo, edoceri eos vonvenit, quem modum tenere oporteat hujus Societatis operarios, qui in tam variis mundi regionibus, cumque tam diversis hominum generibus versari debent, antevertendo incommoda, quæ possunt accidere, et emolumenta, quæ ad majus Dei servitium conferant, captando; omnibus rationibus adhibitis, quæ possunt adhiberi. Et quamvis hcc sola unctio sancti Spiritus et ea prudentia, quam communicare solet Dominus illis, qui in divina sua majestate confidunt, docere possit; via saltem aliquo modo quibusdam documentis, quæ juvent, et ad effectum divinæ gratiæ disponant, aperiri potest." — c. 8. A. B. C. D. E. F. G.

CAPUT SEPTIMUM.

De scholis publicis.

»HABITA ratione non solum profectus in litteris scholasticorum nostrorum, sed etiam profectus in litteris et moribus externorum, quos in nostris Collegiis instituendos suscepimus, scholæ publicæ, ubi commode id fieri poterit, aperiantur, saltem in disciplinis humanioribus. In gravioribus autem disciplinis, pro locorum, in quibus Collegia fuerint, ratione, semper quid DEO gratius sit, ante oculos habendo, aperiri poterunt.« Ita c. 7. §. 1. — Agere igitur incipimus de eximio isto ministerio, quod Societas in erudienda et educanda juventute tanto cum fructu tantaque cum laude per plura sæcula innumeris fere in locis exerbat exercebat exercetque.

ARTICULUS PRIMUS.

QUANTI MOMENTI SIT INSTITUERE JUVENTUTEM.

318 1. — Ex institutione juvenum et puerorum pendet fere salus totius societatis humanæ, ita ut jure merito dicatur; qualis juventus, talis etiam societas humana, aut mala, aut bona. Ex eruditione enim et institutione puerorum et juvenum derivatur status generis humani sub omni pæne respectu; nam principia in teneris istis annis hausta formant totum hominem et dirigunt plerumque per totam vitam, in quovis

vitæ statu, in quibusvis vitæ conditionibus. Unde est, quod pro scholis habendis et dirigendis omnes hominum partes pertinacissime acerrimeque semper decertant, ob id ipsum, quod, qui tenet juventutem, tenet rem publicam totam, hominesque dirigit ad fines suos, tum perversos, tum salutares. — Videamus singula:

a. — Familia, quæ est primitiva et fundamentalis associatio hominum, indolem suam christianam tamdiu servabit, quamdiu homo adolescens christianis moribus imbuitur in iisque firmatur. Nam ipse adolescens christianus jam est pars familiæ ejusque naturam non minima ex parte determinat; præterea suo tempore plerumque erit ipse caput alicujus familiæ a se fundatæ, quæ erit christiana tota, si paterfamilias eam dirigens ipse christianus est.

b. — Quales familiæ, tales etiam respublicæ sive status, qui ex singulis familiis componuntur; proin non potest non esse, ut familiæ christianæ coalescentes in unum efforment quoque christiana regna et christianos status, etiam tum, si membra familiæ non directe in res publicas dirigendas influant. A fortiore igitur, si sint homines in officiis publicis constituti, qui immediate res commnnes ex principiis christianis ordinant et administrant; quod quantum vigoris et emolumenti rebus omnibus afferat, nemo non videt. Et ita salus publica ex salute privata.

c. — Imo ipsius Ecclesiæ catholicæ bona conditio ex christiana educatione hominum oritur; nam spiritus vere catholicus et vigor vitæ christianæ non potest abesse, ubi homo a teneris annis catholice sentire et catholice agere consuevit. Et quid demum de sacerdotibus et rectoribus Ecclesiæ, quorum in manibus Deus quodammodo sortes ejus reposuit. Ubi hi inde a pueritia ex præscriptis Ecclesiæ in scientia et pietate adolescunt, ibi potentiæ tenebrarum non poterunt prævalere super internum istum et tenacem vitæ vigorem, cujus est infallibiliter in fine victoria; hujus rei testis est et fuit semper historia.

2. — Docere et educare pueros et juvenes dein non tantum a statu 319
religioso non est alienum, sed ipsi valde conforme et naturæ ejus consentaneum. Nam:

a. — Vitam agere in auxilium proximorum essentiæ status religiosi conforme omnino est, cum sit idem atque exercere charitatem, quod est exercere perfectionem christianam; uti explicat S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 2. Et eo magis hoc obtinet, quo in procuranda eruditione et educatione charitatis opera nobiliora homini exhibeantur, nimirum opera spiritualia misericordiæ, quæ longe praevalent præ operibus corporalibus.

b. — Et cum religio sit status continui sacrificii suique abnegationis exercendæ, ubinam terrarum datur frequentior occasio patientiæ, mansuetudinis, suavitatis exhibendæ, quam in dirigendis scholis habendisque lectionibus, per annos et annos continuos. Vides igitur, scholam esse magistris religiosis palæstram perfectionis status sui attingendæ, modo animentur recta intentione spirituque fidei; quod in ipsis supponere licet.

c. — Inde etiam est, quod historia teste relegiosi homines semper in educandis pueris juvenibusque ponebant operam, magis minusve, pro diversitate adjunctorum; sed nunquam sine bono successu.

320 3. — Etiam juventuti ipsi valde prodest, habere magistros religiosos, quidquid contradicant adversarii. Etenim:

a. — Ad acquirendam virtutem christianam quisnam melius juvare potest, quam homo religiosus, qui vi status adigitur ad eandem exercendam gradu etiam altiori, quique proin optime viam novit mediaque huc conducentia ex sua ipsius experientia. Imo bonus religiosus jam exemplo suo totoque modo se habendi virtutes commendat et ad eas faciendas excitat eo ipso, quin verbis opus sit et directis exhortationibus.

b. — Sed ad litteras etiam docendas homo religiosus per se ceterisque paribus, aptior esse videtur præ magistro sæculari. Religiosus enim magis supponi debet posse discipulos movere, ut addiscant litteras, uti opus omnino est, cum respectu ad finem suum supernaturalem, pura proin intentione indefessaque propter DEUM colendum diligentia. Quod, quantum conferat ad progressum securum efficiendum, in aperto est. Addamus, religiosum hominem, qui liber est a curis et impedimentis mundanis, per se etiam magis addictum esse officio suo, magisque discipulis, singulis prout singulis convenit, immediate suam diligentiam applicare posse. — Absit tamen, de statu magistrorum sæcularium quidquam vituperii vel contemptus edicere, quum sint inter eos, qui toto animo omniumque virium contentione juventuti erudiendæ se tradunt; quos venerari et laudibus extollere omnino fas est.

321 4. — Societas JESU inde ab initio curam ponendam esse in erudiendis pueris juvenibusque tanquam suam partem sibi vindicavit. Videamus documenta:

a. — Ex parte auctoritatis Ecclesiæ hoc toties dictum est. In bulla „Regimini" 27 Sept. 1540: „Societas ad hoc potissimum instituta, ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana... nominatim per

puerorum ac rudium in Christianismo institutionem præcipue intendat." — Julius III. „Exposcit" 31 Julii 1550 idem. — Pius IV. „Exponi nobis" 19 Aug. 1561: Societati jam concessit jus conferendi gradus, etiam scholaribus externis. — Idem fecerunt Pius V. „Cum litterarum" 10 Martii 1571. — Gregorius XIII. „Quanto fructuosius" 1 Febr. 1583. — Idem Gregorius XIII. „Ascendente" 1584. — Etiam Congr. Conc. Trid. hæc habet in Respons. 231. ad Trid. sess. 23. de ref: c. 81: quærendos esse magistros eruditos; „quorum si reperiantur Jesuitæ, ceteris anteponendi sunt." — Suar. tr. 10. l. 5. c. 5. n° 13.

b. — In Societate ipsa munus docendi pueros tanto in pretio est, ut ne ipsi quidem Generali detur potestas dissolvendi domos, in quibus docetur, i. e. Collegia; „cum id sit, ac si membrum ab ejus corpore præscinderetur." — Sed pressius ad rem habet C. 8. D. 8: „munus docendi grammaticam et litteras humaniores, eo fine et modo, quo, apertis ad majorem DEI gloriam et proximorum salutem scholis, eas docendas suscepit Societas, proprium esse ipsius ministerium"; ergo non aliquid accessorium et contingens, quod æquo jure etiam ab ea abesse deceat. — C. 7. D. 26: „tanquam rem unam e maxime optatis et quæ saluti plurimorum commodissima est, quo potest Congregatio Superioribus omnibus affectu censuit commendandum [studium litt.]" Idem D. 92. — Rat. stud. reg. Prov. 1: „cum ex primariis Societatis nostræ minsteriis unum sit, omnes disciplinas, Instituto nostro congruentes ita proximis tradere, ut inde ad Creatoris ac Redemptoris nostri cognitionem atque amorem excitentur: omni studio curandum sibi putet Provincialis, ut tam multiplici scholarum nostrarum labori fructus, quem gratia nostræ vocationis exigit, abunde respondeat." — Hoc officium docendi pueros tanti momenti habetur in Societate, ut inter actum quam maxime solemnem et unicum, i. e. inter emittenda vota ultima tum Professorum tum Coadjutorum ejus specialis et expressa mentio fiat: „et secundum eam (obedientiam) peculiarem curam circa puerorum eruditionem."

c. — Et si consideremus domos, ubi docetur, seu Collegia, secundum varias eorum relationes tum ad res internas et domesticas, tum ad externas, clarum statim fit, ea esse partes quasi essentiales et maxime utiles toti Societatis corpori ejusque vitæ individuæ. Nam:

α. — Finis nostræ vocationis duplex in iis quam aptissime attingitur; propriæ enim saluti consulitur tum per spirituales exercitationes, quæ ibi regularitate et constantia, alibi sæpius impossibili, peraguntur; tum per vitam activam in materia educationis utilissimam homini DEOque gratissimam — alter noster finis.

β. — Et revera scholæ sunt quasi microcosmus quidam, ubi in ingenia quam maxime varia sparguntur semina, quæ in posterum fructus diversissimos proferant; recte quis dicet, contineri in Collegiis mundum, quasi in nucleo.

γ. — Societatis dein ipsius corpori sunt Collegia quasi seminaria, experientia teste; nam ipsis debemus tot capita Nostrorum, homines eruditos et probatos, qui ibi vocationis gratiam invenerunt.

δ. — Corpus vero doctum in Collegiis, professores scilicet et magistri, quamvis a mundo quasi seclusi appareant, nihilominus et libris et lucubrationibus suis vivunt efficaciter in mundo etiam externo, per nexum et influxum in homines et partes mundi quam maxime dissitas.

ε. — Constat ex historia, viros in Collegiis degentes pro hominum salute plurimum præ aliis laborasse.

ARTICULUS SECUNDUS.

PRINCIPIA, QUÆ IN HABENDIS SCHOLIS TENENDA SUNT.

322 1. — Sicuti in aliis ministeriis, ita etiam in hoc omnia gratis fiunt. Quare ne ex ipsa quidem Collegiorum dotatione facta oritur obligatio justitiæ ad docendum. — P. 4. c. 7. §. 3: „cum tam proprium sit nostræ professionis, nullum temporale præmium accipere pro spiritualibus ministeriis, in quibus juxta nostrum Institutum in proximorum auxilium occupamur, non convenit, ullam Collegii dotationem admittere, per quam ad dandum concionatorem aut confessarium aut lectorem aliquem theologiæ obligetur." — P. 6. c. 2. §. 7: „omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, non admittendo stipendium vel eleemosynas ullas, quibus... lectiones... vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas nostra juxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur, ut sic majori cum libertate possit, et proximorum ædificatione in divino servitio procedere." — decl. G. — Jam in Ex. c. 1. §. 3. et c. 4. §. 27: „nec petendo nec expectando præmium ullum in præsenti hac et labili vita; sed eam, quæ undecunque æterna est, ex summa DEI misericordia semper sperando."

323 2. — Societas porro non sinit se impediri, quominus in habendis scholis et educandis pueris sua propria principia sequatur suumque modum et rationem teneat. Et hæc vera est causa, quare omnia in scholis gratis præstat, „ut sic majori cum libertate possit procedere."

Nihil enim hominem etiam bonum magis retrahit ab eo persequendo, quod bonum et honestum esse judicat, quam respectus ad eos, quibus propter res temporales se quomodocunque obstrictum sentit. — Unde est, quod in admittendis Collegiis Societas nullas subit conditiones, obligantes ad hoc vel illud ministerium, has vel illas scholas; sed gratuito oblata Collegia libere accipit, ut in iis instituendis, regendis, administrandis omnino independens sit, possitque in omnibus juxta Institutum agere.

Sed proh dolor! nostris temporibus iniquis, ubi gubernia ipsa in hac materia institutionis et educationis omnes sibi partes arripiunt, Societas, ut modo admittatur et toleretur alicubi in scholis habendis, cogitur, a suæ rationis studiorum lege stricte tenenda fere semper aliquid remittere, vel relinquendo, quæ sua sunt, vel assumendo, quæ sibi præscribuntur: in disciplinis tradendis, libris adhibendis, examinibus subeundis, temporibus distribuendis. Quæ si accidunt, modo plus modo minus, eo majorem curam et industriam ponant Nostri omnes, tum Superiores, tum magistri, tum præfecti, ut non obstantibus his impedimentis, nostrum modum docendi et educandi, quantum fieri potest, retineant, quo, si non per litteram, per spiritum tamen in nostra ratione studiorum vigentem, scholares ad eum finem dirigantur, qui est finis omnium studiorum; nimirum ut solidam hauriant doctrinam simulque mores christiano homine dignos acquirant.

3. — Societas JESU in juvenum institutione et educatione eandem ubique methodum eandemque rationem vult valere, ut sit uniformitas totius corporis in re tanti momenti, tamque universali. Quod non impedit tamen, quominus pro varietate locorum rerumque, vigentibus ubique principiis iisdem, varia etiam statuantur.

P. 4. c. 13. A: „de statutis lectionum horis, ordine ac modo et de exercitationibus tam compositionum (quas a magistro emendari oportet), quam disputationum in omnibus facultatibus, et pronuntiandi publice orationes et carmina, speciatim in quodam tractatu per Generalem Præpositum approbato agetur seorsum, ad quem hæc Constitutio nos remittit; id dumtaxat monendo, illa locis, temporibus et personis accommodari oportere; quamvis ad illum ordinem accedere, quoad fieri potest, conveniat." — Præluditur sc. ad futuram rationem studiorum pro tota Societate edendam.

c. 7. §. 2: „et quia in particularibus multum varietatis esse oportebit pro varietate locorum et personarum, singula persequi non est hujus loci. Id tamen dictum sit, in quovis Collegio regulas, quæ ad omnia

necessaria descendant, constitui debere." — In decl. C. proponitur Collegium Romanum: „ex regulis Collegii Romani aliis, quod cuique conveniet, accommodari poterit." — Denique:

324 4. — Finis totius institutionis est eruditio in litteris animique cultura in genere; attamen non sola et separata a cultura morum, sed cum hac intime conjuncta et continuo nexu cum ea progrediens. Intentio enim Societatis fertur in hoc, ut scholares, dum proficiunt in litteris, pari gressu proficiant in cognitione et amore Dei, necnon in studio practico finis sui supernaturalis assequendi. Aliis verbis: Societas scholares suos et erudit et educat simul. Et quidem in scholis inferioribus, grammaticæ et litterarum humaniorum, intentio nostra *principaliter* fertur in educandos scholares, dum eos instruimus; in superioribus facultatibus vero, quando non tam directe et immediate educationis momentum effici potest, cura nostra circa scholares saltem eo modo versatur, ut quæ moribus christianis adversa sunt, caute arceantur, econtra quæ eos custodiunt et perficiunt, solerter et continuo subministrentur.

P. 4. c. 7. §. 1: „habita ratione... etiam profectus in litteris et moribus externorum, quos in nostris Collegiis instituendos suscepimus, scholæ publicæ... aperiantur." — c. 16. §. 1: „diligenter curetur, ut qui litteras discendi gratia ad Universitatis Societatis se conferunt, simul cum illis bonos ac christianis dignos mores addiscant." — Agamus nunc de utraque seorsim, et de educatione scholarium, et de eorum eruditione.

ARTICULUS TERTIUS.

DE EDUCATIONE SCHOLARIUM.

Ad eam rite efficiendam promovendamque Societati præsto sunt tum media interna seu religiosa, tum etiam externa.

325 1. — Cum hominis sanctificatio perficiatur adhibendis iis mediis supernaturalibus, quæ Christus Ecclesiæ suæ in hunc finem commisit, Societas imprimis sollicita est, ut usum horum mediorum scholaribus suis non solum facilem reddat ad eumque eos impellat, sed cum sancto quodam zelo scholaribus suis injungat et quasi obtrudat.

P. 4. c. 7. §. 2: „in iis, quæ ad doctrinam christianam pertinent, bene instituantur, cureturque, quoad ejus fieri potetit, ut singulis mensibus ad sacramentum confessionis accedant, et verbum Dei

frequenter audiant, et demum cum litteris mores etiam christianis dignos hauriant." — Et pro facultatibus superioribus in c. 16. §. 1. sqq: „diligenter curetur, ut qui litteras discendi gratia ad Universitates Societatis se conferunt, simul cum illis bonos ac christianis dignos mores addiscant. Ad quod multum juverit, si omnes singulis saltem mensibus semel ad confessionis sacramentum accedent, si missam quotidie, concionem singulis diebus festivis, cum ea fit, audient."

Attamen cum juvenes in Universitatibus degentes mitiori quodam modo tractari velint, habetur in decl. A: „qui facile compelli possunt, compellantur ad id, quod de confessione, missa, concione et doctrina christiana et declamatione dicitur. Aliis amanter quidem persuaderi convenit, sed ad id ne cogantur, nec, si id non præstiterint, a scholis expellantur; dum tamen nec dissoluti, nec aliis offendiculo esse videantur." — Prava enim exempla et corrupti mores aliorum juvenum animos facillime inficiunt depravantque similiter; unde necesse est, ut venenum, ne noceat toti corpori, quam citissime fieri potest, ex visceribus ejiciatur.

Plurimum autem prodest studiosis pro vita christiane instituenda indirectus et internus ille in eos influxus, qui ex modo, quo a professoribus docentur et tractantur, in ipsos derivatur. — §. 4: „feratur autem præceptorum peculiaris intentio, tam in lectionibus, cum se occasio obtulerit, quam extra eas, ad eosdem ad obsequium et amorem Dei ac virtutum, quibus ei placere oportet, movendos, et ut omnia sua studia ad hunc finem referant."

2. — Ad educationem scholarium promovendam plurimum inservit, 326
quæ vocatur bona disciplina, i. e. accurata et constans observatio earum regularum istiusque rationis vitæ, quibus totus homo dirigitur et formatur. — Rat. stud. reg. com. prof. inf. 39: „disciplinam omnem nihil æque continet atque observatio regularum. Hæc igitur præcipua sit magistri cura, ut discipuli tum ea, quæ in eorum regulis habentur, observent; tum ea, quæ de studiis dicta sunt, exsequantur. Quod spe honoris ac præmii, metuque dedecoris facilius, quam verberibus consequetur." — Veniamus ad recensendas singulas partes bonæ disciplinæ.

a. — Præprimis necesse est, ut habeantur convenientes et accuratæ regulæ, quibus totus vitæ ordo dirigatur. — P. 4. c. 7. §. 2: et quia in particularibus multum varietatis esse oportebit pro varietate locorum et personarum, id tamen dictum sit, in quovis Collegio regulas, quæ ad omnia necessaria descendant, constitui debere." — decl. C: „ex

regulis Collegii Romani aliis, quod cuique conveniet, accommodari poterit."

b. — Vigilandum est semper et ubique (caute tamen ne animi offendantur), ne malum quid, ubi apparet, toleretur cum periculo infectionis. — c. 16. §. 4: „in scholis nec juramenta, nec injuriæ verbo vel facto illatæ, nec inhonestum aut dissolutum quid in externis ad scholas accedentibus permittatur." — Hæc superintendentia, quam vocamus, pertingat optandum est, non solum ad ea, quæ peccaminosa vel periculosa sunt, sed ad componendos totius hominis mores ad leges decentiæ et modestiæ. Modus autem, quo exercetur hæc vigilantia, is sit, ut scholares quam minime advertant sibi invigilari. Alias timendum est, ne ipsi suspiciosi reddantur et simulatores; quod si fieret, ipsum remedium verteret in damnum.

327 *c.* — Cura habeatur quam maxima in libris, quibus utantur scholares. — c. 14. §. 1: „non sunt attingendi libri, quorum doctrina vel auctores suspecti sint. Hi tamen particulatim in quavis Universitate nominentur." — decl. A: „quamvis liber suspicione malæ doctrinæ vacet, cum tamen suspectus est auctor, legi eum non convenit. Solet enim opus in causa esse, ut qui legit ad auctorem afficiatur; et auctoritas, quam apud ipsum habet in iis, quæ bene dicit, posset postmodum aliquid persuadere ex iis, quæ male dicit. Rarum est enim, aliquid veneni non admisceri in iis, quæ a pectore veneni pleno egrediuntur." — §. 2: „quod attinet ad libros humaniorum litterarum latinos vel græcos abstineatur in Universitatibus quoque, quemadmodum in Collegiis, quoad ejus fieri poterit, ab eis juventuti prælegendis, in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat, nisi prius a rebus et verbis inhonestis purgati sint." — decl. D: „si aliqui omnino purgari non poterunt quemadmodum Terentius, potius non legantur, ne rerum qualitas animorum puritatem offendat." — c. 5. E: „in libris ethnicis litterarum humaniorum nihil, quod honestati repugnet, prælegatur. Reliquis ut spoliis Ægypti Societas uti poterit. Christianorum opera, quamvis bona essent, si tamen malus fuerit auctor, legenda non sunt, ne ad auctorem, aliqui afficiantur." — Vix dici potest, quam pestifera sit scholaribus lectio pravorum librorum, modernorum etiam auctorum, itemque foliorum periodicorum, quæ eduntur. Volunt schólares legere et debent ad formandum stylum; quare curent magistri et professores, ut arceantur libri mali secundum regulas supra propositas. Sed æqualis cura sit circa libros bonos subministrandos, qui placeant, instruant, formentque hominem ad honestatem et nobilitatem cogitandi et agendi.

328 *d.* — Ne pœna absit pro defectibus et vitiis commissis a nostris

scholaribus educandis. — P. 4. c. 7. §. 2: „hoc tamen commendatum hoc loco volumus, ne externis scholasticis correctio, quoad illis opus erit, desit; quæ tamen per aliquem de ipsa Societate exercenda non erit.” — Unde in decl. D: „ad hoc ubi corrector haberi poterit, habeatur; ubi non poterit excogitetur modus, quo castigentur, vel per aliquem ex ipsis scholasticis, vel alia convenienti ratione.”

Prudentur tamen statuitur, monitionem prius esse præmittendam. — c. 16. §. 5: „propter eos, qui tam in diligentia suis studiis adhibenda, quam in iis, quæ ad bonos mores pertinent, peccaverint, et cum quibus sola verba bona et exhortationes non sufficiunt, corrector, qui de Societate non sit, constituatur; qui pueros in timore contineat et eos, quibus id opus erit, quique castigationis hujusmodi erunt capaces, castiget.” — Et dicit C. 1. D. 35: „Constitutionem ut jacet, esse retinendam et servandam; sicubi tamen necesse fuerit, dispensare posse Præpositum Generalem.” — Nunc in multis regionibus leges civiles vetant, corporalibus castigationibus scholares punire, nisi adsit expressa parentum permissio. Nostri utique accommodant se huic legi, ea etiam de causa, ne difficultatibus implicentur, v. g. apparendi coram judice sæculari.

e. — Ultimum correctionis medium est ipsa dimissio e scholis, quam, 329
si ita sit necessarium, præcedat punitio pro gravitate delicti commissi. — P. 4. c. 16. §. 5. et D: „cum autem nec verba nec correctoris officium satis esset, et in aliquo emendatio non speraretur..., præstat a scholis eum removere, quam, ubi parum ipse proficit et aliis nocet, retinere. Hoc autem judicium Rectori Universitatis, ut omnia ad gloriam et servitium Dei, ut par est, procedant, relinquitur.” — „Si casus aliquis accideret, ubi in remedium offendiculi præstiti satis non esset, a scholis expellere, videat Rector, quid præterea conveniat providere, quamvis, quoad ejus fieri poterit, in spiritu lenitatis, pace et charitate cum omnibus conservata, sit agendum.”

Ne tamen in ultimo hoc eventu desit prudentia et cauta providentia, sic dicitur in c. 11. B: „ad bonum Universitatis statum proprie pertineret, si scholasticus aliquis rebellis, vel sic offendiculi causa aliis esset, ut non solum scholis eum, sed etiam civitate expelli, vel in carcerem conjici conveniret, ut certiores facti justitiæ ordinariæ administratores, id statim exsequerentur. Et ad hoc et similia a Principe vel suprema potestate hujusmodi facultatis scriptum habere testimonium oportebit. Ut commendatio etiam Rectoris in alicujus scholastici favorem momentum apud eosdem justitiæ ministros haberet, ne scholastici opprimerentur, oporteret.”

ARTICULUS QUARTUS.

DE INSTITUTIONE SCHOLARIUM.

330 1. — Hucusque de educatione scholarium separatim spectata egimus; accedamus ad eorum institutionem in litteris, quæ quidem de facto inseparabiliter conjuncta est priori, de qua tamen seorsim tractare debemus.

In quarta Constitutionum Parte ab ipso jam sancto Ignatio fundamentalia principia proponuntur totius rationis studiorum, quam vocamus, id est, totius istius modi docendi et discendi, qui ab initio in Societate tenebatur et in ea servabatur, cum istis tamen variationibus iisque emendationibus, quæ decursu temporum pro varietate locorum circumstantiarumque necessariæ vel utiles esse inveniebantur. Jure igitur merito hanc quartam Constitutionum Partem vocamus codicem fundamentalem totius scholarium nostrorum institutionis. Sanctus vero Ignatius totum hoc docendi munus, quod in Societate exercetur, conjunctum tractat neque inter docendos nostros scholasticos et scholares externos distinctionem facit; quod fortasse quis potuisset exspectare ex modo, qui nostro tempore plerumque valet. Sed universam hanc materiam intime in se conjunctam dividit potius, uti par est, ex gradu institutionis, quæ exhibetur, in institutionem, quam vocamus mediam, abstrahendo ab institutione elementari, et institutionem superiorem sive altiorem.

331 2. — Prior institutionis forma, i. e. institutio media, proponitur nobis a sancto Ignatio in primis decem capitibus Partis quartæ, sub nomine „Collegium"; quæ denominatio pro ejusmodi generis institutis jam antea communissima ab Ignatio retinebatur. Hoc vero Collegium, quod vocatur et ibi nobis proponitur, non est merus scholasticatus Nostrorum, neque merum gymnasium externorum, qualia nunc habentur; sed est quoddam Institutum compositum, i. e. scholasticatus Nostrorum, cui simul annexum est gymnasium sive lyceum externorum, ubi Nostri igitur et externi simul instituuntur. Ejusmodi Collegium jam ab initio fere Romæ, sub ipsius Ignatii oculis, ortum florebat, cujus nomen celeberrimum sat notum est: Collegium Romanum. — Pro altera vero institutionis forma, i. e. pro institutione superiore, Ignatius retinebat denominationem tunc temporis quam maxime vulgarem: nimirum Universitatis; sic quidem ut Universitates nostræ omnino æquipararentur aliis existentibus Universitatibus, i. e. cum Rectore, Cancellario, Notario

et ejusmodi officialibus; simul etiam cum omnibus juribus annexis, tum ecclesiasticis tum civilibus. Docebantur etiam in nostris Universitatibus omnes facultates superiores, quæ in aliis; excipiebantur tamen medicina et jus civile, pro quibus tractandis professores externi vocabantur, modo non expediebat, eas a nostris scholis omnino excludere.

3. — Præter has Universitates et Collegia stricto nomine sic dicta, 332
sanctus Ignatius alia etiam admittebat Instituta vel domus, cum esset ipsius intentio, in hac re gravissima instituendæ et educandæ juventutis, omnibus omnia esse, in quantum Societatis finis et leges non obstarent. Concessit igitur Superioribus magnam in hac parte libertatem habendi Instituta varii generis; imo in Parte quarta Constitutionum sat multa vel proponit vel innuit saltem, quæ pro instituendis et regendis talibus domibus utilia vel necessaria essent. Recte igitur dicimus, in quarta Parte Constitutionum ideam et formam fundamentalem ab ipso jam Ignatio quodammodo delineatam fuisse, ex qua decursu temporum scholæ et domus generis quam maxime varii efflorescebant: Universitates, Collegia, Seminaria, Lycea, Convictus, Pensionatus, Scholasticatus, quæ revera ubique terrarum in maximum religionis salutisque publicæ emolumentum a Nostris tenebantur regebanturque. — Nimirum sanctus Ignatius ipse et qui eum sequentes ipsius animo imbuti erant, non modo quodam doctrinali et quasi a priori fixo, in hoc præstantissimo educandæ juventutis ministerio agebant; sed corde dilatato necessitates Ecclesiæ in parte hac complectens, desiderioque flagrans afferendæ medicinæ huic malo corruptæ juventutis, præsto erat, ubicunque malum imminebat avertendum vel sanandum. Attamen non in vanum et vagum currebat, sed acuto suo et discreto ingenio circumspiciens ponderabat omnes circumstantias conditionesque locorum, personarum, rerum etiam temporalium, ut statim ab initio opus susceptum in firmo et stabili fundamento poneretur, cum spe progrediendi et fructificandi juxta finem Societatis propositum, salvis semper ejus legibus et principiis, modo tamen diverso in diversis locis.

4. — Quam vera sint, quæ de Ignatio diximus, eruitur ex ipsius Partis quartæ capite tertio in decl. B: „non repugnabit Instituto nostro,... alios pauperes scholasticos, qui tale propositum [ingrediendæ Societatis] non habeant, admittere, dum tamen in eis impedimenta illa, quæ in prima parte dicuntur, non inveniantur; et hujusmodi indolem præ se ferant, ut sperari possit, quod boni operarii vineæ CHRISTI Domini nostri sint futuri, propter ingenium, vel aliquam institutionem in litteris, bonos mores, convenientem ætatem, et alia DEI dona, quæ in eis cer-

nerentur ad divinum obsequium, quod solum in iis, qui de Societate et extra illam sunt, expetitur." — En habes hic formam convictus cujusdam, seminarii, vel pensionatus, maxime si attendas ad ea, quæ sequuntur: „hujusmodi autem scholastici in confessionibus frequentandis, in studiis ac in forma vivendi scholasticis Societatis conformes esse debent; quamvis et ratio vestitus diversa, et habitatio in eodem Collegio separata sit, ita ut, qui Institutum Societatis sequuntur, seorsum et non commixti aliis externis maneant etc." Quidnam quæso, in hoc deest formæ convictus sive seminarii, quod nunc vocamus? — Similiter in c. 7. suadetur, ut scholæ publicæ aperiantur, separatæ etiam a Nostris scholasticis, saltem in disciplinis humanioribus. In c. 11. vero agitur de Universitatibus proprie sic dictis secundum formam consuetam. — Et sic vides, sanctum Ignatium animo suo futurorum præsago omnium istorum institutorum formam originariam delineasse, quæ postea a Nostris per totum mundum erigebantur.

333 5. — Quodsi demum litteras ipsas spectemus, quas docendas Societas suscipiebat, secundum intentionem suam, ut omnes scholares adjuvaret ad certam vitæ conditionem in futuro sequendam, dicere fas est, eam omnes omnino partes institutionis litterariæ complexam esse, ratione tamen bene ordinata, ita ut gravioribus etiam graviorem et magis sedulam curam tribueret. Quod sic patet:

a. — Quum non sit ulla litterarum disciplina, quæ ad finem omnis scientiæ et ad finem Societati proprium tam prope accedat quam theologia, convenit omnino, ut hæc facultas, quasi regina omnium, primum locum teneat maximoque in pretio habeatur. Unde est, quod theologiæ docendæ viri quam maxime illustres admoveantur, eique summa cura adhibeatur circa omnia, quibus ejus studium promoveri possit. Et hæc quidem quoad omnes theologiæ partes, non solum scholasticam theologiam, sed etiam positivam, exegesin, patrologiam, moralem, jus canonicum etc. — P. 4. c. 12. §. 1.

b. — Et quia tam doctrina theologiæ quam ejus usus exigit litterarum humaniorum et linguarum variarum cognitionem uti necessarium vel utilem, harum etiam professores idonei, constituantur, ratione habita regionum diversarum et causarum, quæ ad eas docendas movent. Propterea docentur non solum linguæ classicæ, i. e. latina et græca, sed etiam hebraica, arabica, chaldaica, indica; imo etiam recentes linguæ pro variis mundi partibus, in quibus quis pro salute proximorum ministerium exercere destinatur. — 4. c. 12. §. 2. cum decl. A et B.

c. — Præparantur autem ad theologiam discendam et exercendam

scholares per studium philosophiæ, logicæ nimirum, physicæ, metaphysicæ, ethicæ, etiam matheseos, quatenus ad finem nobis propositum conveniunt et ad animi culturam generalem requiruntur. l. c, §. 3. et decl. C. — Medicinæ et legum studium, ut a nostro Instituto magis remotum, in Universitatibus Societatis vel non tractabitur, vel saltem Societas per se id oneris non suscipiet. — §. 4.

d. — In gymnasiis, præter doctrinam sacram tres ordinarie sunt præceptores in tribus diversis grammaticæ classibus; quartus humaniores litteras, quintus rhetoricam præleget. Et in horum duorum classibus græca lingua et hebraica, et si qua alia disceretur, est prælegenda, ita ut semper sint quinque classes. Accedunt etiam hoc tempore, in quantum utile habetur, scientiæ accessoriæ, quæ vocantur: historia, geographia, etc.: ita ut per quinquennium exerceatur scholaris omnibus istis, quæ in homine erudito adesse supponuntur, quæque abesse non debent pro quavis vitæ conditione præparanda, ad quam altioribus disciplinis postea in Universitatibus vacando aliquis se idoneum reddere desiderat — P. 4. c. 13. §. 3. et B. —

e. — Institutionem elementarem, uti in legendo et scribendo pueros instituere, si is personarum numerus Societati suppeteret, ut omnibus vacare possit, Societas per se non recusat, cum sit opus charitatis; propter earum tamen penuriam hæc ordinarie docere non consuevimus. — c. 12. C. — Idem dicitur C. 20. D. 21: „censuit tamen Congregatio, generatim curandum esse, ut istæ scholæ elementares potius a sæcularibus, quam a Nostris doceantur." — Additur tamen in sequenti D. 22: „quæsitum est, utrum in convictibus non possemus uti opera nostrorum laicorum ad docendos pueros legere et scribere; et visum est, quod hoc fieri possit, cum passim, quando idonei reperiuntur, laici nostri permittuntur docere picturam vel delineationem; videndum tamen esse, an in aliquibus locis hoc non esset obnoxium alicui incommodo." — Revera jam primis fere temporibus institutionem elementarem a Nostris pueris datam esse, uti in Transsylvania 1581, in Austria 1587, in historia Societatis legitur.

Vides ex his, quæ breviter proposuimus, Societatem ab initio totam scalam eruditionis et institutionis percurrisse, incipiendo ab infimo gradu et ascendendo ad summum, insigni cum laude felicissimoque cum effectu. Est quidem hic prospectus generalis, quem exhibuimus, sat brevis et succinctus, uti par est. Sed remittimus ad ea, quæ sequuntur de ratione studiorum, in qua omnia, minutissima etiam hujus partis explicantur.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PRIMA STUDIORUM RATIONE.

334 1. — Ipse jam sanctus Ignatius in Constitutionum Parte quarta principia generalia proposuit, pluraque ex eis particularia evolvit, secundum quæ certus in tota Societate docendi et discendi modus vigeret. In c. 7. §. 2. et C. clare tamen edicit, necesse esse, regulas condere magis speciales et ad omnia necessaria et utilia descendentes. Quæ ibi proponit sanctus Ignatius, eo majoris pretii æstimanda sunt, cum ipse multis in locis modum et rationem docendi et discendi suis ipsius oculis perspexisset, imo sua practica experientia probasset, quippe qui jam adultus et judicio maturus, totum cursum discendi ab imo ad summum percurrisset, in se ipso probans, quæ in hac re apta essent, quæve emendatione indigerent.

Perspicuum est, in Societate non statim ab initio modum quemdam novum et hucusque inauditum in docendo et erudiendo juventutem invaluisse, sed modus hucusque generaliter receptus etiam in Societate retinebatur; præsertim ex eo, quod ad docendum in ea vocabantur plerique, qui jam in variis disciplinis, tum altioribus tum inferioribus, antea hoc docendi munere perfuncti fuerant. Hi viri docti, dum rationem hucusque alibi vigentem etiam in Societate retinebant, facilius quoque experiebantur, quænam bona essent et retinenda, quæ vero emendatione indigerent, quum in eadem familia religiosa degentes eo ipso quæ in hac re experiendo sentirent, familiari cum Sociis conversatione conferrent.

Sciunt omnes, primis jam Societatis temporibus hanc partem docendi et erudiendi juventutem, magis quam prævideri poterat, Societati injunctam fuisse, cum tot scholæ ubique terrarum offerebantur, tum a principibus, tum ab hominibus privatis; bene utrisque intelligentibus, in tam misero rerum publicarum statu nihil magis utile esse et necessarium, quam ut juvenes a primis annis recte et solide instituerentur. Unde homines Societatis necessitate quadam compellebantur in docendo modum uniformem et ab omnibus tenendum providere. Conclamabant undique: edendam esse formam, libellum, rationem studiorum; curandam uniformitatem doctrinæ, statuendum elenchum opinionum, et similia.

In Germaniæ Superioris Congregatione Provinciali 1568, postulatum formabatur: „legem severam fieri percupimus, eamque per totam Societatem publicari;" — „cupimus decreta R. P. Nostri in tenendis et docendis opinionibus per totam Societatem publicari et observari."

Respondit P. Franciscus Borgia: „ut in Superiore Germania id ipsum curarent; et alibi etiam tantundem curabitur. „In tribus sequentibus Congregationibus Germaniæ Superioris, anno 1571, 1573 et 1576 eadem postulata Romam missa sunt.

Demum Claudius Aquaviva, sicuti in aliis multis, sic etiam in hac re gravissima, manum operi perficiendo admovit. In C. 4. D. 31. deputati sunt duodecim Patres „ad conficiendam formulam studiorum;" attamen non extant ea, quæ hi in hac re laborabant. Pater Claudius proin post tres annos ex tota Societate sex Patres evocavit: P.P. Azor Hispanum, Gonzalez Lusitanum, Tirium Gallum, Busæum Austriacum, Guisanum Germaniæ Sup., Tucci Romanum; hos ejusdem anni 1584 mense Decembri summo Pontifici ad petendam benedictionem Apostolicam pro hoc labore feliciter peragendo præsentavit. Hi sex Patres per annum toti erant tum in conficiendo elencho opinionum in philosophia et theologia tenendarum, tum in condenda instructione ad modum docendi proponendum. Hoc opus 21 Aprilis 1586 una cum epistola P. Generalis in singulas provincias missum est, ut de eo judicium ferrent et, quæ sentirent, rescriberent. Quo facto typis imprimebatur opus, sed pro Nostris solum, sub titulo: „Ratio atque institutio studiorum, per sex Patres ad id jussu Præpositi Generalis deputatos conscripta. Romæ in Collegio Societatis JESU, anno Domini 1586." — Continet hæc ratio duas partes: „de opinionibus seligendis" et „de scholarum administratione." Singulæ provinciæ jubebantur, opus probare et sua de eo sensa rescribere. Nunc hujus operis perrari nonnulla tantum exstant exemplaria: sed in „Monumentis pædagogicis" a P. Pachtler editis accurate et in extenso totum receptum fuit. — In Congregatione Generali quinta (1593) iterum Patres deputati sunt ad revidendum totum opus; et in D. 41. Congregatio probavit Rationem studiorum, addens plures regulas „de delectu opinionum, pro theologis et philosophis", quæ regulæ nunc habentur in regulis singulorum professorum. Idem fecit in D. 56., ita ut per duo hæc decreta prima pars prioris studiorum rationis valde emendaretur.

Tota demum res ad finem perducta fuit inter quintam et sextam Congregationem Generalem; nam in hac sexta nullus sermo de deputandis Patribus in hunc finem amplius infertur. Et ita tandem hæc prima ratio studiorum anno 1599 publicabatur et usui tradebatur. Quod felix faustumque imprimis fuit, cum eo ipso tempore Societati plurima Collegia offerrentur, in Gallia præcipue sub Henrico Quarto, et alibi plurimis in locis, ita ut hoc docendi ministerium tanquam Societatis principale et maxime honorificum haberetur, cum immenso bono fidei

catholicæ tuendæ et servandæ atque juventutis christianæ recte educandæ.

335 2. — Attamen falsum esset opinari, hanc rationem studiorum, tunc completam pro temporum conditione, dein immutatam omnino permansisse; nam etsi littera ejusdem intacta manebat, de facto tamen, tam in superioribus quam in inferioribus disciplinis, uti par erat pro varietate temporum, et aucta et emendata fuit. Sic jam P. Sacchini de studendi ratione scripsit, quem secutus est P. Tournemine in facienda instructione pro præfectis. Similiter C. 14. D. 10. Patri Generali commendatur, ut „hominem designet hujus litteraturæ (sc. humaniorum) apprime peritum, qui tum his, quæ ad hoc aptissima exstant passim in Instituto, tum iis, quæ apud probatos auctores huc faciunt, Instructionem componat absolutam atque usui maxime accommodatam, eamque R. P. Generalis a se ac PP. Assistentibus approbatam transmittat in provincias etc." Atque sic prodiit celeberrima illa Instructio Patris Juvencii: „de ratione studendi et docendi," quæ nullo non tempore et magistris et discipulis utilissima erat et erit.

Sed non tantum quoad modum emendabatur ratio studiorum, sed etiam, et hoc quidem magis, quoad materias docendas.... Non post multum temporis necessarium omnino apparebat, ut præter latinam etiam linguæ vernaculæ, quam maxime excolendæ cura strenua ubique impenderetur, propter necessarium ejus in omnibus vitæ publicæ et privatæ rebus usum. Quam serio Societas huic rei se applicarit, inde elucet, quod in omnibus terræ partibus Societatis filii exstabant, qui in usu sermonis patrii principibus scriptoribus non modo pares essent, imo frequenter eos superarent. Quodsi in nostra Germania, quamvis neque ibi desint scriptores classici, pauciores tamen inveniuntur, id aliis rationibus attribuendum est, imprimis misero rerum publicarum statui inter continua bella et religiosa et civilia: „inter arma silent musæ." — Quanta dein historiæ profanæ ratio sit habita videre est in eo, quod v. g. id Collegio Ellwangensi utebantur Compendio historiæ a Patre Societatis conscripto, in quo tota materia tractanda historiæ ecclesiasticæ et profanæ, simul cum geographia, pro sex ejusdem Collegii classibus rite distributa erat.

Similiter etiam in theologia progressus fiebat. Forma scholastica utique, quia utilissima, semper retinebatur, quod etiam nunc fit; attamen quæ in ea superflua et minus utilia probabantur, plene paulatim eliminabantur, quæstionesque inutiles et mere subtiles rejiciebantur. Mox ad theologiam scholasticam addebatur etiam positiva atque jus canonicum, „cujus lectionem, in pluribus jam Collegiis cum non modico

rei litterariæ incremento institutam, in ceteris quoque præcipuis Collegiis opportune instituant [Provinciales]. — C. 14. D. 20. — Et in C. 16. D. 30: „cum Præpositus Gen. in Domino expedire judicaverit, suscipiant Nostri munus docendi Sacros Canones in Universitatibus publicis, etiamsi omnes juris canonici materias seu titulos prælegere ac tractare oporteat." — Quam solide autem et universaliter in excolenda et promovenda historia ecclesiastica homines nostri laboraverint, probant opera virorum illustrium, quorum nomina adhuc apud doctos in honore sunt semperque erunt.

Quod in theologia, idem etiam in philosophia tenebatur principium, et eo magis: „ne ex una parte in scholas nostras irrepat nimia in rebus philosophicis opinandi libertas, ex altera vero ne ad solas speculationes et metaphysicas subtilitates arctarentur ingenia." — Et in C. 17. D. 13: „mediam et temperatam viam tenet inter utrumque extremum," i. e. inter indomitam ingenii libertatem et rigidam ejus tenacitatem Quam sanum sit hoc justi medii tenendi principium, non solum patet ex natura ingenii humani, tendentis ad investigandam rerum veritatem modo securo et solido, sed probatur etiam ex ipsius philosophiæ historia non satis deploranda, ubi ex pruritu nova semper inveniendi, systemata excipiebant systemata, inter se pugnantia et contradicentia, quæ ad breve tempus hominibus quidem arridebant propter novitatis insolitæ speciem, non multo autem post tanquam inania et falsa reprobabantur et rejiciebantur. — In philosophiæ scholis mox accedebat disciplina, quam nunc vocamus physicam, cum omnibus suis annexis, quæ passim realia vocamus. Et juste omnino, cum in rebus naturalibus investigandis et usui humano accommodandis desudarent hominum doctorum ingenia subtilissima, cum fructu prorsus hucusque inaudito; quod monstrant inventiones novæ semper prioribus succedentes, quæ applicatæ ad vitæ humanæ usus practicos immensam omnino utilitatem rebus omnibus attulerunt. — Quam solerter et insigniter homines etiam Societatis in hoc campo laboraverint, probant nomina illustrium virorum, quorum memoria nunc quoque colitur; colligitur etiam ex hoc, quod suppressa Societate, iidem Societatis homines docti in omnibus fere Universitatibus cathedris professorum applicabantur. — cf. Buss pag. 1308. sqq.

ARTICULUS SEXTUS

DE RATIONE STUDIORUM RECENTIORI.

Restituta Societate anno 1814, statim revixit etiam quæstio de 336

ordinandis studiis, et postulabatur, ut ratio studiorum antiqua revisa temporum conditionibus accommodaretur. In prima jam renascentis Societatis Congregatione Generali, C. 20. D. 10. petebatur, ut P. Generalis viros eligeret ad revidendam rationem studiorum, quam probatam a se et PP. Assistentibus omnibus provinciis tanquam normam tenendam injungeret. Sed ut jam statim in Societate uniformitas quædam invalesceret, singuli Provinciales regulas quasdam conderent, quas approbatas a Generali professoribus suis uti legem sequendam imponerent. Item Generalis elenchum ederet de opinionibus a Nostris non docendis, auctoresque, quibus uterentur, præscriberet.

In sequenti Congregatione 21. D. 15. omnes provinciæ postulabant, ut, quantum fieri posset brevissime, ratio studiorum emendata ederetur. Antequam de hac re amplius ageretur, P. Generalis Roothaan edixit [ib.]: „se plane sentire, quantum hoc, quod a tota Societate flagitatur, ipsorum temporum circumstantiæ requirant; sibi certum fixumque esse, huic operi quam primum animum applicare. Monuit tamen, non tale esse negotium, quod aut leviter tractari, aut brevi tempore perfici possit; quippe apud se statuisse, nihil certi ea de re et per modum legis statui oportere, quod non prius in provinciis ad praxim deductum experientia ipsa probasset. Quæ aliaque in eandem sententiam Congregatio cum gratulatione excepit et vehementer probavit."

Sequenti anno P. Generalis quatuor Patres, nimirum PP. Manera, van Hecke, Garafoli et Loriquet, vocavit iisque opus perficiendum tradidit. Qui quum diligentissime rei promovendæ manum apponerent, jam anno 1832 opus, quod composuerant, in provincias mitti poterat. Pater Generalis Roothaan ipse huic rationi studiorum litteras addidit commendatitias, in quibus de principiis disserit, quæ in ea conficienda valuissent: „in eo igitur totus hic accommodandæ rationis studiorum versatus est labor, ut necessitati temporum ita serviretur, quo tamen de solida rectaque juventutis institutione minimum decederet."

337 *Proponamus* paucis, in quibus hæc recens studiorum ratio secundum temporum varietatem et necessitatem ab antiqua discrepet.

a. — In antiqua stud. ratione pro theologis hi constituti erant professores: unus professor sacræ Scripturæ, duo vel tres theologiæ scholasticæ, duo pro casibus conscientiæ. — Nunc vero loco horum ultimorum duo professores constituti sunt, quorum alter theologiam moralem cursu biennali docet omnes theologos, etiam eos, qui theologiam scholasticam sequuntur; alter vero cursu triennali dogma compendiosum iis proponit, qui non destinantur ad cursum quadriennii theologiæ scho-

lasticæ percurrendum. Hoc triennium constitutum est a Patre Generali et Patribus Deputatis ex C. 21. D. 16. — Duo novi professores additi sunt, eo nimirum sensu, ut omnes utriusque cursus scholares ad eorum scholas frequentandas obligarentur: historiæ ecclesiasticæ scilicet et juris canonici, cursu biennali pro utraque hac disciplina per horas duas singulis hebdomadis.

Secundum antiquam rationem studiorum Summa sancti Thomæ explicabatur; et in ordinatione Patris Piccolomini accurate enumerantur quæstiones, quæ singulis annis quadriennii absolvi debebant. Nova ratio studiorum non tam stricte obligat ad sequendum ordinem Summæ sancti Thomæ, liberum relinquens professori, eam pro compendio habendi, vel non. Designat tantum tractatus, qui ab utroque professore singulis quadriennii annis absolvendi sunt, neque hoc tam stricte, cum addat: „ordo is *ferme* sit." Quoad doctrinam ipsam dicitur Nostris: „sequantur Nostri omnino sanctum Thomam, eumque ut doctorem proprium habeant, ponantque in eo omnem operam, ut auditores erga illum quam optime afficiantur": attamen nonnullis quæstionibus eum relinquere, fas est. — Reg. prof. theol. 2. — Et jure quidem merito, quum fieri non possit, ut juremus absolute in verba magistri. Sic v. g. in apologia necesse est, novum apparatum in promptu habere ex iis disciplinis naturalibus, in quibus ingenia hominum tantopere profecerunt; et positivæ etiam theologiæ major cura impendenda est ad paranda arma contra impugnatores religionis christianæ et catholicæ.

Prioribus temporibus pro explicanda Scriptura sacra vel proprius professor constituebatur vel ipse theologiæ dogmaticæ professor hanc partem tenebat. Nunc explicandæ Scripturæ proprius est professor, qui singulis hebdomadiis quinque habet scholas unius horæ, cui intersunt omnes utriusque cursus theologi per biennium. Hoc jure fit propter summam necessitatem cognoscendi funditus sacrum textum, ad quem impugnandum undique congeruntur ab adversariis arma, objectionibus sumptis quam maxime variis ex omnibus novis disciplinis et inventionibus.

Nota. — Quæ statuit Congregatio ultima de studiis theologicis, C. 24. D. 24., habentur supra no 284-289 incl.

b. — Pro cursu philosophiæ ratio studiorum antiqua ex omni fere parte mutata fuit, ut necessitati temporum provideretur. Errores enim pæne omnes nunc grassantes ex falsa philosophia desumuntur, quibus destruendis solidæ veritates sanæ philosophiæ opponi debent. Dein etiam, tempore hujus cursus philosophici percurrendi illæ quoque

disciplinæ tractantur, in quibus ultimis his temporibus ingenium hominum tam mirum in modum profecit. Unde est, quod ea, quæ realia passim vocantur, doceri omnes oportet, qui inter homines ingenio cultos conversari debent, ne ab aliis despiciantur negliganturque. Nihilominus duo tantum anni philosophiæ addiscendæ tribuebantur; attamen cito jam experientia probabatur, hoc tempus biennii non sufficere omnibus his necessariis tradendis et discendis. Itaque C. 22. D. 34. ordinavit fieri studium triennale philosophiæ, et consequenter P. Beckx anno 1858 edidit „ordinationem pro triennali philosophiæ studio," quam nunc sequi tenemur, manente obligatione quadam sequendi rationem Patris Roothaan in iis, in quibus non discrepat ab hac ultima ordinatione. Hæc ordinatio Patris Beckx accurate proponit „capita doctrinæ a professore philosophiæ triennio tradenda" in nº X; tum in nº XII. „Propositiones aliquot philosophicæ, quæ in scholis Societatis docendæ non sunt."

In philosophia docenda Aristoteles non poterat amplius quasi pro compendio haberi, quo uterentur scholares, quamvis omnes fere quæstiones speculativæ ex ipsius doctrina tractabantur, præsertim in logica et metaphysica generali. In cosmologia vero et psychologia ea, quæ ex physica, chimia et physiologia præbebantur nova, præteriri omnino non poterant. Inde factum est, ut elenchus Patris Piccolomini plane rejiceretur; sed qui ejus loco substitutus est elenchus Patris Beckx, post quadraginta annos ab ejus origine, etiam insufficiens nunc invenitur, et paratur novus. — Non potest negari, in quæstionibus speculativis ingenia nunc iterum ad pristinum ordinem propendere, quin quæ bona hucusque inventa sunt, respuantur; econtra eorum reconciliatio cum iis, quæ sana et solida ex antiqua philosophia retinenda sunt, scientiam humanam mirifice promovit.

Realia, quæ nunc vocantur, in ratione studiorum veteri non inveniuntur, nec inveniri poterant, ut patet. In nostra autem ratione debitum sibi locum occupant; physica, chimia, astronomia, scientia naturalis etc. tam bene docentur, ut nostri pares omnino sint aliis institutis sæcularibus. Utique intra breve triennii spatium non sufficit tempus ad proponenda et discenda ex his disciplinis omnia utilia; et professoris discretioni relinquitur, ea seligere, quæ pro cultura animi generali juxta temporis nostri exigentiam requiruntur. Commendatur autem, ut in nonnullis Collegiis majoribus omnes hæ scientiæ naturales plene et perfecte doceantur, ne desit occasio eas discendi iis, qui specialiter uni vel alteri disciplinæ incumbere velint.

c. — Restat quædam dicere de studiis inferioribus, humanioribus

scilicet et grammaticis, prout in gymnasiis et lyceis tractantur. Quoad hæc in Reg. Prov. in rat. stud. 23. § 2. et 3. aliqua addita sunt, quibus removentur defectus antiqui, majorque latitudo præbetur juxta temporum locorumque necessitatem. Dicitur Provinciali: „illud etiam sibi valde commendatum existimet, ut in scholis discipuli in lingua vernacula solide instituantur; et quid in unaquaque classe præstandum sit provideat. Curet quoque, ut in scholis inferioribus tradantur accessoria, quæ sunt historiæ, geographiæ, matheseos elementa, assignando, quid et quantum in singulis classibus fieri debeat pro regionum ac temporum ratione." — Virtute harum paragraphorum singulis magistris regulæ speciales proponuntur; imo ex tenore earum facultas datur sat ampla, satisfaciendi ubique omnibus justis desideriis variis in variis regionibus. — Quodsi in hac parte Societas maxima cum cura vigilat, ut noxia procul sint, v. g. in litteratura et in libris, quibus utuntur, hoc ipsi laudi tribuendum est, quum nihil magis nocivum sit adolescentibus, quam venenum illud serpens, quod in libris malis tegitur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DEFENDITUR NOSTRA RATIO STUDIORUM.

Ex iis, quæ breviter proposuimus ex historia rationis studiorum et 338
ex summariis ejus capitibus, satis clarum fit, Societatem nostram injuste prorsus argui de nimia et noxia tenacitate in retinendis iis, quæ inveterata et obsoleta sint. Magna econtra sagacitate ex iis, quæ undique in tam vasto scientiarum campo nova et speciosa offerebantur, libentissime et liberalissime ea seligebat, quæ vera, bona et profectui solido proficua esse probabantur. Quodsi vetera et probata tamdiu retinebat, donec ex novis meliora offerrentur, prudentiæ christianæ est, quæ retinet probata, donec melioribus eliduntur. Et ex hoc experientiæ modo fit, et fiet semper, ut studia nostra præ aliis meliora probentur; quod videre est ex sequentibus:

1. — Apud nos statim ab initio in excipiendis rudimentis puerorum animi et ingenia æquali modo excoluntur, dum omnes animæ facultates et vires simul, ratione naturali et sibi conveniente, exercentur et perficiuntur; quo fit, ut per hanc harmoniam omnium animæ partium pari gressu progredientium, ista animi claritas atque fortitudo enascatur, qua homo fit dominus sui, possitque prudenter viriliterque agere in conditionibus vitæ quam maxime diversis. Econtra apud modernos

animi cultura incipit et progreditur in exercenda fere unice memoria, cui res pæne innumerabiles et maxime variæ simul offeruntur discendæ et retinendæ. Non licet quidem negare, in homine facultates intellectuales, quarum una est memoria, seu dicamus potius, in homine ipsam rationem esse partem principalem, cui cômpetit moderatio totius hominis interni et externi; sed similiter non licet negare, per hanc improportionatam et indebitam culturam unius partis dominium intellectus seu rationis in homine evadere inæquale et ceteris animæ facultatibus prorsus nocivum. Et hæc est certa causa istius rei, quam omnes ubique fere experimur, nimirum hominum animos in genere diffundi super nimias res cognoscendas, proindeque eas obiter tantum et in superficie tenere, cum magna quidem superbia et elatione cordis, qua se homo extollit cum jactantia super homines solide excultos, quos non raro despicit quasi minus habentes sibique inferiores.

2. — Porro nostra ratio studiorum retinebat firmiter et consequenter [et etiam nunc retinet, quantum fieri potest], sanum illud principium, quo unius ejusdemque classis discipulis unus idemque dabatur magister, qui pueros disciplinas omnes ipse edoceret; et ita quidem, ut cum discipulis quos primitus accipiebat, per omnes classes ascenderet eorumque eruditionem, sicut eam inceperat, ita etiam ad finem perduceret. Econtra pædagogi moderni pro singulis fere facultatibus seu disciplinis docendis singulos constituunt præceptores, qui suam tantum rem, v. g. linguam græcam, latinam, historiam, mathesin etc., in diversis classibus diversos scholares edoceant, ita ut habeatur professor linguæ, professor historiæ, professor matheseos, et sic porro. — Quis non videt, ex nostro modo antiquo illam partem eruditionis, quæ est in pueris omnino principalis, educationem scilicet, melius curari salvarique, ubi idem præceptor iisdem scholaribus tam intime et universaliter conjungitur conjunctusque manet, per totam istam vitæ humanæ partem, qua animi juvenum flexibiles efformandi sunt ad bonos mores modo constanti et uniformi. Quod in nostris gymnasiis sæcularibus educatio puerorum sæpissime negligitur et misera jacet, certissime ex hoc docendi modo evenit, quo professor suam tantum rem cum discipulis in schola peragit, qua finita ipsi non est amplius cura de iis. — Et nemo opponat, impossibile esse, ut unus idemque magister omnes res doceat, cum supponi non possit, ipsum tantarum tamque variarum rerum sientiam necessariam habere. Transeat hæc objectio in systemate moderno, quo tot tamque variæ res scholaribus offerendæ sunt. Sed mirum prorsus dici debet, pueros, vix elementaribus imbutos, statim incipere

debere, addiscere tot et tantas res, quarum cognitionem in homine professore ad hoc exculto requirere fas non sit.

3. — Dein ex nostra studiorum ratione non sunt nimiæ horæ scholarum, neque nimii anni eruditionis impendendi; sed tantus solum est numerus horarum et scholarum, ut corpus et anima ferre possint laborem non exaggeratum, sed viribus accommodatum, maneantque sana et fortia. Et hoc utilitatem affert plurimis, acquirendi cursu non nimis producto solidum illud universalis culturæ fundamentum, in quo studium specialis cujusdam scientiæ, ad tenendam in posterum vitæ conditionem honestam et honoratam, firmiter et secure construatur. Sed si studia fundamentalia et generalia in gymnasiis per annos et annos protrahuntur, plurimis tædium generatur et tentatio oritur, deserendi hoc studium præliminare, ut tempus suppetat studiis specialibus. Sed proh dolor, illud inde fit, ut, prærequisitis relictis, homo non possit acquirere solidam et sufficientem illam specialem animi culturam, qua aptus fiat, muneris sui officio bene fungi, ad salutem reipublicæ hominumque sibi commissorum.

4. — Postremo in altioribus disciplinis, theologia nimirum et philosophia, Societas tenax est in retinenda methodo scholastica, quidquid conclament contra eam adversarii, quod sit hæc methodus inanium formularum congeries, ex medio et obscuro ævo adhuc residua. Patet mox, fere omnia, quæ contra scholasticam doctrinam a protestantibus objiciuntur, oriri ex odio et furore contra religionem catholicam, cujus filia dilecta erat semper doctrina scholastica sana, quæ a Societate Jesu semper cum prædilectione fovebatur. — Quod cum facit Societas, longe abest a defendendo defectus et errores passim ei adhærentes. Unde habet C. 21. D. 13.: „qua in re una fuit omnium sententia: theologiam scholasticam omnino retinendam esse, prout illa semper in Societate viguit et viget. Nec tamen ideo intendit Congregatio, agi debere quæstiones inutiles, vel renovari disputationes, quæ animorum consensionem inter catholicos labefactare possent; quales tamen non intelliguntur esse quæstiones de scientia media, aliæ hujusmodi, quæ in scholis nostris disputari consueverunt etc." — Et Pater Roothaan de eadem re optime edicit: „licuerit sane meliori ævo ingenio indulgere et innoxiis licet, minus tamen utilibus, quæstionibus diutius inhærere. At nunc quidem certe necessitati magis serviendum est; idque eo etiam magis, quod ubique ferme jam angustioribus spatiis studiorum curriculum circumscribatur; cui incommodo remedium per nos afferri

optare quidem possumus, sperare vix ac ne vix quidem audemus." Perspicuum est et experientia abunde probatum, eos, qui in studendo utuntur methodo scholastica, habere scientiam magis accuratam et securam; unde evenit, ut in usu eorum, quæ sciunt, sine dubiolis et sine hæsitatione firmi et stabiles ea proferant et applicent, quæ hic et nunc vere utilia et conducentia sunt.

Nota. — Explicavimus jam aliquatenus nostram studiorum rationem, a qua tamen Nostros in pluribus sæpe discrepare non negamus, cum in diversis provinciis diversa etiam juxta rerum conditionem statuenda sint, salvis principiis generalibus, quibus nostræ leges innituntur. Diximus supra, ipsum jam S. Ignatium permisisse, imo ordinasse, pro varietate locorum et temporum varia etiam statuere, modo attingatur finis educandi et erudiendi juvenes ad bonos et christianos mores. Permittitur igitur Superioribus ea ordinare, quæ hic et nunc ad hunc finem conducere intelliguntur. Quod revera nostris temporibus maxime juvat, cum in materia eruditionis tam varia proferantur, bona et mala. Societas ergo longe abest, ut suum modum absolute perfectum et immutabilem habeat; econtra practice concedit, multa adhuc temporaria esse posseque emendari. In C. 22. D. 38. ipsa postulat, ut ex singulis provinciis ea afferantur, quibus rationem studiorum emendari posse sentiant, ut Generalis operi perficiendo manum apponere possit; et in C. 23. D. 16. multa afferuntur ad modum commendandum, quo studia theologica maxime promoveri possint. Ad quæ referens C. 24. D. 24. plura capita præcipua definivit, suoque decreto firmavit. — cf. n. 285. 286. 289. — Pro gymnasiis vero et litteris inferioribus in ipsa ratione studiorum Provincialibus conceditur facultas ordinandi, quæ conducere existiment. — Et hæc dicta sint pro tuenda Societatis parte in hac re gravissima.

PRINCIPIA GENERALIA DE DOCTRINA TENENDA.

339 1. — Novitas et diversitas opinionum in Societate vitanda: et occurrendum est istis uti periculo.

P. 3. c. 1. § 18: „idem sapiamus, idem, quod ejus fieri possit, dicamus omnes juxta Apostolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur." — decl. O: „novæ opiniones admittendæ non sunt; et si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia et ejus doctores communiter sentiunt, debet se subjicere, ut in Examine declaratum est." [c. 3. §. 11.] — C. 5. D. 6. et D. 50. §. 2: „tria ergo volunt Constitutiones: primum ut Nostri non inducant novas opiniones. Secundum, ut, si quando contra communem senserint, sequantur, quod Societas judicaverit. Tertium, ut in controversiis, in quibus neutra opinio est adeo communis, redigantur ad conformitatem, ut sic idem sapiamus et idem dicamus juxta Apostolum." — C. 21. D. 14: „petitum est, ut efficaciter occurratur periculis novitatis, præsertim in rebus, quæ aliquo modo religionem attingunt." — C. 16.

D. 36. §. 3: „si Provinciales aliquos compererint novitatum amatores..., illos a docendi munere amoveant."

2. — Sequitur Societas in quacunque facultate sententiam securiorem et magis approbatam.

Ita P. 4. c. 5. §. 4.— C. 5. D. 56: „tanquam fundamentum proposuerunt, doctrinam Societatis esse debere uniformem, securam et solidam." — Sequantur S. Thomam etc. — C. 22. D. 37.

3. — Si non habeatur sententia communis, Nostri redigantur ad uniformitatem.

P. 8. c. 1. K: „cum iis, qui adhuc litteris operam non dederint, curandum est, ut omnes (ut plurimum) eandem doctrinam, quæ in Societate fuerit electa ut melior et convenientior Nostris, sequantur. Qui autem studiorum cursum jam peregerit, advertat, ne opinionum diversitas conjunctioni caritatis noceat; et quoad ejus fieri poterit, doctrinæ in Societate communiori se accommodet." — Etiam in P. 3. c. 1. O., uti supra.

4. — Ne defendant vel oppugnent, quibus alii offendantur, etsi sententia sit fundata, nisi Ecclesia quid statuerit.

C. 5. D. 41. §. 1. n° 4: „quæ opiniones, cujuscunque auctoris sint, in aliqua provincia aut academia catholicos graviter offendere scientur, eas ibi nemo doceat aut defendet. Ubi enim nec fidei doctrina, nec morum integritas in discrimem adducitur, prudens charitas exigit, ut Nostri se illis accommodent, cum quibus versantur."

5. — Retinenda methodus scholastica, semotis inutilibus.

C. 21. D. 13: „qua in re una fuit omnium sententia, theologiam scholasticam omnino retinendam esse, prout illa semper in Societate viguit et viget. Nec tam ideo intendit Congregatio, agi debere quæstiones inutiles, vel renovari disputationes, quæ animorum consensionem inter catholicos labefactare possent, quales tamen non intelliguntur esse quæstiones de scientia media, et aliæ hujusmodi, quæ in scholis nostris disputari consueverunt."

6. — Sequendus S. Thomas, ut securior, solidior, conformior Instituto; neque admovendi ad cathedram nisi addicti S. Thomæ. 340

P. 4. c. 14. §. 1. — C. 5. D. 41: „et primo loco unanimi omnium consensu statuit, doctrinam S. Thomæ in theologia scholastica tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam et consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse a professoribus nostris." — C. 5. D. 56. n° 1-4: — *a*) Nostri omnino S. Thomam, ut proprium doctorem habeant, eumque in scholastica theologia sequi teneantur. — *b*) non sic tamen S. Thomæ adstricti esse debere intelligantur, ut nulla

prorsus in re ab eo recedere liceat. — *c*) in quæstionibus mere philosophicis, aut etiam in iis, quæ ad Scripturas et Canones pertinent, licebit sequi etiam alios, qui eas facultates magis ex professo tractaverunt. — *d*) præscribendum videtur, ut nullus ad docendum theologiam assumatur qui non sit vere S. Thomæ doctrinæ studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino removeantur. Nam qui ex animo S. Thomæ fuerint addicti, certum erit, eos ab eo non recessuros, nisi gravate admodum et rarissime. — Rat. stud. Reg. Prov. 9. §. 3. — Prof. theol. 2. et 11. — Præf. stud. 4.

341 7. — In iis, quæ S. Thomas non attingit, et quæ disputantur inter theologos, liberi sunt.

C. 5. D. 41. §. 5: „si quando vel ambigua fuerit S. Thomæ sententia, vel in iis quæstionibus, quas S. Thomas forte non attigit, doctores catholici inter se non consenserint, licebit Nostris quamcunque partem sequi, dummodo in iis ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multo magis prioris professoris, si contrariam docuerat, existimationi modeste ac benevole consulatur. Quin etiam si conciliari possunt auctores, id ne negligatur, optandum est."

8. — Etiam in iis, quæ libera sunt, quantum fieri potest, semper retineatur charitas et prudentia, etsi opus non sit, ut omnes doceant et defendant, quæ unus docet et defendit. — P. Beckx 1861.

QUÆDAM IN PARTICULARI DE DOCTRINA SOCIETATIS.

342 1. — De juribus Pontificiis. — Jura Pontificum spiritualia semper tenuit et acerrime defendit Societas. — De potestate super reges: „in virtute obedientiæ commendatur Provincialibus, ne quidquam, quacunque occasione aut lingua, evulgari patiantur a Nostris, in quo de potestate summi Pontificis supra Reges et Principes, aut de Tyrannicidio agatur, nisi prius recognitum Romæ et probatum sit." — Claudius Aquaviva, 2 Aug. 1614. — Mutius, 13 Aug. 1626. — In C. 23. D. 14. agebatur, an abroganda esset hæc ordinatio; relictum est arbitrio P. Generalis.

2. — Gratiæ efficacia defenditur ea, quæ possit repudiari, et quæ ut efficax sit, pendet a nobis et a gratia. — C. 21. D. 13: de scientia media — Claudius Aquaviva, 14 Dec. 1613: „posita scientia conditionalium, et efficaci DEI proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit, atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus,

si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter et ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri (Nostri doceant)." — Expl. v. Schneemann, Contr. de div. gr. p. 2-5 — De prædestinatione utramque sententiam sequi licet in Societati; alteram Molinæ, Lessii, Vasquez, Maldonati, Petavii; alteram Bellarmini, Suaresii, Toleti, cum temperamento scientiæ mediæ.

3. — De tyrannicidio Societas prohibet docere publice et privatim: „præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, sub pæna excommunicationis et inhabilitatis ad quævis officia suspensionis a divinis, et aliis Præpositi Generalis arbitri reservatis, ne quis nostræ Societatis, publice vel privatim, prælegendo seu consulendo, multo etiam minus libros conscribendo, affirmare præsumat, licitum esse cuique personæ, quocunque prætextu tyrannidis, reges aut principes occidere, seu mortem eis machinari. Provinciales autem, qui aliquid eorum resciverint, nec emendaverint, aut non prævenerint incommoda, quæ ex contrario sequi possent, efficiendo, ut hoc decretum sancte observetur, non modo prædictas pænas incurrere, sed etiam officio privari voluit Claudius, 1 Aug. 1614."

4. — De castitate: „in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis et privationis lecturæ, vocis activæ et passivæ, necnon inhabilitatis ad quælibet officia, aliisque pœnis arbitrio Præp. Generalis infligendis, præcipitur, ne quis in Societate publice vel privatim, non modo ut veram et probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem, ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt, in re venerea, exiguam aliquam delectationem deliberate quæsitam propter levitatem materiæ excusari a mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det. Itemque si quis aliquem ex Nostris contra prædicta deliquisse noverit, tenetur in virtute sanctæ obedientiæ aperire." — Cl. 24 April. 1612. — Idem præceptum extenditur ad delectationem veneream deliberate admissam. — C. 9. D. 24.

5. — Circa opiniones laxiores et novas. — C. 11. D. 22: „cum Societas passim male audiat, quasi nimis laxas in moralibus opiniones doceat et in praxi sequatur,..... Congregatio statuit: — *a)* monendos serio professores theologiæ moralis, caute omnino ut doceant, neque quod aliquid probabile reputent, illico sibi licere arbitrentur, illud in publicum scripto verbove protrudere. — *b)* in librorum editione onerandam censorum fidem et conscientiam, severos ut se potius, quam molles

exhibeant. — *c)* in privatis congressibus et responsis diligenter cavendum Nostris, ne aliquid promant, quod vulgari minime vellent; nunquam autem scripto respondeant in rebus præsertim gravioribus, nisi consulto et probante Superiore. — *d)* texendum elenchum sententiarum in morali periculosarum, exquisito provinciarum sensu de sententiis, quæ scandalum aut offensionem aliquam habent adjunctum." — C. 12. D. 28: quamvis contra novitatem laxitatemque opinionum, præsertim in rebus moralibus abunde provisum sit, tamen de novo confirmat decreta priora; et commendat, ut transgressores loco et cathedra moveantur aliisque pœnis afligantur, et Superiores ipsi negligentes in hac re severe puniantur.

C. 13. D. 18: „declarat Congregatio, Societatem nec prohibuisse, nec prohibere, quominus contrariam (probabilismo) sententiam tueri possent, quibus ea magis probaretur." — C. 14. D. 5: declarat Congregatio, quantum Societas universa abhorreat et semper abhorruerit ab omni opinionum tam novitate in omnibus, quam præsertim laxitate in moralibus: quare Præpositus Generalis executioni decretorum invigilet. — C. 21. D. 14: rogatum est, ut efficaciter occurratur periculis novitatis, præsertim in rebus, quæ aliquo modo religionem attingunt. Quare Superiores et præfecti studiorum in re tanti momenti ea, qua debent solertia, pro suo quisque munere invigilent.

6. — De corporum compositione. — P. Beckx, 1 Nov. 1876: „respondendum censeo, generatim eam doctrinam esse sequendam, quam Constitutiones et Congregationum Generalium Decreta præscribunt: nominatim vero ex tribus de corporum constitutione sententiis, quæ in Ordinatione nostra 1 Nov. 1863 ad Provinciales missa recensentur, illam deinceps a nostris lectoribus esse tenendam atque in exercitationibus et disputationibus defendendam, quæ corporis essentiam e duobus principiis substantialibus, materia scilicet et forma, realiter distinctis, compositam esse affirmat. — Ordinatio enim illa, ut ex contextu patet, non in perpetuum, sed ad tempus constituta erat, donec scilicet liquidius constet, quænam sententia secundum Institutum nobis præ reliquis esset amplectenda. Jam igitur eam, quam dixi, eligo, tum quia theologiæ magis utilis atque ideo Nostris convenientior videtur; tum maxime quia ad præcipua capita illius doctrinæ pertinet, quam Sanctissimus Dominus in scholis Societatis tradi desiderat."

7. — De universalitate diluvii. — Litteræ P. Prov. Lohmann, 8 April. 1888: „certiorem hisce litteris facio R^{am} V^{am}, A. R. P. Gene-

ralem epistola die 2 hujus mensis ad me data prohibuisse, quominus sententia, quæ integrum genus humanum præter Noe ejusque familiam diluvio deletum esse negat atque diluvium ad partem duntaxat generis humani sese extendisse tenet, ullo modo a Nostris sive publice sive privatim, sive directe sive indirecte doceatur aut defendatur aut promoveatur. Indirectum docendi, defendendi, promovendi modum se intelligere eum, quo doctrina opposita velut dubia aut multis magnisque difficultatibus obnoxia proponatur. Ejusmodi namque sententiam, etiamsi ab Ecclesia nondum fuerit publice improbata, adeo videri non solum novitatis, sed periculi etiam plenam, ut, de suo deque PP. Assistentium judicio a Societate sit *interim* proscribenda, nisi aperte velimus peccari contra Const. Part. 3, cap. 1. n° 18. decl. litt. O. et Congr. 5. Decr. 50. n° 2. Itaque cavendum nobis esse diligentissime, ne tam peregrinum tamque anceps opinandi genus ullibi serpat ac toleretur, quo Nostri cum Neotericis potius quam cum Ecclesia facile sentiant."

CAPUT OCTAVUM.

De gubernatione Collegiorum.

POSTQUAM actum est de fundatione Collegiorum, de eorum rebus temporalibus, de scholasticis, quarto loco, secundum datam in Declaratione in Prooemium divisionem, in capite decimo Partis quartæ sermo fit de iis, quæ pertinent ad gubernationem Collegiorum, id est, præcipue de personis, ad quas hæc spectat, quarum præcipua, si attendas ad immediatam curam Collegii administrandi, est Rector.

ARTICULUS PRIMUS.

CUI COMPETAT GUBERNARE COLLEGIUM.

1. — Subjectum juridicum, cujus est gubernare et administrare 343
Collegia, est Societas professa. — P. 4. c. 10. §. 1: „supremam curam vel superintendentiam Collegiorum, juxta Sedis Apostolicæ litteras, professa Societas habebit." — Et datur ratio: „cum enim quidquam privatæ utilitatis ex reditibus quærere, vel in suum usum convertere non possit, est valde probabile, quod majori cum puritate ac spiritu constantius ac diuturnius procedet in iis, quæ ad bonum regimen Collegiorum, ad majus DEI ac Domini nostri obsequium provideri convenit." — Et jam in bulla Pauli III. „Regimini": „possint habere

Collegia... retenta penes Præpositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta Collegia et prædictos studentes quoad gubernatoris, seu gubernatorum ac studentium electionem, ac eorundem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, etc."

2. — Loco Societatis professæ ipse Pater Generalis potestate hac executiva fruitur, cum propter universalem rerum omnium cognitionem, quam habet, aptissimus sit. — §. 2: „hujus superintendentiæ exsecutio penes Præpositum Generalem erit, qui finem illum, ad quem Collegia et Societas tota contendit, præ oculis habens melius, quid eisdem conveniat, intelliget." — §. 3: „per se ergo vel per alium, cui suam facultatem communicaverit in hac parte, Præpositus Generalis Rectorem, ut præsit cuicunque Collegio, aliquem ex Coadjutoribus Societatis constituet;.... et penes eundem erit Præpositum, Rectorem amovere, talique cura, prout ei convenientius in Domino videbitur, liberare." — cf. n° 769.

3. — Quamvis ordinarie Rector nominandus sit unus ex Coadjutoribus spiritualibus, nihil tamen obstat, si melius id convenire videbitur, Professum constituere Rectorem. — decl. A: „hoc non prohibet, quin Professus aliquis ad visitandas vel reformandas alicujus Collegii res missus, manere in eo posset, vel omnibus aliis ad tempus præesse, vel aliter, ut magis convenire ad Collegii vel ad universale bonum videretur." — Imo in Collegiis, ubi nostri scholastici theologiæ studio vacant, convenit, ut Rector sit ipse Professus quatuor votorum.

4. — Rector immediate subditus est Provinciali, — §. 3: „Rector Præposito Provinciali, vel cui Generalis præscripserit, rationem sibi assignati muneris reddet." — Reg. Prov. 22: „si tamen necesse esset aliquando, mutationem facere Superioris alicujus, et periculum esset in mora, vel si is moreretur, poterit aliquem, qui vices Superioris gerat, interim constituere, donec Generalis admonitus provideat."

ARTICULUS SECUNDUS.

QUALIS ESSE DEBEAT RECTOR.

344 1. — Boni exempli luce præluceat coram omnibus. — P. 4. c. 10 §. 4: „magni sit exempli, magnæ ædificationis." — Recte quidem, nam „regis ad exemplum totus componitur orbis." — Unde etiam dicitur in genere in §. 8: „illud in universum admonuisse convenit, eos, qui curam aliorum suæ obedientiæ subditorum habent, præire eisdem exemplo obedientiæ oportere." — Ubi non solum intelligitur

obedientiæ erga personas sibi superiores, sed latiore etiam sensu obedientiæ in servandis regulis, consuetudinibus, ordine diurno, et similibus; in quibus si Superior ipse constans et fidelis est, mirum in modum promovet in omnibus disciplinæ domesticæ observationem totiusque vitæ regularis vigorem.

2. — Rector sit homo plene spiritualis: „in spiritualibus exercitatus." — Et vir multæ et perseverantis orationis. — Reg. Rect. 1: „primam officii sui curam in eo positam esse intelligat, ut oratione et sanctis desideriis totum Collegium velut humeris suis sustineat."

3. — Mortificatus, in primis in propria voluntate. — §. 4: „Magnæ etiam mortificationis in omnibus pravis inclinationibus, et in obedientia præcipue ac humilitate probatus." — Et hoc eo magis, quia in ipsa sui officii conditione continua fere occasio præbetur, sequendi sua propria sensa propriamque suam voluntatem.

4. — Nihilominus prudens et discretus, „qui donum etiam discretionis habet, ad gubernandum idoneus, in rebus agendis versatus;" ita ut „severitatem suo tempore cum benignitate miscere noverit." — In litteris eruditus." — Nihil magis requiritur in Superiore, quam ista prudentia et discretio, non mere naturalis, sed ex dono Spiritus sancti, quo movente et dirigente agat impulsus gratia et charitate divina.

5. — Fruatur fiducia apud Superiores. — „Et demum ejusmodi, cui confidere, cuique suam potestatem tuto communicare Præpositi Superiores possint, quandoquidem quo hæc potestas major est, eo melius regi Collegia ad majorem Dei gloriam poterunt." — Si ita est, Rector ipse etiam apud subditos fiducia fruitur; et vix dici potest, quantopere juventur domestici omnes in temporalibus et spiritualibus, si immediatus Superior is sit, ad quem cum fiducia et effusione cordis soleant recurrere, uti ad eum qui Dei voluntatem ipsis manifestet.

ARTICULUS TERTIUS.

AD QUID TENEATUR RECTOR.

1. — Sit imprimis conjunctus Deo, ut omnia ipsius supernaturali 345
fundamento nitantur. — §. 5: „Rectoris officium est, in primis oratione et sanctis desideriis totum Collegium veluti humeris suis sustinere."

2. — Erga Superiores obediens et fidelis. — „Memor sit etiam subordinationis integre observandæ in obedientia, non solum ad Generalem, sed ad Provincialem quoque, certiorem eum, de quibus oportet.

reddendo; ad eumque referendo, quæ majoris erunt momenti: et quæ ab ipso injuncta fuerint, quandoquidem ipsum Superiorem habet, exsequendo." — „Nemo secure præest, nisi qui libenter subest."

3. — Non proprio sensu, sed juxta Constitutiones Collegium regat, curetque eas bene observari. — „Curare, ut Constitutiones observentur, omnibus collegialibus cum omni sollicitudine invigilare." — P. 6. c. 5. §. 1: „exoptat Societas, universas suas Constitutiones, Declarationes ac vivendi ordinem, omnino juxta nostrum Institutum, nihil ulla in re declinando, observari." — Cui non obstat, ut etiam in iis dispenset; P. 4. c. 10. decl. B: „sicut curare, ut observentur omnino Constitutiones, ita et in eisdem dispensare (quando eam fuisse mentem illius, qui eas condidit, in re aliqua particulari judicaret, juxta eventus rerum et necessitates, majus commune bonum intuendo) ad Rectorem, accepta a suis Majoribus potestate pertinebit."

4. — Prudens sit in nominandis officialibus. — §. 5: „eos, qui officia gerant domestica, prudentur constituendo,... et prout in Domino convenire judicabit, vel eisdem ministeriis detinendo, vel ab iisdem removendo." — Est prudentis Superioris, nolle per se ipsum omnia ordinare, sed idoneis uti instrumentis ad perficiendas res particulares.

5. — Omnibus in omnibus prospiciat cum paterna solertia — „Ut in virtutibus et litteris proficiant, curando; sanitatem eorum, et bona etiam Collegii tam stabilia, quam mobilia conservando."

6. — Etiam cum externis rem bene agat. — decl. C: „ad ea, quæ dicta sunt, reducitur cura conveniens amicos conservandi et ex adversariis benevolos reddendi." — Unde in P. 10. B: „ut per hujusmodi hominum benevolentiam magis in rebus omnibus Dei obsequium et gloria crescat."

ARTICULUS QUARTUS.

RECTORIS CURA DE OFFICIALIBUS.

346 1. — In §. 6: „ad bonam domus gubernationem non solum numerum necessarium officialium Rector provideat, sed ut idonei sint, quoad ejus fieri poterit, ad suas functiones curet." — decl. E: „idonei sunt intelligendi habita ratione tum sufficientiæ personarum tum occupationum. Quæ enim officia multum occupationis secum ferunt, valde occupatis in aliis rebus minime convenirent; et quia quibusdam experientia, ut bene fiant, necessaria est, non facile mutari deberent." — Quod etiam de professoribus valet.

2. — Curet, ut in omnibus officialibus vigeat spiritus obedientiæ. — §. 8: „curet Rector, ut in suo officio cuique integram obedientiam collegiales præstent; et alii officiales Ministro, et sibi etiam ipsi, prout idem præscripserit." — Suo exemplo adjuvet alios in hac re.

3. — In §. 6: „cuique suas regulas, ubi, quæ ad singulorum officia pertinent, contineantur, tradat; et ne se hic in illius officium ingerat, videat." — decl. F: „ex regulis cuique videndæ essent singulis hebdomadis illæ, quæ ad ipsum pertinent."

4. — Potest esse, ut in parvis potissimum Collegiis plura munera ab uno eodemque gerantur. — decl. G: „si tanta non esset copia hominum, unus plura officia sustinere posset. Sic Minister et Superintendens dictus curam habere possent eorum, quæ ad Rectorem vel novitios pertinent etc"

Nota, — »Rector ipse legere aut docere christianam doctrinam quadraginta 347
dies debet.« — §. 10. — Et decl. K: »si convenire non videbitur ad ædificationem, vel ob aliquam aliam causam sufficientem, ut Rector ipse legat, re cum Provinciali communicata, si ejusdem ille sententiæ fuerit, per alium id munus obire poterit.« — Hæc obligatio semel tantum obtinet: reg. Rect. 3: »postquam officium Rectoris prima vice inierit.«

Quinta Pars Constitutionum.

De admissione in corpus Societatis.

Agendum erit in hac Parte de quatuor: — *a)* quid sit admissio, et quis admittere debeat. — *b)* quales esse debeant, qui admittendi sunt. — *c)* de modo admittendi ad diversos gradus. — *d)* qui sint effectus votorum secundum diversitatem classium in Societate.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit admissio; quis admittens.

UT recte intelligatur, quid sit admissio in corpus Societatis, praemittenda sunt quaedam de definitione Societatis JESU et de diversis ejus classibus.

ARTICULUS PRIMUS.

QUI SINT DE SOCIETATE JESU.

348 Habetur in Ex. c. 1. §. 7. sqq.: „personarum autem, quæ admittuntur in hanc Societatem generaliter sumptam, quatuor sunt classes, si finem, quem ipsa spectat, intueamur, tametsi omnes, qui ingrediuntur, quod ad ipsos attinet quartæ classis esse debent." — Dein nominantur: professi, coadjutores, scholastici, indifferentes. De his ultimis dicitur in §. 11: „illi autem indifferentes ingredientur ad quemvis ex dictis gradibus, qui Superiori videatur; et ex parte sua omnes, ut dictum est, eadem animi dispositione ingredi oportet." — P. 5. c. 1. A: „Societas, ut ejus nomen latissime accipitur, omnes eos, qui sub obedientia Præpositi Generalis vivunt, etiam novitios, et quicunque, cum propositum vivendi et moriendi in Societate habeant, in probationibus versantur, ut in eam ad aliquem ex aliis gradibus... admittantur, complectitur."

Hæc est latissima acceptio Societatis. Sed in eadem decl. A Societas arctius circumscribitur secundum diversas ejus classes, exclusis novitiis:

a) comprehendit omnes, qui vota emiserunt et proin vere religiosi sunt; itaque etiam scholasticos et fratres laicos emissis primis votis.

b) omnes, qui ultima vota ediderunt, Coadjutores formatos et Professos.

c) „acceptione maxime propria Professos duntaxat continet, non quod Societatis corpus alia membra non habeat, sed quod hi sint in Societate præcipui, et ex quibus aliqui, ut inferius dicetur, suffragium activum et passivum habent in electione Præpositi Generalis."

Quod si ipsa ministeria spectemus, quæ exercet Societas, tres classes exstant: scholares, operarii, coadjutores. De classe enim indifferentium jam habet C. 4. D. 52: „definitum est, ut gradus indifferentium, de quibus Ex. c. 8. dicitur, non duret post biennium, sed eo exacto determinentur ad aliquem aliorum, nempe vel Scholastici, vel Coadjutoris temporalis, prout Superior illos aptos esse et expedire communi bono judicaverit." — Ergo desierunt esse propria classis.

Admissio igitur in corpus Societatis JESU, prout accipitur in hac Parte quinta, est admissio ad aliquam ex dictis tribus classibus: Professorum, Coadjutorum, Scholasticorum; non vero admissio ad novitiatum, de qua jam in prima Parte.

Nota. — Omnes tamen, qui sunt de Societate JESU, etiam sensu latissimo, quo novitii comprehenduntur, participes fieri possunt privilegiorum; decl. A [supr.]: »quocunque ex his quatuor modis aliquis in Societate sit, capax est communicationis gratiarum spiritualium, quas in ea Præpositus Generalis secundum concessionem Sedis Apostolicæ ad majorem DEI gloriam potest concedere.«

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EO, QUI FACULTATEM ADMITTENDI HABET.

Facultas admittendi in corpus Societatis modo dicto, i. e. potestas statuendi, ut quis vota emittat, et in ultimis votis etiam designandi, qui ea vota admittat nomine Societatis, diversa est, major vel minor, pro diversitate muneris, quo quis fungitur vel altioris vel inferioris.

1. — Potestatem admittendi sensu plenissimo habet Generalis, quod 349
jam est in primis Bullis. — Paulus III. „Regimini": „cujus proprii cujusque gradus judicium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Præpositi, seu Prælati per Nos eligendi, ut congruus ordo servetur, in omni bene instituta communitate necessarius."

Julius III. „Exposcit debitum": „ideoque ne quis forte zelo utatur, sed non secundum scientiam, proprii cujusque gradus judicium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Præpositi Generalis,

seu Prælati per Nos quocunque tempore eligendi, vel eorum, quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit."

P. 5. c. 1. §. 2: „prima quidem facultas admittendi in corpus Societatis eos, qui admittendi erunt, penes ejus caput erit, ut ratio postulat.' — Etiam c. 2. §§. 1., 4. et 5.

P. 9. c. 3. §. 1: „primum Præpositus Generalis per se et per alios admittere in domibus vel Collegiis, vel ubicunque libeat, poterit eos, qui ad Institutum Societatis ei idonei videbuntur, sive ad probationem, sive ad professionem, sive in Coadjutores formatos vel Scholasticos approbatos admittendos censeat."

350 *a.* — Quod hæc potestas sit penes unum hominem, et non v. g. penes Capitulum, sicut est in aliis multis ordinibus, intelligitur ex forma regiminis in Societate, quæ est, uti dicit Gregorius XIV. „Ecclesiæ catholicæ," monarchica; et est in bonum religionis, nam:

α. — non est timendum, ut Generalis abutatur tam ampla facultate; supponitur enim esse maxima prudentia in eo, quem Societas ipsa dignum habuerit, qui fruatur in Societate amplissima potestate.

β. — dein, Generalis disponit de admittendis non arbitrarie et quasi fortuito, sed collatis demum informationibus hominum quam maxime peritorum; et adhibitis in consilium Assistentibus, viris religiosis et experientia probatis.

γ. — in nostro modo admissionis eo ipso procul sunt omnes istæ miseriæ, quæ ex fragilitate et passione humana ibi facile oriuntur, ubi ex multorum suffragiis pendet res, i. e. ubi per Capitulum decisio fit.

351 *b.* — Potestas, quæ est penes Generalem in hac re, habet duas partes: designare, ut aliquis possit promoveri ad gradum, v. g. ad professionem; alteram, admittere sive excipere ipsam professionem nomine Societatis. Prima pars est in Generali privative, quam non communicat aliis; proin intelligitur altera pars, i. e. excipiendi vota, si dicitur collata esse a Generali. — P. 5. c. 1. §. 2: „sed quia Præpositus Generalis tam variis locis interesse non potest, aliis de Societate eam partem hujus facultatis, quæ ad totius corporis hujus bonum facere videbitur, poterit communicare." — Quod explicatur in decl. B: „alii, quibus ordinarie magis et absolute communicabitur, Præpositi Provinciales erunt. Quisbusdam tamen Præpositis localibus vel Rectoribus et aliis visitatoribus aut personis insignibus, poterit Præpositus Generalis hanc auctoritatem communicare; imo et alicui, qui de Societate non esset,

aliquo in casu, ut Episcopo alicui, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, cum nullus ex Professis ejusdem Societatis eo in loco, ubi aliquis ita est admittendus, inveniretur."

c. Nihilominus etiam plena potestas admittendi, inclusa ejus prima parte, a Generali communicari poterit homini de Societate. — c. 2. A: „quamvis in remotissimis regionibus, cujusmodi sunt India, possit Præpositus Gen. judicio Provincialis relinquere, non exspectata hinc approbatione, quæ non nisi per multos annos eo perveniret: num aliquis ad professionem admitti debeat necne. In locis tamen, ex quibus major potest haberi communicatio, non facile ulli Provinciali facultatem admittendi ad professionem committet, nisi prius ipse certior factus ad eos, qui ei videbuntur in Domino, ad professionem admittendos particulariter consensum præstiterit." — Notum est, sanctum Franciscum Xaverium, Indiarum Apostolum habuisse a Generali plenam admittendi potestatem; attamen nunc, quando est tam facilis communicatio per omnes terræ partes, hæc non amplius alteri committitur.

2. — Secundus, qui habet potestatem admittendi ad quæcunque 352
vota, est Provincialis, sensu tamen diverso quoad singula vota.

a. — Ad prima vota admittendi fruitur facultate absoluta et ordinaria, vi muneris. — Reg. Prov. 65: „potest admittere post biennium ad vota simplicia Scholasticorum approbatorum et Coadjutorum non formatorum, quos in Domino idoneos judicaverit, juxta regulas et Constitutiones."

b. — Pro ultimis votis emittendis Provincialis tantum proponit 353
Generali; et quum hic designaverit admittendos, Provincialis non solum potest eo ipso excipere eorum vota, sed etiam delegare quemcunque vult ex Societate. — Reg. Prov. 70: „antequam admittat eos, qui cum Generalis facultate professionem vel vota Coadjutorum formatorum emissuri sunt, ea servari curet, quæ ab ipsis erunt facienda." — Resp. Peruan. 1607: „nullum potest promovere Provincialis sine litteris Generalis, tametsi id ei significatum sit per Assistentem vel Secretarium." — Et additur Resp. Philipp. 1603 ad 22: „et etiamsi informationes sint optimæ."

Dein Resp. Austr. 1640: „ex commissione Provincialis quicunque 354
de Societate excipere potest professionem." — et Rhen.: „licet adsit aliquis Professus."

c. — Provincialis non potest delegare ad excipienda vota aliquem, 355
qui non est de Societate.

In Consult. cum A. A. 1650: „professio emissa in manibus Prælati

in Lusitania in loco, ubi nullus de Societate erat professus, judicata est invalida et a Patre Nostro Generali et A. A., quia facta est sine auctoritate Generalis in manibus Prælati; nec putavit R. P. Generalis, se retro trahere repetitam ad diem, quo emisit in manibus Prælati." — Ergo eo magis esset invalida in casu, quo ipse vel alius professus adesset in loco. — C. 8. D. 34: „an sit valida professio emissa in manibus alicujus Prælati, cui honoris causa Provincialis id detulit, cum ipse præsens esset vel præsentes alios professos haberet. Judicavit Congregatio, nullius esse valoris ob defectum potestatis in admittente, quia facultas Provincialibus delegata, ex Generalium intentione non semel eorundem responsis expressa, non extenditur ad hunc casum."

356 *d.* — Qui a Provinciali delegatus est ad excipiendam professionem, si prohibitus est, potest alium sibi substituere. Mediol. 1650 ad postul. 6: „Subdelegatus a Provinciali ad excipiendam professionem, si fuerit impeditus, potest committere vices suas alteri de Societate, quia ita declararunt Generales mentem suam esse." — Tolos. 1652,

357 3. — Superior localis eo sensu habet facultatem admittendi ad vota, ut possit, si est delegatus a Provinciali ad excipienda vota, quemcunque vult de Societate sibi substituere. — Resp. 1624: „Rector jussus excipere professionem alicujus, potest alium substituere, si impediatur valetudine." — 1641: „non est dubitandum de validitate professionis exceptæ ab eo ex Nostris, quem Superior suo loco constituit." — P. Roothaan ad P. Staudinger Prov. 17 Aprilis 1830: „scit Rª Vª ex Responsis Generalium, se tam in loco, ubi residet, quam extra illum, designare posse, qui sive professionem sive vota publica (Coadjutorum) excipiant, nec requiri ad valorem, ut qui ita designatur, sit ipse jam in gradu constitutus; sufficit, quod sit ex Nostris Sic Superiores quoque locales designati ad professionem suscipiendam, si legitimi essent impediti, alium ex Nostris sibi substituere possunt."

CAPUT SECUNDUM.

Quales esse debeant, qui admittendi sunt.

INTELLIGIMUS hic non solum qualitates personales in admittendis, sed etiam alias conditiones praerequisitas in iis, ut vota valide vel licite emittantur. Haec autem sunt vel quaedem generalia, quae in omnibus votis emittendis supponi debent; vel quaedam particularia, diversa in diversis votis.

ARTICULUS PRIMUS.

REQUISITA GENERALIA.

1. — Omnes, qui emittunt vota in Societate, requiruntur esse apti 358
ad eam classem, cui per vota incorporantur, saltem eo sensu jam in votis primis, ut de iis bene sperari possit.

De primis votis emittendis est in P. 4 Procem. A: „juvenes, qui bonorum morum et ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul ac doctos viros ad colendam CHRISTI Domini nostri vineam essent evasuri." — Et alibi: P. 10. §. 7. — Instr. 6. §. 1. — Reg Prov. 34. — Et de ultimis votis habetur in Ex. c. 7. §. 1: „libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem nec in Coadjutores formatos, si studiorum tempore male se gererent, adeo ut Superior Societatis existimaret, DEO gratum non fore, si in eam admitterentur." — §. 2: „si quando studiorum tempore ostenderent ac certum judicium præberent, unde Societas vel ejus Superior in Domino sentiat, eos idoneos non esse, ut in litteris proficiant, eo quod ingenio vel sanitate corporis destituantur, vel aliis defectibus laborent, interrogentur, an patienter se dimitti a Societate, dum ab omni voto ac promissione liberi maneant, sint laturi." — Claudius 13 Febr. 1588.

2. — Ut quis aptus et dignus habeatur ad vota emittenda, necesse est, eum in ipsa Societate esse diligenter probatum.

Paulus III. „Regimini": „quam [vitam] cum multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum judicavimus etiam statuere, ne quis in hac Societate recipiatur, nisi diu ac diligentissime fuerit probatus; cumque prudens in CHRISTO, et vel doctrinæ seu vitæ christianæ puritate apparuerit conspicuus; tunc demum admittatur ad JESU CHRISTI militiam." — Julius III. „Exposcit": „opportunum judicavimus etiam statuere, ne quis ad professionem in hac Societate emittendam, nisi diuturnis et diligentissimis probationibus .... ejus vita et doctrina explorata fuerit, recipiatur; quia revera hoc Institutum omnino humiles et prudentes in CHRISTO, et in christianæ vitæ puritate ac litteris conspicuos exigit. Imo et ii, qui in Coadjutores tam in spiritualibus quam in corporalibus, et in scholares admittentur .... non nisi diligenter examinati et idonei reperti ad eundem finem Societatis, admittantur ad hanc JESU CHRISTI militiam." — P. 5. c. 2. §. 1: „illi ad professionem idonei habebuntur, quorum vita diuturnis ac diligentibus probationibus a Præposito Generali .... perspecta valde et approbata fuerit." — Et passim alibi.

3. — Imo de hac aptitudine et dignitate personarum immediate ante vota emittenda, ex informationibus de ipsis sumptis, constare debet.

P. 5. c. 2. §. 1: „non admittantur, nisi quorum vita... a Præposito Generali, ad quem referent particulares Præpositi, vel alii, quorum testimonium Generalis requiret, perspecta valde et approbata fuerit." — Ord. c. 18. agit per totum de „promovendis ad gradus;" et continet in parte 5. paradigmata informationum a quatuor Patribus acceptandarum. — Etiam C. 7. D. 99. — C. 8. D. 45. — C. 9. D. 37. agit de formulis informationum, et committit Generali, an quid in iis mutari debeat: non facile a veteri formula modoque recedendum; rem tamen universam Patris Nostri judicio committendam — hoc similiter voluit Patri Nostro commendatum — numerus quatuor Informatorum tam ad gradum, quam ad gubernandum retineatur.

Nota. — Informationes peti non debent a Confessario domestico Nostrorum, (1612, — 1125,) nec ab iis qui Sacerdotes non sunt, nec a Consultoribus provinciæ (1599). Erga Socios qui in aliena provincia degunt, informationes ab utriusque provinciæ Consultoribus exquirendæ sunt. — 1833; (i. e. in. consultatione provinciæ informationes a quatuor Patribus factæ, tacitis his nominibus, cum Provinciali discutiuntur et sic ad Generalem mittuntur). — Hujus modi graduandi proponendi sunt a Provinciali provinciæ in qua versantur, proprio eorum Provinciali præmonito. (1862). Si pluribus Consultoribus ignotus sit is de cujus promotione agitur, alii Patres graves qui eum norunt, suffici possunt. (1833) Consultoribus a Provinciali communicanda quidem sunt ea, quæ ad ipsorum judicium formandum sunt necessaria, sed nihil agendum, quo in hanc potius quam in illam inclinentur sententiam. (1836).

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PRÆREQUISITIS AD PROFESSIONEM.

359 1. — Ex jure communi de tempore professionis in religione faciendæ statuitur in Trid. sess. 25. de regul. c. 16: „finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant. Per hæc tamen S. Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin religio clericorum Societatis JESU, juxta pium eorum Institutum a Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino et ejus Ecclesiæ inservire possint." — Et sicut non tenemur in Societate hac juris communis Constitutione, sic neque ea, quæ emanavit a Pio IX., scilicet ne quis ad professionem solemnem admittatur, nisi post triennium a votis simplicibus finito novitiatu emissis. De hac re fusius postea. — Neque in Bullis neque in Constitutionibus

quidquam est de tempore faciendæ professioni præfixo; econtra Gregorius XIV. „Eccl. cath.": „et diuturnis probationibus perspecti", quæ igitur vel longiores vel breviores in diversis personis esse possunt. — Ex. c. 1. §. 12: „unum adhuc annum post absoluta sua studia exspectabunt; quod tempus, cum Superiori visum fuerit, poterit prorogari." — c. 4. §§. 16. — 41. — Ponamus igitur ea, quæ de tempore professionis faciendæ in jure nostro statuta sunt.

a. — Non est tempus certum præfixum, nec præfigi potest. — C. 5. D. 37: „cum multa in eam rem a Patribus præclare dicta fuissent, tandem Congregatio summa animorum et sententiarum consensione in primis declaravit, nullum in Constitutionibus certum tempus iis gradibus conferendiis præfixum esse, aut etiam illis integris præfigi posse; cum ex illis nihil aliud habeatur, quam præscribi ea, quæ promotionem ad illos gradus præcedere oporteat; terminum vero ad illos promovendi nullum alium esse, quam sufficientiam promovendorum pro qualitate cujusque gradus in christianæ vitæ puritate ac selecta doctrina satis cognitam, et diuturnis ac diligentissimis probationibus exploratam, cum omnium ædificatione et satisfactione; ac denique, non nisi cum Societati vel ejus Præposito Generali, in cujus manu proprii cujusque gradus judicium nostri forma Instituti et Apostolicæ Constitutiones esse voluerunt, fuerit ab eis plene in Domino satisfactum. Deinde eadem Congregatio, inhærens C. 4. D. 9., quod ratum habet ac de novo confirmat, statuit, nullum certum tempus prædictis gradibus conferendis præfiniendum esse, aut quidquam in Constitutionibus in hac parte innovandum, cum et nostri Instituti substantialibus hoc plane repugnet, et gravissima ad illud labefactandum incommoda ex ejusmodi determinatione necessario secutura essent." — P. 5. c. 1. §. 3. C. — P. 10. §. 7.

b. — Quoad vitæ ætatem olim hæc erant, in P. 1. c. 3. K: „quod 360
ad ætatem attinet, viginti quinque annis minorem, ut ad professionem admittatur, si in quibusdam peculiaribus de causis antevertendum esse id tempus ad finem majoris divini servitii nobis præfixum videretur, penes Præpositum Generalem facultas erit prudenter ac circumspecte dispensandi: et idem, cum provectior ætas fuerit, considerabit, an expediat necne, ad universale bonum hujusmodi defectum tolerari." — Secundum hæc professio facta ante completum vitæ annum vigesimum quintum invalida est, nisi præcedat Generalis dispensatio.

A tempore non multo post generaliter observabatur, ne professio fiat ante completum vitæ annum trigesimum tertium. — C. 8. D. 17: „decrevit, eam praxim [non admittendi Nostros ad professionem, priusquam annum trigesimum tertium expleverint] deinceps retinen-

dam esse; ita tamen, ut ea ætas non sit conditio necessaria, ad valorem professionis.... Et placuit majori parti, ejusmodi decreto solum approbari eam consuetudinem, circa novam obligationem; et Patri Nostro commendari." — Et D. 33: „rogata Congregatio, ut declararet, quid sentiendum sit de valore professionis alicujus, qui, cum sibi conscius esset se non implevisse trigesimum tertium annum ætatis, id vel non interrogatus ultro non aperuit, vel interrogatus dissimulavit: censuit, professionem quidem in utroque eventu fuisse ac fore validam, ejusmodi tamen defectus non debere a Patre Nostro impunitos dimitti." — Talis revera non commendaretur ex sinceritate et simplicitate mentis.

361 *c.* — Quoad annos vitæ religiosæ hæc habentur. — C. 9. D. 42: „visum est, servandam a Provincialibus esse hanc regulam: ut eos, qui studia omnia ante ingressum in Societatem absolverunt, ad professionem quatuor votorum neque ante decimum annum currentem proponant, neque ulterius etiam eos differant; eos autem, qui studia omnia in Societate perfecerunt, neque ante decimum septimum annum currentem proponant, neque ulterius item eos proponere differant; reliquos denique, qui studia philosophiæ aut theologiæ partim ante ingressum in Societatem, partim in ipsa Societate decurrerint, intra duos prædictos terminos citius aut tardius proponant, pro ratione annorum integrorum, quibus ante ingressum illis studiis operam dederint."

C. 13. D. 9.: „cum dubitatum esset, quo anno ad professionem quatuor votorum proponendi essent, qui ante ingressum Societatis solo biennio philosophiæ studuissent cum satisfactione, in ipsa vero Societate quadriennium theologiæ impendissent; item quo anno, qui ante ingressum Societatis philosophiæ ac theologiæ studia cum satisfactione absolvissent, sed minori tempore, quam septennii: censuit Congregatio, priores quidem non nisi anno 15. currente proponendos esse, et eatenus presse inhærendum esse Decreto 42. Congregationis nonæ. At vero posteriores, non nisi anno 11. aut 12. currente pro ratione annorum, qui triennio philosophiæ, aut quadriennio theologiæ defuissent; neque enim alioqui satis salvari æqualitatem inter Nostros ad professionem quatuor votorum proponendos, quam C. 9. D. 42. præfata est se cupere inductam; etsi alioqui annum designaverit decimum currentem, quo ut plurimum contingit eos proponi debere."

C. 16. D. 20; si aliquis ante ingressum in Societatem philosophiæ aut theologiæ studuit, et iterum eadem studia in Societate conficiat, respondit Congregatio, annos ante ingressum studiis illis impensos tali casu computandos non esse.

Cum sit res sat magni momenti, ut clarior fiat addamus nonnulla, quæ nostris temporibus a Generalibus de ea re scripta exstant.

R. P. Roothaan ad P. Staudinger Provincialem, 17 Aprilis 1830: „videtur quidem his temporibus mos invaluisse, ut pro iis, qui in Societate studuerunt, tot anni ad decennium adjicerentur, quot in Societate philosophiæ et theologiæ impenderunt. Sed hoc non omnino conforme est Instituto, juxta quod: — 1° tempus commune est 17 annorum pro iis, qui omnia studia in Societate faciunt: 2° pro iis, qui studia partim aut integre persolverunt ante ingressum, tot ex totali 17 annorum spatio deducendi sunt anni, quot extra Societatem philosophiæ aut theologiæ impenderunt, salvo semper decennio, quod est terminus minimus, in omnibus requisitus, etiam in iis, qui omnia studia ante ingressum completissime perfecissent; — 3° quid dicendum sit de spatiis uno anno minoribus ante ingressum in studiis positis, cum nihil definierit Institutum, nec ego definiam; sed hoc habeto: in iis non rabbinice procedendum; — 4° studium rhetoricæ in Societate non computatur in ordine ad tempus gradum suscipiendi. — Quæ hucusque dicta sunt, intelliguntur pro iis, qui proponuntur ad professionem 4 votorum; nam pro Coadjutoribus spiritualibus et Professis 3 votorum tempus proponendi est post decennium religionis, seu exeunte decennio. — Cum etiam casus, etsi raro, accidere possit, ut quis ingenio pollens privatim studiorum suorum partem in Societate absolvat, simul magistrum agens aut alio fungens ministerio cum ordinata scholarum frequentatione incompossibili, æquitas aliquando visa est postulare, ut anni ita impensi in Societatis bonum a communi septennii studiorum spatio deducerentur. — Atque ex iis facile erit, plerasque quæ occurrunt, quæstiones solvere."

R. P. Beckx 7 Febr. 1881 ad P. Hœvel Provincialem Germaniæ: „pro iis, qui in Societate repetunt per tres annos tempus studiorum ante ingressum, etiamsi sit quinquennium vel sexennium, computari tantum debet pro quatuor annis, qui ex studiis in Societate peragendis remissi sunt."

R. P. Anderledy 27 Aprilis 1886: „item annus undecimus, duodecimus etc. pro iis, qui antequam Societatem adirent, vel sexennio quinquennio etc. philosophiæ ac theologiæ studuissent; vel hæc studia septennio ante absoluto, uno deinde pluribusve annis in Societate recoluissent."

d. — Potest fieri, ut Generalis professionem differat, vel ab ea facienda omnino dispenset. 362

Cap. Œtting. n° 173: „ex causa rationabili atque ad DEI gloriam

pertinente peti aliquando dilationem gradus, vitio non est dandum. Sic P. Claudius rescripsit: „quod petit P. N. N., differri promotionem suam usque ad obitum parentum aut certe patris, ut possit de bonis arbitrio suo disponere, visa est non aliena causa, cur ei concedatur." — Et P. Mutius ob eandem causam dispensavit cum P. Ernicio Pirhing." — Ibidem N° 174: „ceterum cum C. 7. D. 32. non adimat Patri Generali potestatem dispensandi, ut aliquis toto vitæ tempore sine gradu maneat, quam quidem potestatem clare in eo agnoscat, cum negavit, consultum esse, ut is cum talibus facile dispenset, patet inde, posse aliquem, auctoritate Præpositi Generalis, in totum absolvi ab obligatione votorum ultimorum edendorum." — Quo casu, num ad votorum renovationem talis evocandus sit quæri posset; et ratio dubitandi est, quia talis maneat scholasticus, consequenter scholasticorum oneribus subjectus. Ex altera parte inanis foret et nugatoria renovatio voti quarti, cujus obligatione esset exsolutus, nec novam sibi vellet imponere. — Respondeo, ob causam modo indicatam dispensari cum talibus etiam in obligatione renovandi vota. Cujusmodi dispensationem habemus factam a P. Claudio, missam in provinciam Flandriæ 1590: „dispensamus cum P. Paulo Schadæo, ut maneat in gradu scholasticorum, non renovando vota." Talem dispensationem vidimus etiam in P. Melchiore Wirlbach. Et talis dispensatio est usitata in iis casibus, quibus impossibilis vel irrationabilis fit collatio gradus. In quam sententiam exponit P. Mutius anno 1619: si quis videatur esse in periculo maniæ, consultum est, eum relinquere sine gradu, et liberare ab obligatione publice renovandi.

Nota — De tempore professionis faciendæ non consentiebant semper in Societate: aliis videbatur tempus præscriptum nimis protractum, C. 4. D. 9; aliis vero nimis breve, C. 7. D. 32. — Firmiter tamen Congregationes tuebantur, quæ de professione in Constitutionibus habentur; nec concessit Societas antiquioribus, qui requisita nondum explevissent, exspectari a junioribus, qui ea jam habebant. — C. 12. D. 11. — C. 13. D. 9. — C. 14. D. 19. — C. 16. D. 20. — C. 17. D. 10.

363 2. — Requiritur ad professionem sacerdotium susceptum. — Gregorius XIII. „Ascendente": „qui enim ad professionem quatuor votorum admittendi sunt, eos... omnino humiles ac prudentes in CHRISTO, et in vitæ puritate ac litteris conspicuos, diuturnisque ac diligentissimis experimentis probatos, atque sacerdotes et in ministeriis hujusmodi prius diu multumque versatos vocatio hæc requirit, utpote quos ardua maneant ministeria" — Ex. c. 1. §. 8: „et hos omnes ante professionem sacerdotes esse oportet." — Ratio in ipsa Bulla additur; nam ista *ardua ministeria* sunt functiones sacerdotales, vel quæ plerumque a sacer-

dotibus exercentur. Et cum simus ordo clericorum regularium, æquum est, ut qui sunt in hoc ordine membra præcipua, teneant etiam præcipuum clericorum gradum, i. e. sacerdotium.

3. — Tertia probatio præcedere debet. — „Ascendente": „scholares 364
vero, studiis in Societate absolutis, antequam Professi vel Coadjutores spirituales formati fiant, non solum tertium adhuc ulterioris probationis annum in devotionis et humilitatis exercitiis impendunt, ut si qua fortasse in re harum virtutum fervor... etc. etc." — Ex. c. 1. §. 12: „unum adhuc annum post absoluta sua studia exspectabunt, quod tempus, cum Superiori visum fuerit, poterit prorogari." — c. 4. §. 16: „tertius alius annus, antequam ad professionem vel in Coadjutores formatos admittantur, in variis probationibus... exigetur." — P. 5. c. 2. §. 1: „ad hoc conferet illis... ultimæ probationis tempore in schola affectus diligentius se exercere, et in rebus spiritualibus etc." — Potest tamen Generalis in hac re dispensare. — C. 16. D. 34: „declarandum censuit Congregatio, non licere Provincialibus quemquam eximere a tertio probationis anno integre peragendo. Speratque fore, ut R. P. N. neminem, nisi ob rationes gravissimas, et ab aliqua tantum illius parte eximat". — C. 18. D. 22. §. 5. — C. 20. D 12. §. 5.

Excipiuntur a tertia probatione peragenda ii, qui ante ingressum Societatis omnia studia absolverunt. — C. 8. D. 9. — De iis tamen postea habet C. 20. D. 8: „ut, quicunque unum saltem annum novitiatus non peregerunt, etiamsi ante ingressum in Societatem omnia studia absolvissent, non admittantur ad gradum, quin tertium annum probationis absolverint." — Cf. nº 1134. — Hæc de exterioribus.

4. — In ipsis personis ad professionem quatuor votorum admittendis 365
necesse est, ut sit doctrina sufficiens, imo conspicua. — Julius III. „Exposcit" — Paulus III. „Regimini:" „cumque prudens in CHRISTO, et vel doctrina seu vitæ christianæ puritate apparuerit conspicuus, tum demum admittatur ad JESU CHRISTI militiam." — Ex. c. 1. §. 8: „et hos sufficienter in litteris eruditos esse oportet." — P. 5. c. 2. §. 2: „doctrina etiam in hujusmodi sufficiens esse debebit:" propter quod, præter studium humaniorum, septem anni studiis superioribus impendantur. — P. 10. §. 7: „non enim alii, quam spiritus et doctrinæ selectæ viri... cum omnium ædificatione et satisfactione perspecti, ad professionem admitti debent. Sic enim, licet multitudo augescat, non imminuetur nec debilior reddetur spiritus, dum tales sint, qui in Societatis corpus cooptantur." — Quæ ex parte doctrinæ requiruntur, hæc sunt:

366 *a.* — Necesse est, ut præcedat examen, sive, quod æquivalens est, actus publicus — C. 7. D. 33. n° 3. seqq. — P. 5. c. 2. §. 2: „satis in doctrina profecisse convenit; et in profectus hujusmodi testimonium quisque ante professionem assertiones logices, philosophiæ et theologiæ scholasticæ tuebitur."

b. — C. 8. D. 37. §. 2: „de doctrina necessaria ad philosophiam ac theologiam cum satisfactione docendam: [hoc] intelligendum est in iis locis, in quibus est idoneorum auditorum ac disputantium concursus." — Ord. c. 18. p. 3. §. 1. — Et hoc absolute intelligendum est. — C. 12. D. 22. §. 1: „per sufficientem ad quatuor votorum professionem doctrinam non eam intelligendam esse, quæ talis solum relative sit, seu comparative ad alios, ante ad eum gradum promotos, sed absolute, et qualem Decreta Congregationum requirunt; nec habita solum ingenii aut aptitudinis ratione, sed doctrinæ præsentis, quam re ipsa habet in theologia is, qui examinatur. — Vide n° 290. 291.

c. — In examine, præter eum qui præsidet (Provincialem plerumque vel Rectorem) quatuor examinatores jurati sunt, quorum trium saltem suffragium positivum, clarum et minime dubium requiritur. — C. 8. D. 37. §. 3. — Et P. 5. c. 2. §. 2: „quatuor autem ad argumentandum et judicandum de eorum doctrina,an sit, quanta oportet, prout juxta veritatem sincere senserint, deligantur." — Ord. c. 18. p. 3. §. 2. — C. 7. D. 33. §. 4: juramentum ab examinatoribus præstandum est etiam de non revelandis suffragiis suis.

d. — Conceduntur quatuor menses ad præparationem; quodsi intra præfinitum hoc tempus quatuor mensium non fiat examen, theses mutandæ erunt ab eodem Superiore et præfecto studiorum. — C. 8. D. 37. §. 4. — Examen ad gradum raro repetendum est, nec nisi ubi absque injustitia non potest negari. Et a solo Generali concedi potest, uti in examinibus annuis. — 1621. 1654. — Præparationi ad secundum examen concedi solent duo menses. — 1634. — et novæ theses dandæ sunt ei, qui ob morbum post quatuor menses ab examine subeundo impediretur. — 1633. — Si tamen primum examen tantum ad duos vel tres hebdomados differatur, non dantur novæ theses. — 1656.

e. — „Tertium ad professionem quatuor votorum examen, quando quis defectu doctrinæ ab ea per superius examen exclusus est, nunquam esse concedendum; secundum vero non nisi a R. P. Generali, idque raro, gravibusque de causis; aut vix unquam, nisi is, cui hoc concederetur, retulerit in primo examine duo pro se suffragia." — C. 12. D. 22. III. Etiam in hoc examine examinatores sint „omni exceptione majores et jurati."

Nota. — Qui præsidet in examine ad gradum, non potest suffragium ferre, sed tantum attestari, omnia rite esse peracta. Ejustamen animadversiones ad Generalem dirigendum prodesse possunt. — Ne Nostrorum, sive theologiæ sive philosophiæ, et præsertim ad gradum examinatores constituantur, nisi qui eas facultates in Societate didicerint, aut saltem de illis secundum omnes partes et cum felici exitu in ipsa Societate fuerint examinati. — In Galliam 1841. — Inter examen ad gradum et examina annua, quoad obligationem examinatorum non datur alia differentia, nisi quod priores juramento obstricti esse debent. — Juramentum ab examinatoribus semel præstatur, antequam eo munere fungi incipiunt. Et secretum quod promittunt, prorsus inviolabile est, nec ipsi Socio Provincialis manifestandum — 1834. — Et cum ipsi professores non raro præoccupati sint in judicando de propriis discipulis, præferendi sunt examinatores qui non sunt professores examinandorum. — In Galliam 1835. — Infelix examinis exitus a Provinciali ipsi subdito revelari potest; sed exspectanda est opportuna occasio, v. g. in tertia probatione. — 1835.

5. — Defectus doctrinæ in philosophia et theologia nonnunquam 367
compensari potest aliis egregiis Dei donis, quibus prædit us quis dignus censeatur, qui ad professionem admittatur, etiam quatuor votorum. — P. 5. c. 2. B.

a. — „Excellentia talenti gubernandi, concionandi, etc. quod supplere posset defectum doctrinæ requisitæ ad professionem quatuor votorum." — C. 13. D. 19. — Et de his juramento constare debet. — Ibidem: „ego NN. testem invocans Deum, censeo Patrem NN. adeo excellens in concionando talentum habere, ut in quibuscunque præcipuis Ecclesiis communi harum regionum idiomate utentibus videatur posse multa cum laude et fructu concionari." — Etiam: „tam insigni gubernandi talento præditum esse, ut cum plena satisfactione possit regere majora Collegia atque etiam aliquando universam provinciam." — Ex C. 12. D. 24. testimonium oportet esse juratum, quo C. 11. D. 3: exstinctum est, ex quo hoc non requirebatur.

b. — Etiam doctrina sufficiens in jure canonico illum defectum 368
supplere potest. — P. 5. c. 2. B: „qui in jure canonico doctrinam sufficientem... haberet, ex qua, quod studio theologiæ deest, compensari posset; sine eo ad professionem trium, et aliqui viri insignes etiam ad quatuor votorum (quamvis hoc extendi non debeat) admitti possent." — Mensura hujus doctrinæ in C. 12. D. 23: „ad trium votorum professionem requiri, ut mediocritatem in ea superet; qad uatuor vero, ut non quomodocunque, sed cum eo, proportione servata, excessu, quo in theologia scholastica requiritur: ac debere de eo in illa facultate excessu constare eo modo, quo de theologia in facultate theologiæ; per examinatores scilicet pariter juratos, illiusque scientiæ cumprimis

peritos, nisi forte jam ante ingressum in Societatem Doctor foret, ac de ejus eximia eruditione nulla dubitatio esse posset."

c. — Eodem privilegio utuntur, qui excellunt in litteris humanioribus; de quo supra, n° 274. — C. 6. D. 15. — C. 9. D. 32. — C. 14. D. 17. et 18: per juratos debet hoc constare.

369 6. — Qui ad professionem admittendus est, debet esse in virtute conspicuus.

a. — Julius III. „Exposcit": „quia revera hoc Institutum omnino humiles et prudentes in CHRISTO, et in christianæ vitæ puritate ac litteris conspicuos exigit." — Gregorius XIV. „Ecclesiæ catholicæ": „Constitutiones hac etiam in parte observari volumus et mandamus, quæ statuunt, selectos tantum spiritus et doctrinæ viros, et multum diuque exercitatos, ac in variis probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum, cum omnium ædificatione et satisfactione satis cognitos, ad professionem esse admittendos." — P. 6. c. 3. §. 1. — P. 5. c. 2 §. 1: „illi ad professionem idonei habebuntur, quorum vita diuturnis ac diligentibus probationibus a Præposito Generali... perspecta valde et approbata fuerit." — P. 10. §. 7: „non enim alii, quam spiritus et doctrinæ selectæ viri, et multum diuque exercitati, et in variis probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum, cum omnium ædificatione et satisfactione perspecti, ad professionem admitti debent."

b. — Mensura virtutis indicatur, C. 9. D. 6; „is, de quo agitur, ejus sit virtutis, quæ mediocritatem excedat. — censendum nimirum [per analogiam ad similem excessum in doctrina, C. 7. D. 33.] excedere mediocritatem in virtute, qui regulariter, et ut plurimum, in rebus, quæ occurrunt operantur secundum exigentiam virtutis, speraturque idem facturos in difficilioribus, si quæ id exigeret occasio: qui parvos defectus religiose cavent; et, si quando labantur, reprehensiones et pœnitentias libenter atque humiliter excipiunt et culpam emendant: qui in quotidiano virtutum exercitio Superioribus æque ac domesticis satisfaciunt."

c. — Cum quis a gradu simpliciter dilatus est, ad sequentem usque annum differri censetur; atque informationes instaurari oportet. Secus autem si per sex menses diserte fuerit dilatus; tunc enim non iterandæ sunt informationes — P. Martin 5 Junii 1893. — De iterandis post annum informationibus jam 1639 et pluries; etiam 1854

Nota. — Informationes ad gradum tum autographas tum consultatas, tunc destrui posse, quum Præp. provinciæ decreta receperit ad ea pertinentia. — P. Beckx 20 Maji 1866. — Informationes Consultoribus congregatis, quantum fieri

potest, communicandæ sunt, ut maturius discutiantur. Eorum si forte abessent, per litteras exquirendæ essent. — 1696. — 1833. — Erga socios, qui in aliena provincia degunt, informationes ab utriusque provinciæ Consultoribus exquirendae sunt. — 1833. — Hujusmodi graduandi proponendi sunt a Provinciali provinciæ in qua versantur, proprio eorum Provinciali præmonito. — 1862.

7. — Dies, quibus professio fiat, tenendi sunt dies Purificatæ et Assumptæ in cœlum Deiparæ. — C. 12. D. 9: „an, cum constituti promotionibus ad gradum jam fuerint et in morem inducti dies, Purificatæ et Assumptæ in cœlum Deiparæ sacri, placeret Congregationi hos eosdem dies retineri? Placuit omnino: sic tamen, ut neque præfixum illud tempus ad professionis valorem conditio necessaria sit; nec etiam ita praxi illi insistendum Congregatio velit, ut, si forte promovendus aliquis citra culpam, gravemque ob causam non potuerit statutis illis diebus promoveri, non possit cum facultate Provincialis, si ita causa cognita judicaverit, primo quoque opportuno tempore, nec exspectato insequenti termino promoveri." — Idem C. 13. D. 20. 370

Nota. — Dies Assumptæ in cœlum B. M. V. intelligitur esse dies 15 mensis Augusti, non vero dies dominica subsequens, in quam in nonnullis regionibus celebritas transfertur. Ita R. P. Beckx ad P. Behrens Prov. 6 Junii 1856: »festum B. M. V. Assumptæ intelligitur dies 15. Augusti, qua licet solemnia non agantur, dicuntur tamen missa et officium; estque dies sacra ob memoriam primorum votorum a Patribus nostris emissorum, præterea quarundam dierum differentia in Congregationibus faciendis sequelas graves habere posset.«

In Responsis Romanis anni 1655 professio facta extra duos dies nominatos invalida declaratur: hoc amplius non valet post Decr. 9. C. 12. anno 1682.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PROFESSIONE TRIUM VOTORUM.

1. — De hac non est sermo in Constitutionibus ante annum 1550, 371
quo emanavit Bulla Julii III. „Exposcit", quæ sic habet: „aliqui de licentia Præpositi Generalis propter ipsorum devotionem et personarum qualitatem tria vota hujusmodi solemnia facere poterunt." — Dein Ex. c. 1. D: „præter hæc quatuor genera personarum, nonnulli ad solemnem professionem trium votorum tantum, juxta litt. Apost. Julii III. admittuntur." — P. 5. c. 2. §. 3: „præter hos, nonnulli ad trium votorum solemnium tantum professionem admitti possent, raro tamen, et non sine causis peculiaribus alicujus momenti: et hos septem annos in Societate notos fuisse, et non mediocrem sui talenti ac virtutum satisfactionem, ad gloriam DEI, præbuisse in eo oportebit." — Decl. C.

2. — Essentia hujus professionis in eo est, quod emissis tribus votis solemnibus, nec non quinque simplicibus, uti in aliis professis, intimo quo fieri potest vinculo Societati conjunguntur, absolute et in perpetuum. — C. 4. D. 54: „Professi trium votorum emittere debent post suam professionem vota simplicia, quæ professi quatuor votorum post professionem emittere solent.“ — Qualis sit hæc professio trium votorum, bene explicat Suarez, tr. 10. l. 7. c. 1. §. 6. Dicta vota non constituunt gradum peculiarem in Societate: „Unde intelligitur, modum hunc professionis trium votorum non esse veluti per se ac principaliter in Societate intentum, nec gradum hunc esse, ut sic dicam, diversum a gradu spiritualium Coadjutorum; sed in eo esse quasi specialem exceptionem, ad subveniendum specialibus occasionibus et causis, quæ occurrere possunt.... Per se enim Institutum Societatis postulat, ut omnes Professi ejus votum obedientiæ speciale Pontifici offerant: tamen quia materia hujus voti non habet locum in omnibus operariis, quibus Societas indiget, aliquos Coadjutorum titulo recipit, per se quidem non ad professionem, sed ad alium gradum, tamen ob speciales causas occurentes, ut tactum est, expedire potest, ut aliqui ex his solemnem professionem emittant; et ideo quasi per dispensationem vel exceptionem hoc admissum est, et probatum in Bullis Pauli III. et Julii III. et Gregorii XIII.“

Idem edicunt responsa Generalium: — „Professio trium votorum non est gradus in Societate distinctus, sed dispensatio; proinde non est usurpanda, nisi rarissime et in iis casibus, quos Constitutiones P. 5. c. 2. C. præscribunt.“ — Prov. Gall. 1578. — „Professio trium votorum non est gradus medius inter Coadjutores formatos et Professos quatuor votorum, sed venit simpliciter nomine professionis.“ — CC. 1598. — Lugdun. 1619.

372 3. — Rationes hujus professionis introductæ affert Suarez l. c. §. 5: „nonnulli esse possunt, quos vel necesse non est, vel non expedit quartum emittere votum, quia non habent omnes dotes ad illud ministerium necessarias, et tamen dignissimi sunt, qui ad solemnem professionem recipiantur, vel propter singularem vitæ sanctitatem, vel quia propter insignia facta aut opera specialiter sunt de Societate bene meriti. Interdum etiam potest expedire, aliquos recipi ad hoc genus professionis, ut sit in Societate modus dissolvendi matrimonium ratum, non emittendo professionem quatuor votorum, et ut vinculum hoc cum Societate sit utrinque absoluto perpetuum, quod sæpe propter

extrinsecas rationes necessarium est:" — v. g. propter Majoratum abdicandum, de quo C. 5. D. 18. —

Nota. — Antea ad hanc trium votorum professionem Provinciales Generali non poterant quemquam proponere; quod nunc licet. — Ord. c. 18. p. 6. §§. 2. 5. et 6.

4. — Ad hanc professionem emittendam non requiritur tanta doc- 373
trina, ut in 4 votorum professis; requiruntur autem tum virtus eximia, tum alia dona rara vel merita insignia; ex quibus omnibus simul consideratis efficitur ratio concedendi hanc exceptionem. — P. 5. c. 2. C: „qui ad professionem trium votorum solemnium admittuntur, ordinarie sufficientiam in litteris quæ saltem ad confessarii munus bene obeundum satis sit, habeant oportet; vel certe dona Dei aliqua rara, quæ id compensare videantur, ita ut Præpositus Generalis, vel alius, cui suas vices ad hoc ille speciali commissione concederet, ad majus Dei obsequium et Societatis bonum, sic convenire judicaret. Et hi ut plurimum homines erunt, qui propterea quod bene meriti sint, et valde devoti, quamvis minori doctrina ac concionandi aptitudine præditi, quam nostrum Institutum in Professis requirat, admittendi esse in Domino videbuntur." — Examen in hac professione non requiritur.

C. 5. D. 18: „ad professionem autem [3 votorum] intelligitur admittendus, nisi qualitas Majoratus ejusmodi fuerit, ut promotio ad sacrum Ordinem firmitati illius abdicationis satis sit. Tunc enim non professio, sed ordinatio procuranda erit." — Quod fusius illustrat Suarez tr. 10. l. 6. c. 1. §. 4: „si interdum ex causa urgente necesse sit aliquem ad professionem admittere ante sacerdotium, illa satis erit solemnis professio trium votorum, quia ad nullum finem potest esse alia necessaria, et hanc etiam admittit, licet raro, Societatis Constitutio P. 5. c. 2. §. 3. Quamquam regulariter etiam illa non sit concedenda nisi sacerdotibus. — ..... exceptionem, quæ in professione trium votorum fieri solet, præcipue ob causam primogenituræ seu majoratus." — Responsa nonnulla hanc rem claram reddunt. — Resp. Rom. 1640: „admittendus ad professionem trium votorum N. N., quod Societati benefecerit et admodum devotus sit." — Prov. Flandr. 1640: „N. N. ob beneficia Societati præstita promoveri potest ad tria vota, dummodo impleverit decimum tertium annum Societatis." — Castellan. 1650: „pro bene meritis de Societate in ordine ad professionem trium votorum intelliguntur, qui suis facultatibus Societatem juvarunt, non qui ministeriis, v. g. docendo grammaticam multis annis." — Gallobelg. 1641: „dena vel duodena florenorum millia Societati donata sufficiunt, ut trium votorum professio titulo benefactoris conferri possit, aliis requisitis positis." —

374 *Nota.* — De tempore admissionis prius obtinebat P. 5. c. 2 §. 3: »et hos, septem annos in Societate notos fuisse et non mediocrem sui talenti ac virtutum satisfactionem, ad gloriam DEI, præbuisse in ea oportebit.« — Ex quo colligitur, præcedere debere probationes diligentes et sat diuturnas. Nunc idem est atque in Coadjutoribus, ut non admittantur, nisi post decennium vitæ religiosæ.

375 5. — Dicamus pauca de juribus horum professorum. Vota eorum solemnia quidem eadem omnino sunt, quæ in quatuor votorum professione eosdemque effectus habent. Attamen non fruuntur iisdem juribus et facultatibus.

a. — Non possunt præesse domibus professis et minus etiam toti provinciæ. — P. 8. c. 3. A. — C. 1. D. 42. — C. 3. D. 21. — Quodsi nihilominus contingat, v. g. in domo professa si sit minister, alii professi quatuor votorum iisdem subduntur. — C. 8. D. 20.

b. — Non possunt eligi in Assistentes. — P. 9. c 5. A.

c. — Non vocantur ad Congregationem Provincialem, nec eligi possunt Procuratores. Vocantur tamen, si vi muneris, quo funguntur, id fieri debet.

d. — Quodsi in casu singulari a Generali evocantur ad Congregationem Generalem, in electione Generalis et Assistentium neque activam neque passivam vocem habent.

e. — Vocati ad Congregationem Generalem vel Provincialem sedem occupant post professos quatuor votorem, sed ante alios omnes. Et habent tunc vocem activam et passivam, exceptis ut supra. — Form. Cong. Prov. §. 15. — P. 8. c. 3. A.

ARTICULUS QUARTUS.

DE COADJUTORIBUS.

376 1. — Notum est hujus Coadjutorum in Societate JESU gradus, in prima confirmationis Bulla Pauli III. non fieri mentionem, sed tantum post sex annos in Bulla ejusdem Pontificis „Exponi nobis" 5 Junii 1546, his verbis: „Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, quod de cetero sacerdotibus, qui vos in spiritualibus, et personis sæcularibus, quæ vos in temporalibus, et officiis vestris domesticis coadjuvent, uti possitis; ipsique Coadjutores tam sacerdotes, quam personæ sæculares, peractis experientiis et probationibus, per Constitutiones vestras requisitis, ad majorem eorum devotionem et amplius meritum, vota paupertatis et castitatis ac etiam obedientiæ [ita, ut ad illa servanda, pro eo tempore, quo tu, fili Præposite, et qui pro tempore

fuerint ejusdem Societatis Præpositi, eis in ministerio spirituali vel temporali, utendum judicaveritis, et non ultra, adstringantur; nec propterea ad aliquam solemnem professionem emittendam teneantur, neque ad eam aliter admittantur] emittere: ac ipsi Coadjutores ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines de licentia tui, fili Præposite Generalis, si alias idonei fuerint, promoveri valeant, sintque omnes et singuli eorum, omnium bonorum operum, quæ in dicta Societate fient, ac meritorum illius participes et illis plene gaudeant, prout alii dictæ Societatis professi participant et gaudent; quodque tu, fili Præposite, et pro tempore existens Præpositus Societatis hujusmodi, de cetero perpetuis futuris temporibus, viginti duntaxat et eisdem presbyteris Coadjutoribus, quos ad id idoneos inveneritis, et quando tibi, seu eidem pro tempore existenti Præposito placuerit, easdem facultates, gratias et auctoritatem, quas Professis Societatis hujusmodi concedere potes, seu per nos vobis quomodolibet concessæ existunt, in toto vel in parte libere concedere, ac alios Præpositos seu Vicarios tuos, tam provinciales quam locales, cum facultate quoscunque ad Societatem prædictam confluentes, ad probationem hujusmodi recipiendi, et ad vota prædicta, non tamen dictam professionem solemnem, quæ Romæ duntaxat fieri possit et debeat, admittendi, creare et deputare libere et licite valeatis; plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus licentiam et facultatem."

Facultas admittendi hujusmodi Coadjutores numero viginti tantum, jam post tres annos ab eodem Pontifice Paulo III. „Licet debitum" 18 Oct. 1549 aucta est: „nec non Ignatio, et aliis successoribus suis Præpositis Generalibus dictæ Societatis pro tempore existentibus, ut indultum alias per Nos eidem Societati super habendi viginti Coadjutoribus concessum, ad alios quoscunque, quos idoneos fore censuerint, sub eorum obedientia degentes extendere, et quascunque gratias, concessiones, et indulta eisdem Generalibus dictæ Societatis Præpositis pro tempore existentibus per Nos concessa, per eorum Vicarios, aut personas ad id sibi bene visas, præsertim in Indiarum et aliis partibus remotis, pro tempore substitutas, exercere libere et licite valeant."

In Bulla „Ascendente" Gregorii XIII. hic gradus in Societate accuratius definitur, postquam de Professis dictum est: „reliqui etiam sacerdotes, quorum vita et doctrina in Societate diu probata esset ac Præposito Generali perspecta, et de ipsius licentia in Coadjutorum spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota similiter publica, sed simplicia, in Superioris manibus emissa, admitterentur. Quibus

emissis tam hi, qui spirituales, quam qui temporales Coadjutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent," etc.

Ex. c. 1. §. 9: „secundæ classis sunt, qui in Coadjutores ad divinum servitium, et Societatis auxilium in rebus spiritualibus vel temporalibus admittuntur. — Ex. c. 6. §. 1. — P. 5. c. 2. §. 4. — P. 5. c. 1. A.

377 2. — Essentia hujus classis in Societate quæ sit, exprimitur verbis: „gradus" et „formati", quæ verba tum in Bullis, tum in Constitutionibus sæpissime occurrunt. Nimirum Coadjutores in Societate tenent gradum determinatum et fixum, quo super Scholasticos elevati sunt. Nec tendunt amplius ad metam altiorem, sicut faciunt Scholastici, sed sunt in termino, ultra quem alius finis non est ipsis attingendus. Unde etiam vocantur „formati", quasi absoluti in ea forma, in qua Societati incorporati sunt. — Hæc Responsis illustrantur.

Franciscus Borgia Neapolim, 1568: „haud dubie aliquid illis (votis Scholasticorum) additur, quum admissi ad eum gradum in corpus Societatis interius cooptantur, et ab hæreditate et omnibus bonis ipso facto eximuntur, proinde atque illi, qui professionem solemnem emittunt."

Pater Claudius Perusium 8 Aug. 1583: „durum videtur Reverentiæ Vestræ, quod non possit se arctius obligare DEO, quam per vota Coadjutorum spiritualium. Consideret, quod non minus obligetur illis votis, quam Professus; et quantum ex parte DEI, ille magis provocat sanctissimam DEI misericordiam, qui plus de illius bonitate sibi promittit, et minus confidit in se: et quod æque multum boni facere possit Coadjutor spiritualis, quam Professus."

Pater Everardus 1576: „ut aliqui Coadjutores formati paulatim Professi fiant, quum Constitutionibus et Instituto repugnet, non modo curandum non est, verum etiam gradus Coadjutorum spiritualium magis est stabiliendus."

Patris Claudii et Assistentium in Consultatione 1598 mens fuit et sententia, ascensum ex gradu Coadjutoris ad professionem, vel Professi trium votorum ad gradum quatuor votorum, non esse permittendum nisi gravissima ex causa, si v. g. persona illa necessaria foret ad munus Provincialis. Extra quem casum, existimavit Pater Masellus Assistens Italiæ, Generalem non posse dispensare. Hoc tamen frustra asseritur.

378 *Coroll.* — Sunt igitur Coadjutores finaliter formati et in gradu conclusivo; unde convenit breviter indicare, quibus ab aliis classibus differant.

a. — A Professis quatuor votorum differunt votorum suorum tum natura, tum numero et effectibus. Emittunt vota substantialia religionis, quæ quidem publica sunt, attamen simplicia.

b. — Differunt a Scholasticis eo, quod ipsorum vota, licet simplicia, tamen publica sunt, habentque nonnullos alios effectus ex jure positivo. Dein præ illis in Societate tenent gradum et nullo sensu amplius sunt in probatione, sed Societati arctiori vinculo uniti.

c. — Similiter a Professis trium votorum differunt votorum qualitate et nonnullis effectibus; nec non quod hi Professi 3 votorum, quamvis non sint in altiori gradu, nihilominus præferuntur in nonnullis functionibus exercendis.

3. — Quum particulare sit Societati JESU, non admittere omnes 379
suos socios ad professionem, sed diversos eorum gradus statuere, necesse est rationes addere, quæ moverint sanctum Ignatium, a communi omnium aliarum religionum constitutione recedere.

a. — Æquum non est, arguere Societatem JESU discrepantiæ cujusdam ab omnibus aliis ordinibus, et quidem in re tanti momenti. Quivis enim ordinis fundator particularem familiæ suæ finem intendens, ea ordinat constituitque, quæ huic fini consequendo apta sunt et conducentia. Et hoc sanctum Ignatium etiam egisse in statuendis suorum diversis gradibus, nemo certe erit, qui audeat negare; præsertim cum summa in Ecclesia DEI auctoritas statim ab initio hanc institutionem ratam habuerit.

b. — Quæ requiruntur ad solemnem professionem in Societate JESU, plurima sat ardua sunt et valde difficilia; et si hæc in omnibus ingredi volentibus requirerentur, multis aditus ad religionem præcluderetur, et numerus sociorum valde minueretur, cum certissimo damno eorum ministeriorum exsequendorum, quæ fini Societatis omnino conformia sunt.

c. — Quodsi e contra, sublata graduum differentia, omnes in Societate JESU Socii ad solemnem professionem admitterentur, sublimis ista idea, secundum quam sanctus Ignatius religionem a se fundandam conceperat, obfuscaretur quasi deprimereturque; et sane, post non ita multum temporis hæc familia religiosa re et facto subsisteret multo minus nobilis et præeminens.

d. — Constitutis vero diversis gradibus, statim clarum fit, multis viris sat doctis et ad ministerium nostrum aptissimis januam fuisse apertam vitæ religiosæ assumendæ, a qua alias remoti mansissent et privati istis bonis spiritualibus, quibus dignissimi alias existebant.

e. — In quavis bene ordinata consociatione habentur diversa mem-

bra, nobiliora et minus nobilia, quæ omnia tamen ad bonum commune utilia et necessaria sunt. Quod illustrat sanctus Paulus ex analogia corporis humani translata ad mysticum corpus CHRISTI, quæ est Ecclesia. — 1. Cor. 12. 12. seqq.

f. — Et nonne ipse Salvator noster ordinavit distinctionem similem in Ecclesia sua? Præter duodecim Apostolos, qui in prædicando evangelio primum locum occupabant, misit et alios septuaginta duos annuntiare regnum DEI, inferiores Apostolis. — Unde Ephes. 4, 11. seqq.: „et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem Sanctorum ..., in ædificationem corporis CHRISTI."

g. — Potest accidere, ut qui emissis votis conjunctus est Societati, in bonum vel hujus vel personæ ipsius, iterum ab ipsa per dimissionem separetur. Et nemo non videt, multo faciliorem et utrique parti magis convenientem esse eum modum dimissionis, quo quis, solutis votis simplicibus Coadjutorum vel Scholasticorum, ab omni demum obligatione religionis liber existat, ad ingrediendam novæ vitæ viam sibi utilem.

h. — Quod nonnulli dicunt, esse hanc distinctionem graduum et personarum in ipsius Societatis damnum, quum generet discordias et animos reddat exasperatos et duros, omnino hoc falsum est; nam statim ab ingressu omnes de hac re monentur, et per totum probationis studiorumque tempus ita educantur et disponuntur, ut de gradu suscipiendo valde indifferentes evadant. Quod facto ipso probatur, quum re et veritate, exceptis nonnullis juribus, omnes Societatis filii permixti inter se vivant, ne cogitantes quidem, imo nescientes, se esse in diverso gradu constitutos.

i. — Et revera demum, omnibus, Societatis filiis, cujuscunque gradus vel classis existunt, bona omnia communia, tum corporalia, tum spiritualia, largissime et æquali modo competunt. Thesaurus locupletissimus omnium gratiarum spiritualium patet omnibus et singulis; et qui vult sibi ipsi providere, quidquid sit de ejus in Societate conditione et statu, potest ditissimus fieri et bonis et meritis pro vita æterna. — Gratulentur potius sibi, qui sunt in gradu inferiori, quod a plurimis curis molestis et intricatis difficultatibus liberi maneant, quibus Professi vi gradus sui subjici possunt. Similiter quod ad ea munera et ministeria plerumque assumantur, quæ et animo, naturali jam ratione, magis arrideant, et meritis uberiora sint. — Inst. ad Super. c. 6.

4. — Quæ requiruntur ad hunc gradum Coadjutorum consequendum, fere eadem sunt, atque ad professionem, modificantur tamen nonnihil in nonnullis, prout natura hujus gradus diversi exigit. 380

a. — De tempore emittendi hæc vota Coadjutorum ab initio quædam in genere tantum statuta erant. Sic in Ex. c. 1. §. 12: „unum adhuc annum post absoluta sua studia exspectabunt: quod tempus, cum Superiori visum fuerit, poterit prorogari;" idem igitur, quod etiam de facienda professione. — c. 4. §. 16. — P. 5. c. 2. §. 4: „ut quis etiam in Coadjutorem formatum admittatur, oportet Societati esse satisfactum de ejus vita, deque bono exemplo ac talento ad se juvandam .... Hoc ipsum autem metiatur oportet Præpositi Generalis prudentia: nisi alicui ex particularibus, cui multum in Domino confideret, id committendum videretur."

Secundum hoc plerumque post septennium vitæ religiosæ peractum admissio ad hunc gradum fiebat. Attamen Mutius jam introduxit consuetudinem exspectandi completum vitæ religiosæ decimum, ætatis vero completum trigesimum annum: quod sanxit C. 12. D 14: „cum ex Ordinationibus Generalium c. 18. prom. ad gr. p. 1. §. 5. præscriptum habeatur, debere eos, qui ad gradum Coadjutorum spiritualium promovendi sunt, si cetera ad id requisita habuerint, statim post septennium a suo in Societatem ingressu promoveri; rogata Congregatio, an in posterum retinenda nihilominus videretur praxis, jam tum a R. P. Mutio introducta, observataque, neminem ad hujusmodi gradum promovendi ante trigesimum annum ætatis expletum, et ingressus in Societatem decimum? Retinendam esse declaravit, Patrique nostro, quamvis citra novam obligationem aut ad valorem votorum necessitatem, maxime commendavit." — Etiam Ord. c. 18. p. 1. §. [illegible]. — p. 2. §. 11.

b. — Ad sacerdotium evecti sint oportet. — Ex. c. 6. §. 1: „quod scilicet in hanc Societatem Coadjutores spirituales admittuntur, qui sacerdotes sunt et litteris sufficienter ornati, ut in rebus spiritualibus Societatem juvent."

c. — Tertiam probationem peregerint necesse est; quod idem in Professis, et sub iisdem conditionibus. — Ex. c. 4. §. 16. — Ord. c. 3 §. 1. seqq. — C. 8. D. 9. — C. 20. D. 8.

d. — Quoad virtutem requisitam habetur de Coadjutoribus pariter ac Professis in P. 6. c. 3. §. 1: „tanquam certum ducitur, eos viros spirituales futuros; et qui sic in via CHRISTI Domini nostri profecerint, ut per eam currere possint." — P. 5. c. 2. §. 4: „oportet Societati esse satisfactum de ejus vita deque bono exemplo."

e. — Etiam hi Coadjutores in genere suo selecti sint oportet; inde quoad studia habetur in P. 4 c. 5. §. 2. D: „conveniet, ut in linguarum peritia, et in iis, quæ ad doctrinam confessionibus utilem pertinent, et demum in iis, quæ ad commune animarum bonum commodiora sunt futura, proficere curent." — P. 4. c. 8. §. 4. A. D. — C. 2. D. 69: „visum est non expedire, ut breves cursus artium vel theologiæ instituantur: sed si quis in Coadjutorem spiritualem instituendus fuerit, is humaniorum litterarum studio et compendio dialectices contentus sit: quibus studiis instructus, casus conscientiæ audire poterit." — Attamen statuit C. 21. D. 16: „pro scholasticis theologis, qui theologiæ scholasticæ per quadriennium non applicantur, censuit Congregatio, temporum ratione id omnino exigente, providendum esse, ut sufficientem nihilominus theologiæ dogmaticæ notitiam acquirant, ad docendam religionem, et eam saltem a communioribus objectionibus tuendam." — Quare pro iis cursus compendiosus triennalis institutus est ex ordinatione P. Beckx, juxta hoc decretum. — C. 24. D. n° 6. confirmavit hoc triennium; at constituit quædam circa materias addiscendas per ejus decursum.

381 *Coroll.* — Hic gradus Coadjutoris spiritualis suscipiendus recusari non potest, si Generalis ita ordinat; et hic est sensus quarti voti Scholasticorum: „promitto eandem Societatem me ingressurum." — C. 5. D. 50. n° 1: „promissionem illam de ingrediendi Societatem, quæ fit in formula votorum, esse votum, quo obligantur ad recipiendum gradum Coadjutoris formati vel Professi, prout Præpositus Generalis judicaverit." — C. 7. D. 32: „censuit Congregatio, omnes vi quarti voti in Congregatione 5. explicati teneri Superiori certum gradum imponenti obedire; ita tamen, ut rationes Provinciali ac Patri nostro, consueto Societatis more proponere possint; quas scripto censuit proponendas. Verum Superiori illis examinatis in sententia perseveranti, et certum gradum absolute statuenti, licet non addat obedientiæ præceptum, teneri unumquemque obedire, imperatumque gradum suscipere; ut, si non fuerit obsecutus, censendus sit in malo statu esse, atque a sacramentorum usu et administratione excludendus."

Nota. — Quæ dicta sunt de admittendis Coadjutoribus spiritualibus, mutatis mutandis, applicanda sunt etiam Coadjutoribus temporalibus. — De iis specialiter postea.

ARTICULUS QUINTUS.

DE SCHOLASTICIS ADMITTENDIS.

1. — De Scholasticis, uti de propria in Societate JESU classe, statim ab initio in primis Bullis sæpissime inducitur sermo. — „Regimini": „possint habere Collegia, habentia reditus... retenta penes Præpositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta Collegia et prædictos studentes." — Et sic alibi. In primis vero Gregorius XIII. „Ascendente": „quo novitiatus biennio expleto, si ipsi perseverare voluerint et Societati fuerit ab eis satisfactum, quoniam Societas ipsa non solis novitiis et Professis, ut reliqui regulares Ordines, constat, tria substantialia vota simplicia (nisi quis interdum ad Professionem vel gradum Coadjutorum formatorum admittendus videretur), paupertatis, castitatis et obedientiæ in eadem Societate, ex Apostolico indulto, ac juxta vivendi formulam in eisdem Constitutionibus expressam, emittunt; ac secundum illas promittunt se eandem Societatem ingressuros, hoc est, ulteriorem aliquem illius gradum, prout Præposito videbitur Generali. Quibus votis emissis, novitii esse desinunt, et in Societatis corpus, qui litteris operam dederint vel daturi sint, ut Scholares approbati, alii vero ut Coadjutores temporales nondum formati, cooptantur; ac quantum est ex parte ipsorum perpetuo, ex parte vero Societatis juxta Apostolica indulta et Constitutiones prædictas, tamdiu obligati sunt, quamdiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit. Quod ad Societatis conservationem maxime est necessarium, idque ab illius exordio provisum, et post experimento comprobatum est, idque initio ingressus illis explicite manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis (si quos dimittere oporteat) multo est commodior, ut liberi potius quam votis obligati dimittantur, aliisque justis et rationalibus de causis." 382

Ex. c. 1. § 10: „tertiæ classis sunt, qui in Scholasticos admittuntur, si ingenio et reliquis dotibus ad studia convenientibus præditi inveniantur; ut postquam docti evaserint, in Societatem ingredi et Professi vel Coadjutores (prout judicabitur expedire) esse valeant. Hi autem, ut Scholastici Societatis approbati censeantur, post experimenta et probationes, eadem tria vota simplicia, paupertatis, castitatis et obedientiæ, cum promissione ingrediendi Societatem in altero prius dictorum modorum (ut in Constitutionibus videbitur) ad majorem DEI gloriam emittent." — c. 4. §§. 41 43.

383 2 — Essentia hujus Scholasticorum classis ea est, quod sunt in statu probationis ulterioris, inter novitiatum absolutum et gradum in Societate suscipiendum E novitiatu educti sunt, emissis votis simplicibus, quibus vere religiosi constituuntur; manent tamen adhuc probandi eo sensu, ut ad finalem cum Societate conjunctionem per vota publica se aptos et dignos efficiant. Quod idem est de Fratribus Coadjutoribus finito novitiatu, qui utique tempore hoc intermedio in rebus externis tantum occupantur. — Ratio formalis igitur hujus classis est, quod ex parte sua, emissis votis substantialibus religionis, Societati se irrevocabiliter et absolute obstringunt; Societas ipsa vero nondum definitive se ipsis obligavit, relinquens eos in statu ulterioris exercitationis usque ad terminum conferendi iis gradum vel Professi vel Coadjutoris.

384 3. — Hujus in Societate institutionis, qua discrepabat ante Constit. Pii IX. ab aliis ordinibus, rationes gravissimæ afferuntur.

a. — Quod adhuc studiis vacant, quamvis votis jam obstricti, explicatur in P. 4. Procem. A: „et quia boni simul et eruditi pauci inveniuntur..., perdifficile fore deprehendimus hujusmodi hominibus, qui boni simul ac litterati essent, hanc Societatem augeri posse, tum propter magnos labores, quos ejus Institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem. Ideo nobis omnibus, qui conservationem et incrementum ejus ad majorem laudem et obsequium DEI ac Domini nostri cupiebamus, alia via tenenda esse visa est; admittendi nimirum juvenes, qui bonorum morum et ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul ac doctos viros ad colendam CHRISTI Domini nostri vineam essent evasuri." — Vide etiam Thom. 2. 2. q. 188. a. 5: „utrum instituenda sit aliqua religio ad studendum;" quod affirmat probatque.

b. — Quod Scholastici, quamvis studiis vacantes, votis jam ligati sint, id ipsis quam maxime utile est, quum votis emissis vere religiosi evaserint, Societatique incorporati omnium ejus gratiarum et privilegiorum participes fiant. Accedit, quod ex sua parte DEO jam irrevocabiliter obstricti, subtracti manent tentationi instabilitatis, qua juvenes, periculis mundi expositi, a recto tramite tam facile aberrant.

c. — Sed etiam Societas ipsa lucrum habet ex hac institutione. Difficile enim esset, invenire juvenes ad nostrum Institutum idoneos, qui per tot annos studiorum, incerti futuræ suæ sortis, exspectarent, utrum admitterentur ad Societatem, an non. Nunc vero jam ab initio Societati votis addicti et sortis suæ certi formantur et educantur secun-

dum spiritum Instituti iis præcise annis, quibus animi quam maxime flexibiles sunt ad omnia bona suscipienda, in bonum Societatis.

d. — In opprobrium vertitur Societati, quod, dum Scholastici votis emissis se irrevocabiliter ipsi obstringant, ipsa tamen libera maneat ad eos retinendos vel dimittendos. Sed hæc, quæ videtur esse disparitas, revera non est dispar obligatio, et nititur rationibus quam maxime veris. Nam :

α. — Exstat pro hac institutione approbatio Sedis Apostolicæ, verbis Gregorii XIII.: „Ascendente": „quod ad Societatis conservationem maxime est necessarium, idque ab illius exordio provisum, et post experimento comprobatum est."

β. — Ex parte status religiosi non requiritur absoluta perpetuitas, sed sufficit, ut salvetur ejus natura, moralis ista stabilitas et perseverantia, quæ nostris votis substantialibus religionis generatur.

γ. — Ecclesiæ vero non fit gravamen, si quis dimittatur post vota emissa. Nam hisce solutis dimissi liberi sunt ad eligendum statum sibi convenientem, eo facilius, quum plerumque solidæ eruditionis fundamentum in ipsa jam Societate posuerint. Præterea casus dimissionis relative sat rarus est.

δ. — Societati vero, uti ait Pontifex, id maxime necessarium et utile est, inprimis in dimittendis iis, qui ad nostros fines parum aptos vel etiam indignos se probant. Dimissione enim facta utraque pars, tum dimissus ipse, tum Societas dimittens, libera fit nullisque obligationibus obstricta. Potest etiam fieri, ut post vota prima Societas tempus ulterioris probationis ad emittenda ultima vota diutius protrahat, donec dignum se quis exhibeat.

ε. — Demum quoad ipsos Scholasticos: — 1. non fit illis injuria, cum res tota statim in ingressu ipsis proponatur et, si tamen maneant, „volenti non fit injuria"; — 2. exhibent, emittendis votis sub conditionibus non absolute paribus, actum generosæ liberalitatis humilisque confidentiæ in DEUM; — 3. facilis fit illis egressio, postquam experientia cognoverunt, se non esse vocatos ad nostrum Institutum, quum in pristinum statum, sine omni onere remanente omnino restituantur; — 4. neque imprudenter agunt vovendo; nam Societas non ejicit arbitrarie, sed ex justis causis, plerumque propter culpam ipsius dimittendi. 385

4. — Ad emittenda hæc prima vota Scholasticorum, quæ requiruntur, alia sunt juris communis, alia juris proprii.

a. — Quæ statuit jus commune, habentur in Trid. sess. 25. de reg. c. 15: „in quacunque religione tam virorum quam mulierum,

professio non fiat ante 16. annum expletum, nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ vel religionis vel ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus." — Hæc etiam vim habent in Societate, cum dicatur: „in quacunque religione;" nec dispensatum est in hac parte.

b, — Ex juro vero nostro *biennium* novitiatus requiritur et annus 17. ætatis expletus, utrumque etiam sub pœna nullitatis votorum emittendorum; nec potest Provincialis, sine dispensatione Generalis, admittere ad novitiatum ante 15. annum expletum, nec ad vota ante annum 17. expletum. — C. 8. D. 35: „constitutum est in posterum, ut Provinciales, sine Generalis dispensatione, non habeant facultatem admittendi ad probationem ante quindecim, nec ad vota Societatis ante septemdecim expletos annos: ita, ut irritum sit, defectu potestatis, quidquid contra fuerit factum."

Nota. — Quæ sit potestas dispensandi in Generali, explicatum fusius est in P. 3. c. 1., ad quod recurrendum est. — nº 156.

c. — In persona admittenda spes saltem fundata esse debet, tum solidæ virtutis acquirendæ, tum progressus faciendi in litteris. — Ex. c. 1. §. 10: „in Scholasticos admittuntur, si ingenio et reliquis dotibus ad studia convenientibus præditi inveniantur; ut postquam docti evaserint, in Societatem ingredi et Professi, vel Coadjutores (prout judicabitur expedire) esse valeant." — P. 4. Procem. A: „admittendi nimirum juvenes, qui bonorum morum et ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul ac doctos viros ad colendam CHRISTI Domini nostri vineam essent evasuri." — P. 4. c. 3. §. 2: „hujusmodi esse debent, ut secundum rationem sperari possit, idoneos ad vineam CHRISTI Domini nostri exemplo et doctrina excolendam, esse evasuros."

d. — Ex parte Societatis requiritur, ut expleto biennio novitiatus, an et quando quis ad vota facienda admittatur, decernat Provincialis, cui facultas hæc vi muneris competit ut supra dictum est. Monetur autem Provincialis in Instr. 6. §. 2: „curent Provinciales, ut novitii patronos non habeant, qui eos, licet ineptos, in Societate retineri curent: ac porro in dimissionis negotio Magistri novitiorum judicium magni faciant."

CAPUT TERTIUM.

De modo admittendi.

COMPREHENDIMUS hoc capite, quæ dicta sunt in cc. 3 et 4, Partis quintæ; explicabimus ceremoniam ipsam admissionis, secundum diversas classes; adjiciemus, quæ necessaria sunt, de singulorum votorum natura, numero, obligatione, nec non de eorum effectibus et juribus. Dividemus copiosam hanc materiam, ut distincte omnia proponantur, in tres sectiones, secundum tres diversas classes: Professos, Coadjutores, Scholasticos.

SECTIO PRIMA.

De Professorum votis emittendis.

ARTICULUS PRIMUS.

QUÆ PRÆMITTENDA SUNT PROFESSIONI.

1. — Si abdicatio bonorum nondum facta est, uti solet, fieri tunc 386
debet. — Ex. c. 4. §. 2: „quod si [admittendus] statim propter aliquas honestas causas bona non relinquet, promittat se prompte relicturum omnia (ut dictum est) post unum ab ingressu absolutum annum ...; quo completo, ante professionem Professi, et ante tria vota publica Coadjutores re ipsa relinquere, ac pauperibus (ut dictum est) dispensare debent, ut consilium evangelicum, quod non dicit: da consanguineis, sed: pauperibus, perfectius sequantur, et ut melius exemplum omnibus exhibeant, inordinatum erga parentes affectum exuendi, et incommoda inordinatæ distributionis, quæ a dicto amore procedit, declinandi; atque ut ad parentes et consanguineos recurrendi, et ad inutilem ipsorum memoriam aditu præcluso, firmius et stabilius in sua vocatione perseverent." — Etiam §. 5. — Reg. Prov. 70. — Ord. c. 1. §. 10. — Quæ de abdicatione bonorum propria dicenda sunt, postea ubi de voto paupertatis agendum est, distincte proponentur. — n° 624. seq.

2. „Videre unusquisque et considerare debet Diplomata apostolica Instituti Societatis, et Constitutiones ac Regulas, quas in ea est observaturus." — Ex. c. 1. §. 15. — Hoc statim in ingressu Societatis fit

et continuatur per biennium novitiatus singulis sex mensibus; et demum ante ultima vota. Dicit tamen P. Claudius 1590: „gradum stabilem in Societate suscepturus, si habeat sufficientem cognitionem regularum, Constitutionum, Bullarum Societatis, non est, quod ea legat; sed si non habet, ea legere tenetur." — Perspicuum est, valde convenire, ut in actione tam sancta etiam spiritus nostri Instituti per ejus lectionem suscitetur et inflammetur.

387 3. — Venit mendicatio. — Ex. c. 4. §. 27: „antequam Professi suam professionem, et Coadjutores sua vota emittant, et (si Superiori videbitur) Scholastici, antequam approbati censeantur, et vota sua ac promissionem superius dictam faciant, per triduum suis constitutis temporibus, vestigia sequendo primorum, de quibus mentionem fecimus, ostiatim pro CHRISTI Domini nostri amore mendicare debent, ut contra quam est communis hominum sensus, ad divinum obsequium et laudem magis se possint submittere, magisque in spiritu proficere, ad gloriam divinæ Majestatis: ut etiam magis sint dispositi ad id ipsum faciendum, quando illis injunctum fuerit, vel conveniens aut necessarium erit."

Addamus quædam responsa ad hanc rem illustrandam. —

Mutius Prov. Germ. 1636: „quum mendicationem publicis nostris votis præmittendam communiter vel sequantur fatigatio corporis, vel etiam animi distractio, debitam exercitiorum collectionem ac fructum multum retardans, magis expedit, ut illa vel ante vel post fiat." — Rationes esse possunt, ut mendicatio domi tantum fiat. — Mutius Prov. Germ. 3 Febr. 1635: „quum adhuc ea sint tempora, ut ad professionem solemnem admittendi in Germania eleemosynæ corrogatione exerceri, absque civium magna egestate laborantium offensione, non posse videantur, satis erit, ut triduo illo professionem præcedente domi nostræ in refectorio necessaria mendicent." — Cernitur inde non esse necessariam hanc mendicationem, et ex causis omitti posse.

Sed quo modo instituenda est? — Consuetudinarium Prov. Germ. olim: „Nostri ultima vota edituri tridio ante mendicant per urbem, mane fere per horas minime duas. Tum domi in prandio mendicant cibum et potum, distributis vicissim quæ attulerant."

Nota. — In quibus urbibus est domus professa, in iis, quæ triduana mendicatione fuerint collecta, applicantur domui professæ, sicut etiam in hac vota ipsa emittenda sunt. — Mutius sæpius. — Cap. Œtting. nº 104. seqq.

4. — Reddenda ratio conscientiæ, facienda confessio generalis. — Ex. c. 4. §. 38: „ultima (ratio conscientiæ) vero circiter triginta dies,

antequam Professi futuri suam professionem, et Coadjutores sua vota emittant, reddetur." — De confessione generali et aliis: Reg. Prof 70.

5. — De exercitiis præmittendis est in Ex. c. 4. §. 41: „per unius hebdomadæ spatium se colligendo, et aliqua spiritualia exercitia, ex jam factis vel aliis, faciendo." — De hac re plura responsa. 388

P. Mutius Prov. Lithuan. 25 Aug. 1618: „qui uno alterove mense ante collationem gradus obiit exercitia, non est opus, ut is eadem repetat." — Idem Rhenan. 15 Febr. 1612: „tunc satis esse, ut per duos vel tres dies se colligat." — Idem Gallobelg. 1628: „qui exercitia fecerunt tribus duntaxat mensibus ante sacerdotium vel professionem, non sunt urgendi, ut denuo faciant." — Sed ne abutantur hac licentia; nam: „verum quum deinde quidam anno 1645 in vacationibus autumnalibus exercitia prætermisisset, differens ea in Januarium anni sequentis, quo anno erat vota editurus festo B. M. V. Purificatæ, Pater Noster Paulus Oliva scripsit 17 Aprilis 1666 ad Provincialem Germaniæ: non placet, si verum est, quod Pater N. N. anno superiori non fecerit exercitia, eo quod ea facturus erat in Januario pro gradu. Non patiatur R^a^ V^a^ in religiosa illa provincia hæc tam avare compendi. Peragantur exercitia annua more consueto; et illa, quæ fiunt pro gradu, fiant etiam suo tempore, neque sint supplementum exercitiorum annuorum."

6. — Consideratio formulæ votorum. — P. 5. c. 3. §. 2: „voce alta votum suum scriptum *(quod aliquod ante dies consideraverit oportet)* leget." — Ita fit, ut in ipsa actione tam solemni ex meditatione prævia eo ferventior sit devotio, neve mens in legendo constricta.

7. — Scribere vota emittenda, in charta formæ romanæ, quæ est longitudinis 10 digitorum ad 8 digitorum latitudinem, sive 26 cm. ad 20 cm. Adhibendum est hujus formæ folium plicatum, ita ut sint quatuor paginæ in quarum prima, et si necesse est secunda, scribuntur vota solemnia vel publica, assignato loco, die, mense, anno, et subscribitur nomen voventis. Vota simplicia subsequentia ipsam professionem incipiunt scribi in pagina tertia, sive prima pagina folii applicati, similiter subscripto loco, die, mense, anno, nomine proprio voventis. Attendendum ad hoc, ut ex utraque parte scripti maneat spatium sat largum, largius tamen versus partem exteriorem, et sit spatium supra et infra æqualiter largum. — Scribenda est formula idiomate latino, a Fratribus Coadjutoribus lingua vernacula; et quidem tota formula ab ipso vovente; quod si fieri nequit, saltem subscribendum est ejus nomen proprium, vel aliquod signum ipsius manus. 389

P. 5. c. 4. C: „si homines essent, qui latinam linguam non intelligerent, quales aliqui Coadjutores temporales erunt, votum in vernaculam linguam vertetur; et legant ipsi, vel præeat alius legendo verba, quæ mox ipsimet, eum insequendo, pronuntiabunt." —

Quoad nomen admittentis hæc Responsa: Bohem. 1619: „in formula professionis, quam emittunt Nostri, præter nomen et cognomen admittentis, non solet communiter exprimi officium, quo fungitur; id quod mihi quoque magis probatur." — Tolos. 1619 ad 3: „quia in Constitutionibus alicubi est expressum nomen admittentis vota et alicubi non est, factum est, ut ex primis Societatis temporibus quidam expresserint illud, quidam non. Quæ varietas ut tolleretur, satis visum est, ubique nomen apponi, præsertim cum aliquando suscipere possit vota privatus, qui non nisi proprio nomine obsignare queat."

Attamen aliter statuitur C. 12. D. 56. VII.: „ut in posterum, cum post obitum Generalis, sub Vicario Generali professio, sive vota ad gradum emittentur, hæc formulæ verba sint; ut nempe, si Vicarius ipse Generalis professionem, seu vota excipiat, dicatur: et tibi R. Patri (N.) Vicario Generali Societatis JESU, locum DEI tenenti, et Successoribus tuis; si vero aliquis alius excipiat, dicatur: et tibi R. P. (N.) Rectori, si Rector est, vel Præposito, vel Provinciali, et sic de aliis, vice R. Patris Vicarii Generalis Societatis JESU, et Successorum ejus, locum DEI tenenti."

390 *Nota.* — Harum formularum saltem duo exemplaria conficienda sunt, alterum pro archivio Romano, alterum pro archivio provinciali. Pro archivio domestico plerumque non postulatur tertium exemplar; sed sufficit, ut vovens ipse in libro ad hoc assignato propria manu in alia forma præscripta testetur de actione peracta.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IPSO ACTU PROFESSIONIS.

391 In ipsa celebritate professionis faciendæ quædam sunt essentialia et ad validitatem ejus necessaria, alia vero magis accidentalia, quæ non afficiunt valorem.

1. — Quæ sint essentialia et proin ad validitatem professionis prorsus requisita, habentur claris verbis in P. 5. c. 3. A: „particularia, quæ hic et inferius attinguntur, decent quidem, et cum fieri potest, observanda sunt; non tamen ut necessaria. Fieri enim posset, ut sacerdos non esset, vel missam celebrare non posset qui ex ordinatione Præ-

positi Generalis professionem admittit. Illud autem essentiale est, ut publice votum legatur, coram iis de Societate et externis, qui adfuerint, atque ut tanquam solemme et emittatur et admittatur." — Non convenit, ut Rector professionem excipiat, si Missam celebrare non possit; potius alterum sibi substituat. — 1658. — Valida tamen est professio, si is qui ad eam excipiendam disignatus est, solummodo adsit; — 1834. — intellige dum ipse admittit eam; imo hic possit non esse sacerdos. — P. 5. c. 3. A. — Ergo publicitas, et coram testibus.

a. — Publicitas non intelligitur de loco, i. e. de ecclesia vel oratorio publico, ad quæ aditus pateat externis; et potest proin professio fieri in sacello domestico vel alibi. — In P. 5. c. 3. n° 2. et 5. dicitur: „in ecclesia"; e contra c. 4. §. 1: „in ecclesia, vel sacello domus, aut alio decenti loco, coram domesticis et externis, qui aderunt." — Ita etiam P. Mutius Austr. 15 Aug. 1643: „certum est, professionem votorum valide emitti posse in sacello domestico privato, dummodo intersint testes idonei, tam Nostri, quam externi."

b. — In verba: „coram domesticis et externis, qui aderunt" habet Suarez l. 6. c. 5. n° 8: „quæ circumstantia videri potest essentialis, ut professio non sit clandestina, utque de illa in foro Ecclesiæ constare possit;... hactenus vero nullum inveniri diximus jus irritans professionem aliter factam: idem ergo in præsenti dicimus quia nec in Constitutionibus, nec in Bullis Societatis invenitur speciale jus irritans, vel majorem necessitatem imponens; et ideo non magis credimus hanc circumstantiam esse substantialem in præsenti, quam in professionibus aliarum religionum." — Sed aliter habent Cap. Œtting. n° 195: „Atque hæc Nostrorum externorumque præsentia tam studiose procuranda est, ut sit iteranda professio, quæ facta esset non præsentibus aliquibus, tam de Nostris quam de externis; ita judicatum in Consultatione 1620. decr. 4. Atque hic usus est in Societate, quum aliquis professionem aut vota publica edit in sacello privato, ut semper advocentur aliqui externi præter Nostros. Quæ omnino nituntur claris verbis P. 5. c. 3. A."

Nota. — In P. 5. c. 3. A dicitur: »illud autem essentiale est, ut publice votum *legatur.*« Ad hoc ultimum verbum advertunt Cap. Œtting. n° 195: »ut publice votum legatur.« — In hæc verba copiosam disputationem instituit P. de Lugo in Resp. Moral. l. 4. dub. 38., hoc titulo: an professio non lecta ex scripto, sed memoriter recitata valida sit; rem non carere scrupulo nullitatis, scripserat alicubi Suaresius, quem sequi visus est Castropalao. Pro validitate stat Cardinalis noster.

Dein, quamvis per se tota formula votorum requiratur in emittenda professione, tamen hæc non fit invalida eo, quod omittuntur quædam verba, quæ ad essentiam actus non pertinent. Verbi gratia: si omittuntur »omnipotenti Deo,« vel

»coram Virgine Matre« etc.; vel »Generali et successoribus ejus.« Nam in rigore satis est profiteri et quatuor vota expresse emittere; ut si quis solum diceret: »Ego profiteor in Societate JESU,« et tunc expresse enuntiat quatuor ista vota, valide professionem enuntiat.

392 2. — Omnia alia, quæ adduntur in professione ad augendam ejus festivitatem, non afficiunt validitatem.

a. — Non est necesse, ut missa legatur, et vovens in ea sacram Communionem accipiat. — P. 5. c. 3. A. — Nemo tamen non videt, utrumque valde congruere isti actioni, qua quis se DEO dedicat et tradit, quasi sub sigillo sanctissimi corporis et sanguinis Salvatoris.

b. — Non requiritur, ut formula votorum scripta tradatur et ab admittente nomine Societatis accipiatur; nam eo, quod deputatus ad recipiendam professionem audit voventem eique consentit, satis significat acceptationem traditionis, eo magis, quum fere semper ipse missam dicat voventique Communionem sanctam det. In missa, qua Generalis admittit, non ipse, sed Secretarius assistens formulam accipit. — P. 5. c. 3. §. 2. et 4.

c. — In P. 5. c. 3 §. 4: „in libro, quem ad hoc habebit Societas, ejus nomen, qui professionem emisit, et illius, in cujus manibus emisit, adnotato die, mense, et anno, scribetur; et ejus vota scripta asservabuntur; ut omnia semper constare possint, ad DEI gloriam." — Talis liber, præterquam in archivio romano et provinciali, exstat etiam in domo, ubi emittuntur vota; et voventis propria manu inscribuntur ea, quæ supra commemorata sunt.

393 *Nota.* — De exteriori solemnitate professioni addita hæc habeto: C. 1. D. 36: »an aliquæ ceremoniæ in professionibus emittendis addi deberent ad eas, quæ in Constitutionibus habentur P. 5. c. 3. Statutum est, Constitutiones esse servandas, nec ceremonias addendas.« — Resp. Rom. 1579: »solemnitas professionis est, ut fiat sub officio, ubi est cantus, aut saltem cum duobus ministrantibus, ubi cantus non est.« — Ut ecclesia eo die ornetur, musica adhibeatur, invitentur ad prandium hospites, ostendit P. Claudius 1596, non esse committendum, si id fiat solo intuitu votorum et non festi. »Sunt enim, inquit, excessus inconvenientes et insueti in ejusmodi actibus eaque mens semper fuit Societatis a primis suis initiis.« — Quum tempore P^is^ Lainez quidam in his Partibus professionem fecisset magno splendore, scriptum est 24 Maii 1561 ad Patrem Canisium Roma: »intellexit Pater Noster, professionem NN. emissam solemniter satis, aut etiam plus satis, si eam simpliciter spectemus, qualem nostræ Constitutiones et eorum, qui hactenus sunt professi, exempla monstrant. Tanta celebritas et splendor non videtur Patri Nostro, nec rei, quam profitemur, nec Constitutionum nostrarum simplicitati satis convenire; et ideo NN. pœnitentiam injungendam censuit, quod limites mediocritatis sit transgressus: et R^æ^ V^æ^ injungit, ut professionibus suæ provinciæ eam tantum solemnitatem permittat, quæ humilitatem et paupertatem Instituti nostri deceat et primorum Patrum professiones magis imitetur.« — Cap. Œtting. n° 198.

d. — Quodsi plures sunt, emittentes vota diversa, ordo hic est: 394
Professi 4 vot, Professi 3 vot., Coadjutores, Scholastici. Inter eos vero, qui eadem vota emittunt, prior pronuntiat, qui prior ingressus est Societatem, non vero v. g. in votis ultimis, qui prior emisit vota Scholasticorum. Si duo ingressi sunt eodem die, prior est, qui major ætate; si eodem die nati, tunc qui prius sacerdotio initiatus est. Ita Mutius Lithuan. 27 Aprilis 1637. — Vincentius Carrafa 1646. — „si vota solemnia aut publica emissurus sit Superior una cum subdito, si subditus sit antiquior in Societate, prius emittat subditus." — Claudius 10 Nov. 1609.

Sic de prioritate in ipsa pronuntiatione professionis. Aliud est de 395
prioritate in serie Professorum, de qua hæc habeto: — „qui per errorem aut causam justam fecit professionem ante alios antiquiores, si a Præposito Generali, etsi per errorem, admissus est, habet antiquitatem juxta professionem ex mente Constitutionum." — Vinc. Carrafa 1641. — „Quando tres vel quatuor emittunt professionem in eodem Sacro, ille est censendus antiquior in professione, qui est antiquior in religione, licet per errorem vel aliam causam ultimus inter illos emiserit professionem, quia illud tempus pro eodem reputatur et est idem moraliter. Idem dicendum, quando in diversis Sacris, sed eodem die celebratis, faciunt plures professionem. Illi enim præcedunt in antiquitate professionis, qui antiquiores sunt religionis, licet professionem emisissent in Sacro, aliquot horis posteriori, quia tempus istud ejusdem diei pro eodem sumitur moraliter." — Mutius 14 Jan. 1640. — „Quoad prioritatem ordinis et loci inter Professos nulla habenda est ratio horæ, aut pronuntiandæ formulæ præcedentia; sed priorem locum obtinebit hic, qui prius ingressus est novitiatum, licet posterius pronuntiaverit formulam; nisi aliquo vix contingenti casu in omnibus omnino aliis ita pares essent, ut nihil supersit, unde præcedenti inter illos ratio sumi posset." — Mutius Rhen. 1642. — Similiter C. 13. D. 10.

Sed nunc pro hac quæstione præcedentiæ inter Professos definitiva sunt, quæ habentur C. 14. D. 19: „ut ex iis, qui eodem die emiserunt professionem, ei deferatur ordinis prærogativa, qui prius aliis assecutus est omnia ex parte sui requisita ad professionem; ita ut, si in Societate non essent fixi ad profitendum dies Purificatæ et Assumptæ Virginis, prius aliis fuisset professus." — Ex hac regula applicata fieri potest, ut is, qui post alios ingressus est Societatem, v. g. jam sacerdos et studiis vel ex toto vel ex parte jam absolutis, tamen in ordine Professorum teneat locum anteriorem præ iis, qui ante ipsum Societa-

tem ingressi sunt. Inde fit, quod v. g. etiam prior vocandus sit ad Congregationem Provincialem.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VOTIS PROFESSORUM SOLEMNIBUS.

396 „Professio religiosa non est simplex promissio, ut in voto simplici; sed est simul traditio ad cultum divinum, seu ad vivendum caste, sine proprio et sub obedientia, in religione approbata et simul traditionem accipiente." — Sic Billuart. — „Proinde est, ac si quis alteri promitteret fructus agri, et promittendo daret ipsum agrum, seque obligaret ad illum excolendum juxta voluntatem acceptantis." — Craisson nº 2684.

De natura solemnitatis votorum ait S. Th. 2. 2. q. 88. a. 7. ad 9: „hujusmodi solemnitas pertinet non solum ad homines, sed ad DEUM in quantum habet aliquam spiritualem consecrationem et benedictionem." — Vide Lehmkuhl, Theol. mor. p. 1. nº 500. seqq. — Complectens simul tum naturam votorum solemnium tum eorum effectus, dicit Wiedenmann „de statu religioso" c. 2. §. 5: „solemnitas votorum consistit in firmissimo et maxime stabili transitu voventis in jus et dominium quasi divinum quoad res voto determinatas, conjuncta cum connaturali efficacia ab Ecclesia addita producendi certos eosdemque majores effectus, quam vota simplicia." — Cum hi effectus sint ex constitutione Ecclesiæ, patet, eorum nonnullos ab eadem auctoritate ecclesiastica addi posse etiam aliis votis non solemnibus; quod revera fit in votis simplicibus Coadjutorum formatorum, imo et Scholasticorum; uti mox videbimus.

Professio solemnis in Societate JESU omnino eadem est, atque in aliis religionibus ab Ecclesia approbatis; tamen effectus ejus melius ex Constitutionibus intelliguntur.

I. VOTUM SOLEMNE PAUPERTATIS.

397 Hoc votum in Professis quatuor votorum idem est atque in Professis trium votorum et Coadjutorum formatorum, quoad effectus quos habet. Proinde:

1. — Amittunt omnem capacitatem dominii, jure et actione; non fruuntur igitur jure possidendi, nec possunt ullam exercere actionem seu facere dispositionem ex hoc jure promanantem. — Paulus III. „Regimini": „voveant singuli et universi perpetuam paupertatem,

declarantes quod non solum privatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione aut usu, ad bona aliqua stabilia, aut ad proventus seu introitus aliquos, jus aliquod civile acquirere; sed sint contenti, usum tantum rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparanda, recipere."

Julius III. „Exposcit" 1550: „cum autem experti fuerimus, jucundiorem, puriorem et ad proximi ædificationem aptiorem esse vitam, ab omni avaritæ contagione quam remotissimam, et evangelicæ paupertati quam simillimam; cumcque sciamus Dominum nostrum JESUM CHRISTUM servis suis regnum DEI solum inquirentibus, necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum, sic voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, ut non solum privatim, sed neque etiam communiter possint Professi, vel ulla eorum domus aut ecclesia, ad aliquos proventus, reditus, possessiones, sed neque ad ulla bona stabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad usum proprium et habitationem, retinenda, jus aliquod civile acquirere, rebus sibi ex charitate dónatis ad necessarium vitæ usum contenti." — Gregorius XIII. „Ascendente," loquens de votis Professorum et ultimis Coadjutorum simul: „quibus emissis... sunt omnis hæreditariæ successionis incapaces, nihilque omnino proprii juxta Constitutiones easdem habere possunt."

P. 6. c. 2. §. 11: „ut nihil proprium domi teneri, ita nec foris apud alios potest. Et quisque iis, quæ de communi data fuerint ad usum suum necessarium aut convenientem, resecatis superfluis, sit contentus. „Et additur in decl. H: „intelligendum est hoc absolute de Professis et Coadjutoribus formatis;" aliter nimirum de Scholasticis. — C. 2. D. 56: „ex eleemosynis vivit Societas."

2. — Privantur omni jure hæreditariæ successionis, tum ab intestato, 398
tum a testato; et non solum ipsi personaliter, sed etiam eorum causa domus professæ, ecclesiæ et Collegia. — Gregorius XIII. „Quanto fructuosius" 1 Febr. 1583: „quibus (votis) emissis (Professi et Coadjutores formati), eo ipso nihil omnino proprii amplius vel domi vel foris habere possunt, fiuntque incapaces cujusvis hæreditariæ successionis; nec propter emissa hujusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato, in illorum sicuti nec in Professorum bonis, domus ulla, aut ecclesia, vel Collegium dictæ Societatis succedere potest." — P. 6. c. 2. §. 12: „quo melius paupertatis puritas, et quies illa, quam secum affert, conservetur, non solum particulares Professi, vel Coadjutores formati hæreditariæ successionis non erunt capaces; verum nec domus, aut ecclesiæ, nec Collegia eorum ratione. Sic enim omnibus litibus,

et controversiis præcisis, charitas cum omnibus ad DEI gloriam melius conservabitur."

Cum hæc verba: „hæreditariæ successionis," nullum additum habeant, nonnulli existimabant, ea stricto sensu esse accipienda restringendaque ad hæreditariam successionem „ab intestato," ita ut, si quis hæres nominatus sit in testamento, posset vi hujus nominationis succedere et hæreditatem adire. Ita Wadding. Cap. Œtting. nº 219. — Quum tamen dicatur in Bulla: „cujusvis hæreditariæ successionis," difficile est, hanc interpretationem admittere. In Societate nostra saltem non admittitur; quod clare dicunt Generales, Goswinus Nickel, auditis Assistentibus, 29 Jan. 1656, et Petrus Beckx ad P. Studer 28 Julii 1860, et quidem, uti aiunt: „propter puritatem nostræ paupertatis."

399 *Nota 1.* — Quoad paupertatem Professorum Societas ipsa expunxit ex Constitutionibus pristinam certam largiorem licentiam. — C. 1. D. 38: »actum est deinde, an expediret quandam declarationem super P. 6. c, 2. expungi oportere, ut paupertas sancta magis restringeretur; quæ sic habet: »Cum universaliter observetur, nec jus succedendi, nec proprium quid Professos habere, nihilominus si aliquis sua devotione, et sancta cum intentione ad majorem DEI gloriam motus, ante suam professionem a Sede Apostolica facultatem obtineret, ut vel ipse, vel domus, in qua professionem emisit, posset jus succedendi in hæreditate habere, dum non ad privatum usum illius, sed ad pia opera, vel ad quæ alioqui obligaretur, possent ea applicari, et omnia Præpositi Generalis arbitrio subdi: non contra istam Constitutionem, vel ejus intentionem existimaretur.« Hactenus Constitutio. Visum est ergo Congregationi, hanc declarationem ex ipso libro Constitutionum expungendam esse, quo magis puræ et sanctæ paupertati consuleretur.«

400 *Nota 2.* — Leo XIII, 31 Julii 1878 pro Belgio confirmavit Constitutionem jam a Pio VII. editam 1 Dec. 1820, pro omnibus religiosis etiam solemniter professis: »posse eos dominium habere atque acquirere, et omnes ejus actus licite et valide exercere juxta legem civilem; etiam juramento asserere tuta conscientia, se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere cum jure de iis disponendi« — dummodo cum debita a legitimis Superioribus dependentia hoc faciant. — Lemkuhl p. 1. nº 524.

401 *Nota 3.* — Legatorum capaces manent tam Professi quam formati Coadjutores; sic saltem, ut Collegia et domus, in quibus versantur, eorum dominium adeant. — Cap. Œtting. nº 219. — Adverte tamen in iisdem: »si aliqui sponte sua eleemosynas relinquerent, nullum jus civile ad eas petendas in judicio acquiritur, nec competit actio in illas.« — P. 6. c. 2. B. — Et ne abusus fiat in hac re, habet C. 2. D. 56: »ad majorem ædificationem, et paupertatis nostræ sinceritatem et puritatem, placuit præcipere nostris omnibus, ut nulli externo suadeant (nam de Nostris in Constitutionibus et Decretis dictum est), ut nobis potius, quam aliis pauperibus, dent eleemosynas: sed contenti simus, ubi petimus quotidianas eleemosynas: illas simpliciter ac plane amore DEI petere. Ad donationes vero

quascunque, sive legata, simpliciter etiam et plane possimus nostras necessitates tantum explicare; definitionem tamen ejus devotioni relinquamus, a quo petimus has etiam eleemosynas: ac proponere tantum illi possimus, ad orationem et alia media ut accurrat, quibus possit de donatione vel legato constituere juxta id, quod ipsi Dominus inspiraverit, et ratio recta suaserit.«

— 3. Voto paupertatis perit etiam jus ad beneficia ecclesiastica. Ex 402
jure communi jam solemnis professio est tacita resignatio et dimissio beneficii. — (cap. Beneficium 4, de Regul. in 6°). — Tum. Ex. c. 4. §. 5: „admoneantur itidem, si ecclesiastici sint, quod postquam in Societatis corpus ut Professi vel Coadjutores cooptati fuerint, nulla ecclesiastica beneficia possunt retinere." — Magis etiam arguit C. 5. D. 19: „ut gravissimis incommodis occurreretur, et communi ædificationi consuleretur, decretum est auctoritate Congregationis, ut beneficia ecclesiastica, quæcunque Nostri obtinent, finito biennio probationis, priusquam vota simplicia Scholasticorum emittant, non obstante Canone I. Congregationis primæ generalis [quo Nostri non cogantur relinquere beneficia ante professionem, nisi jubente Generali], omnino resignentur." — Nimirum per se non obstant vota Scholasticorum, ut quis beneficium retineat in ejusque temporalia jus servet, cum istis votis non amittatur dominium directum in temporalia.

4. — Amittitur demum jus in reditus Collegiorum, et in susten- 403
tationem ex iis habendam.

P. 6. c. 2. §. 3: „Professi vivant ex eleemosynis... nec reditibus Collegiorum in domibus utantur." — Ex. c. 1. §. 4: „nec domus Professorum, nec aliquis eorum, aut etiam Coadjutorum, reditibus Collegiorum uti poterit.", — P. 10. §. 5: „refert plurimum ad conservationem et augmentum totius hujus corporis, procul admodum omnem avaritiæ speciem ablegasse;... nec ad suam utilitatem reditus Collegiorum applicando."

a. — Neque ipse Generalis in hoc dispensare potest. — P. 4. c. 2. §. 5: „at Generalis cum nec in suum, nec in ullorum consanguineorum suorum, nec in professæ Societatis usum bona temporalia Collegiorum possit convertere; eo purius sese in eorum superintendentia ad majorem gloriam et servitium Dei gerere poterit."

b. — Qui tamen in Collegiis occupantur, inde etiam sustentari possunt, imo debent. — P. 4. c. 2. F: „possunt nihilominus (reditus Collegiorum) expendi in usum illorum, qui Collegiis utiles fuerint: cujusmodi sunt administratores, concionatores, lectores, confessarii, Visi-

tatores et alii Professi, vel similes personæ, quæ spirituali vel temporali Collegiorum hujusmodi utilitati vacant."

c. — Licet Professis accipere ex Collegiis exiguum quid, et quod ex charitate offertur. — Ibidem Decl. F: „sine tali etiam causa posset expendi aliquid, quod exiguum sit, cum quovis homine de Societate, mensa per diem aliquem eum excipiendo, vel modicum quid viatici, cum per Collegia in hanc vel illam partem transit, vel quid simile donando. Quod enim tam est exiguum, ut nihilum ducitur, et scrupuli eximuntur, hinc quidem inhumaniter se habendi, inde vero contra Sedis Apostolicæ intentionem agendi." — Idem in P. 6. c. 2. decl. C et D, ubi quædam exceptiones afferuntur, v. g. concedendo recreationem in horto, infirmis et etiam sanis. Etiam: „quando necessarium aut conveniens ad universale bonum id videretur; ut si aliquis, cum expressa facultate Præpositi Generalis, scribendi gratia per tempus aliquod se eo reciperet."

II. VOTUM SOLEMNE CASTITATIS.

404 Hoc votum in Societate JESU idem est eosdemque habet effectus, atque in aliis ordinibus ex jure communi. Dissolvit igitur matrimonium ratum nondum consummatum, Professumque inhabilem reddit ad matrimonium subsequens, et quidem absolute et pro semper irrevocabiliter. — Hæc voti castitatis solemnitas quoad effectum ex verbis Bonifacii VIII.: „ex sola institutione Ecclesiæ est inventa;" quod idem dicit Gregorius XIII. in „Ascendente" 1584: „Nos considerantes, voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse."

Inde est, quod summa Ecclesiæ auctoritas ex effectibus hujus voti solemnis aliquos etiam votis simplicibus adjungere potest; quod revera fecit in votis simplicibus tum Coadjutorum formatorum tum etiam nostrorum Scholasticorum quoad effectum alterum, irritandi matrimonium subsequens, non quidem absolute omnino et irrevocabiliter, sed pro tempore, quo his votis ligantur. — Gregorius XIII. „Ascendente": statuit atque decernit, eos ante dimissionem a Societate matrimonium contrahere non posse, ac contractus hujusmodi nullos et irritos esse.

Ante emanationem hujus Constitutionis hæc vota simplicia Coadjutorum Scholasticorumque hunc effectum non habebant annexum. — C. 1. D. 42: „propositum fuit, quomodo occurrendum esset illi incommodo, quod ex votis simplicibus Coadjutorum et Scholasticorum nasci posset; cum illi postquam admissi fuerint in Coadjutores formatos vel Scholasticos approbatos, possint, licet peccent, uxorem ducere, et matri-

monium erit validum; unde quærebatur, an consultum esset, tria vota solemnia emittere aliquando hujusmodi Fratres. Statutum fuit, nihil immutandum esse de Constitutionibus, vel de ratione votorum simplicium: si quid autem incommodi accideret, ut pro re nata provideretur; et ita exclusum fuit, quod de professione dicebatur." — Idem recurrit C. 1. D. 63.

Dubitatum aliquando fuit in casu occurrente post suppressionem Societatis, exstinctis privilegiis, de Scholastico approbato, qui, non solutus a votis, religionem deserens duxerat uxorem. Nunc post Breve „Dolemus inter" Leonis XIII. 1886, quo restituta sunt nostra privilegia, talis dubitationis non est amplius locus.

III. VOTUM SOLEMNE OBEDIENTIÆ.

Etiam hoc votum omnino æquiparatur voto obedientiæ solemni in 405
aliis religionibus approbatis iidemque ipsum sequuntur effectus. De his tamen non omnino consentiunt auctores; ponamus nonnullos.

Bouix, de jure regul. p. 1. sect. 3. c 4: „voti obedientiæ solemnitas est vis, huic voto ex Ecclesiæ dispositione alligata, reddendi irritabiles per Superiorem promissiones religiosi omnes, sive DEO sive hominibus post professionem factas, etiam de re sibi adhuc libera. Nam cum tales promissiones irritabiles non sint ex intrinseca efficacia trium votorum per se, et cum votum obedientiæ eas irritabiles tamen faciat, non provenit hæc irritabilitas nisi ex jure positivo, ex Ecclesiæ nempe ita disponentis voluntate. Sed vis hoc modo voto obedientiæ addita censenda est constituere ipsammet hujus voti solemnitatem. Nam certum est, adesse discrimen inter solemne et simplex votum obedientiæ, et votum solemne aliquid amplius habere, quam votum simplex. Jam vero præter hanc vim reddendi per Superiores irritabiles præfatas religiosi promissiones nihil assignari potest in voto solemni obedientiæ, quod non inveniatur in voto simplici. Ergo in ea vi solemnitas est voti obedientiæ."

Econtra Lehmkuhl, p. 1. n° 534. sqq.: votum solemne obedientiæ a simplici in religione non distinguitur, nisi subjectionis promissæ et acceptatæ majori firmitate ex utraque parte. Nam neque ille, qui simplici voto religiosæ obedientiæ ligatur, firmiter sese obligare, vel cum altero contrahere potest. — Quod quidam putant, voto simplici obedientiæ obligationem, quam subditi inituri sint sine Superioris consensu, reddi illicitam, invalidam vero solemni, videtur sufficienti fundamento carere. Nam etiam Professus votorum solemnium, sine consensu

Superioris se obligans ad aliquid, non invalide se obligat, sed firmiter se obligare nequit; i. e. in Superioris potestate est, hanc obligationem, si mavult, rescindere; quod nisi fecerit, Professi obligatio manet. — At idem dic de quovis stricti nominis religioso, etiam de simplicium votorum Professo; nam subjectio est ex lege ecclesiastica, quæ hanc facultatem Superioris *de statu religioso* pronuntiavit, non de voti solemnitate qua tali.

De cetero Professi eodem modo, atque omnes alii, obedientia obstringuntur, etiam eorum Superiorum, qui ipsi Professi non sunt. — C. 3. D. 21: „declaravit Congregatio, tales sive Professos trium votorum, sive non Professos, cum Rectores vel Ministri sunt (sacerdotes tamen), Professis quatuor votorum, qui apud illos versantur, seu etiam divertunt ex itinere, juxta regulæ communis præscriptum præesse posse, ac etiam debere; et vicissim hos ad obedientiam illis præstandam, ac subjectionem, juxta communem locorum, ubi illi præsunt, ordinem ac regulas teneri: quemadmodum et Constitutionibus ipsis, quæ subordinationem membrorum et unitatem capitis in gubernatione vehementer commendant, consentaneum est, et congruus ordo in omne bene instituta communitate necessarius maxime requirit." — C. 4. D. 22.

106 *Nota.* — In hoc voto solemni obedientiæ additur ad verba: »promitto obedientiam,« immediate: »et secundum eam peculiarem curam circa puerorum eruditionem.« Quæ verba non sunt votum proprium distinctum a voto obedientiæ, nec inducunt specialem quandam obligationem distinctam, sed adduntur propter rei gravitatem. — P. 5. c. 3. B: »promissio docendorum puerorum ac rudium hominum juxta Litteras Apostolicas et Constitutiones, non inducit aliam obligationem, quam reliqua spiritualia exercitia, quæ ad auxilium proximorum adhibentur; cujusmodi sunt confessiones et prædicationes, etc., in quibus quisque se debet occupare, juxta rationem obedientiæ suorum Superiorum. Quod autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de causa fit, ut sancta hæc exercitatio peculiari modo sit commendata et devotius curetur, propter singulare obsequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur; et quia facilius oblivioni tradi poterat, et in desuetudinem abire, quam alia magis speciosa, cujusmodi est prædicatio, etc.« — Experientia satis compertum est, non posse quid utilius institui in sacro ministerio, quam explicari catechismum, tum pueris, tum etiam adultis modo convenienti. Propterea ipsæ etiam Pontificum Bullæ iterum iterumque hoc munus commendant; quibus consonant Constitutiones. — C. 1. D. 138: »an præcipiendum esset Professis, ut per se exsequantur aliquando votum, quod faciunt de curanda institutione puerorum. Visum est Præposito Generali id committendum esse. Ille autem statuit, ut præter id, quod ad probationes pertinet, commendaretur valde hoc pium opus Professis, qui id exsequi deberent juxta Litterarum Apostolicarum et Constitutionum rationem. Pater quidem noster Ignatius injunxit singulis Professorum, ut semel per quadraginta dies id facerent.« — C. 2. D. 58: »præterea vero hoc tam sanctum exercitium visum est admodum

R. P. Generali commendandum; ne ullo unquam tempore illius oblivio in nostros animos irrepat, cum illud in votorum nostrorum formula complectamur. Curet itaque idem R. P. Generalis, ut Nostri frequentius, quemadmodum ipsi in Domino expedire visum fuerit, in hoc tam pio opere exerceantur.«

IV. Votum solemne Obedientiæ specialis.

„Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa missiones, prout in iisdem Litteris Apostolicis et Constitutionibus continetur." — Hoc est quartum votum, Professis peculiare, unde etiam vocantur Professi 4 votorum. 407

1. — Jam in Bulla „Regimini" hujus voti mentio fit, ex mente sancti Ignatii, qui voluit, Societatis finem apostolicum esse quam maxime universalem: „sciant omnes Socii, et non solum in primis professionis suæ foribus, sed quoad vixerint quotidie animo volvant, Societatem hanc universam et singulos, sub Sanctissimi Domini nostri Papæ et aliorum Romanorum Pontificum successorum ejus fideli obedientia Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur, et fide orthodoxa cognoscamus, et firmiter profiteamur, omnes christi fideles Romano Pontifici, tanquam Capiti ac Jesu christi Vicario, subesse: ad majorem tamen nostræ Societatis humilitatem, ac perfectam uniuscujusque mortificationem et voluntatum nostrarum abnegationem, summopere conducere judicavimus, singulos nos, ultra illud commune vinculum, speciali voto adstringi, ita ut, quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore exsistentes jusserint, ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascunque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, exsequi teneamur; sive miserint nos ad Turcas, sive ad quoscunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exsistentes, sive ad quoscunque hæreticos, seu schismaticos, seu ad quosvis fideles."

Iisdem fere verbis Julius III. „Exposcit", ubi addit: „et ad certiorem sancti Spiritus directionem," speciali hoc voto Professos adstringi. — Et Gregorius XIII. „Ascendente" edicit, quale sit hoc votum: „qui vero quatuor votorum Professi futuri sunt, ii tribus illis solemnibus substantialibus votis quartum similiter solemne addunt speciale summo Pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ, ob certiorem Spiritus sancti in missionibus ipsis directionem, ac majorem ipsorum mittendorum Sedi Apostolicæ obedientiam, majoremque devotionem, humilitatem, mortificationem ac voluntatum abnegationem."

Ex. c. 1. §. 5: „professa itidem Societas, præter tria vota dicta,

votum facit expressum summo Pontifici, ut Vicario, qui nunc est vel pro tempore fuerit, CHRISTI Domini nostri; nimirum ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico, quocunque gentium ejus Sanctitas jusserit, inter fideles vel infideles, ad res, quæ ad divinum cultum, et religionis christianæ bonum spectant."

P. 5. c. 3. §. 3. C.: „tota intentio quarti hujus voti obediendi summo Pontifici fuit et est circa missiones: et sic intelligi oportet Litteras Apostolicas, ubi de hac obedientia loquuntur; in omnibus quæ jusserit summus Pontifex, et quocunque miserit, etc." P. 6. c 2. § 13: „quando summus Pontifex, vel Superior hujusmodi Professos vel Coadjutores ad laborandum in vineam Domini mittet, nullum viaticum petere possint; sed se liberaliter repræsentent, ut mittantur, prout illis ad majorem DEI gloriam fore videbitur." — Decl. I: „id est, pedites vel equites; cum pecuniis vel sine illis. Et omnino parati esse debebunt ad id faciendum, quod is, qui mittit magis convenire, et ad majorem ædificationem universalem fore judicaverit." — P. 7. c 1. §. 1: „nec intellexit Societas particularem aliquem locum; sed ut per orbem in diversas regiones et loca spargeretur, cum optaret, quod factu optimum esset eligere; idque speraret futurum, si hanc ipsius distributionem summus Pontifex faceret." — Decl. B: „cum enim, qui primi convenerunt in hanc Societatem, ex diversis provinciis et regnis essent, nec eis constaret, inter quas regiones fidelium versari deberent; ne in via Domini errarent. promissionem illam vel votum emiserunt, ut summus Pontifex eos ad majorem DEI gloriam, et juxta ipsorum intentionem per orbem discurrendi, distribueret: et sicubi optatum spiritualem fructum non invenirent, ut inde ad alium atque alium locum majorem DEI gloriam et animarum auxilium investigando, se conferrent."

408 2. — Objectum hujus voti sic explicant Cap. Œtting. n°. 247: „objectum hujus voti immediatum sunt missiones in bonum animarum institutæ; mediatum vero sunt actiones omnes ad auxilium et profectum animarum facientes. Neque enim professus vi voti solum tenetur proficisci eo quo mittitur, sed debet ibi hærere, intentus functionibus, ob quas missus est, in animarum lucra et commoda exercendis." — Quæ vero hujusmodi opera exercenda sint, explicat Suarez t. 10. l. 6. c. 4. §. 8: „procurare pacem inter principes dissidentes; subvenire laborantibus in quocunque animæ periculo; seminare fidem et resistere hæreticis, juvare catholicos quocunque spirituali ministerio doctrinæ, aut sacramentorum. — Actiones autem misericordiæ corporalis, ut sunt redimere captivos vel similes, licet non videantur directe sub hoc voto comprehensæ, si

tamen sint ex his, quæ clericos decent, non videntur excludi, quia omnes possunt ad spiritualem profectum ordinari, sicut eas etiam Societatis Institutum amplectitur. Actiones vero defendendi Ecclesiam, vel resistendi infidelibus per arma et bella, licet sint opera charitatis, non tamen pertinent ad sacerdotes, et ideo clarum est hic non comprehendi, quamvis ab his missionibus non excludantur illæ, quæ fiunt sive in terra sive in mari adjuvando christianos milites et duces pro Ecclesia militantibus; nam hæc immediate pertinent ad finem spiritualem juvandi animas fidelium, et ultimate ordinantur ad pacem, et universale bonum spirituale totius Ecclesiæ. Nec obstat, quod materialis gladius interveniat, cum ille non per religiosos ipsos, sed per milites tractandus sit."

3. — Ad objectum hujus voti pertinent etiam quædam particularia 409
circa rationem, qua hoc votum exsequendum est. Nimirum:

a, — „Non requirere viaticum", est etiam ex obligatione paupertatis, qua omnes adstringuntur, etiam Coadjutores, sicuti expresse habetur P. 6. c. 2. §. 13. Attamen Ex. c. 1. §. 5. idem refertur ad hoc nostrum votum: „non petito viatico." Unde si Professus recusaret aliquam missionem adeundam, timens, ne necessaria desint ad vitam sustentandam, sive in itinere, sive in loco ipso missionis, offenderet contra hoc votum. Explicat Suarez, l. 6. c. 4. §. 10: „nec enim est inconveniens, ut eadem res sub diversis rationibus, cadat sub diversa vota, sicut etiam sub diversa præcepta."

b. — „Sine ulla tergiversatione aut excusatione." — Ad hæc advertit Sanchez: „iis verbis non prohiberi qualemcumque simplicem justi alicujus impedimenti repræsentationem, sed tantum excludi frivolas excusationes et ad labores et incommoda subterfugienda quæsitas." — Et Suarez: „excluditur per hoc votum excusatio voluntatis, non rationis: vel certe excluditur excusatio, quæ includat absolutum decretum non eundi, non vero illa, quæ in sola expositione rationabilis impedimenti consistit. Nam etiam cum excusatio videtur rationabilis, non licet absolute nolle parere, et hoc modo se excusare; quia si non obstante difficultate proposita Pontificis præceptum urgeat, illi omnino parendum est ex vi talis voti; nisi evidenter præceptum esset nullum, quod non potest præsumi aut timeri. Et e converso quamvis homo ex fragilitate, sine dolo et fraude tergiversaretur, insinuans difficultatem suam, et rogans excusari per ablationem præcepti, cum præparatione autem parendi, si Superior non condescendat, tunc non est peccatum

grave, licet esset imperfectio magna, et forte etiam peccatum veniale." — tr. 10. l. 6. c. 4. §. 11.

c. — „Quocunque gentium proficisci Sanctitas Sua nos jusserit." — „tum quia illi, ut totius Ecclesiæ capiti, major cognitio rerum ac necessitatum totius Ecclesiæ futura erat; tum etiam, quia sperandum merito putavit, distributionem ministrorum Societatis per Pontificem futuram esse optimam, et majori auxilio Spiritus sancti factam." — Suarez. l. 6. c. 4. §. 12.

— Per se clarum est, Papam, sicut potest mittere, sic etiam posse revocare, alia loca præcludere et prohibere; hoc enim sequitur tum ex verbis, tum ex fine hujus voti.

d. — Non licet pro se ipso intervenire apud Papam. — P. 7. c 1. §. 2: „nec Superior pro se ipso, nec quisquam alius ex inferioribus pro se, vel pro alio curare, nec tentare mediate vel immediate cum summo Pontifice vel ejus ministris poterit, ut residere, vel mitti potius in hanc partem, quam in illam debeat: sed inferiores hanc curam universam summo CHRISTI Vicario, ac Superiori suo; Superior vero, quod ad suam personam attinet, summo Pontifici et ipsi Societati in Domino relinquat."

410 4. — Cui per hoc votum obligentur Professi, et quomodo, multum interest distincte proponere, ut res ex omni parte clarior evadat.

a. — Hoc votum fit summo Pontifici, sicut verba ejus etiam directe indicant. Ad hanc rem habet Suarez tr. 10. l. 6. c. 4. §. 31: „nec refert, quod tale votum directe fit DEO, nam etiam includit promissionem factam Pontifici, quæ est materia illius voti, et per se magis obligat in suo genere, et facit ut votum sit gravius, et consequenter magis obligans. Nec etiam obstat, quod etiam votum obedientiæ in generali includat summum Pontificem, quia solum includit sub communi ratione Prælati hujus religionis; hoc autem votum directe fit Pontifici secundum se, etiamsi verum esset alias non esse Prælatum alicujus religionis. Quare in hoc voto considerari potest specialis proprietas, quod cum Præpositus Generalis aliquem Professum mittit in virtute hujus voti, proprie gerit vices Pontificis, et per specialem potestatem ab ipso datam exigit promissionem Pontifici factam."

Unde etiam est in Cap. Œtting. n° 250: „hoc votum ordinatur ad generale DEI obsequium per missiones in omnes orbis terrarum partes instituendas. Atque hæc tam late patentium locorum terramque assignatio non poterat facile, nec sine incommodis et offensione, fieri per Præpositum Generalem. Accedit quod, ut patet ex formula Instituti,

Societas ad certiorem Spiritus sancti directionem captandam respexerit in subjectione illa, sine qua Pontifex non comparasset sibi speciale jus in Professos Societatis, neque tam libere de his disponere potuisset. Denique patet ex Instituto, votum hoc inventum atque institutum esse ad majorem devotionem et obedientiam Sedis Apostolicæ."

b. — Est votum hoc solemne eo, quod Professus summo Pontifici quoad missiones irrevocabiliter totum se tradit et ab ipso accipitur, ita ut desinat esse sui juris quoad hunc effectum. — Suarez l. 6. c. 4. n° 39: „in hoc voto probabile est, totam ejus solemnitatem consistere in traditione omnino irrevocabili ex utraque parte, promissioni adjuncta, quam de seipso facit persona profitens, se vere tradens in dominium religionis; sic enim Professus Societatis specialiter se tradit in dominium et potestatem Pontificis quoad hunc effectum missionum, ita ut quoad illum non maneat sui juris, nec propriæ religionis, sed tanquam servus Pontificis; quam servitutem tota ipsa religio participat per hanc professionem, quam fideliter per hoc votum servare promittit. Præterea sicut in solemni voto obedientiæ ita subditur voluntas religiosi voluntati Prælati, ut desinat esse sui juris, atque ob eam rem omnes contractus facti a tali religioso, vel nulli sint, vel rescindi a Superiore possint: ita cum proportione de hoc voto dicendum est; nam in ordine ad missiones, atque adeo in ordine ad habitandum in hoc vel illo loco ita est Professus Societatis alieni juris, ut quidquid efficere vel contrahere velit, illi obligationi repugnans, validum esse non possit. Habet ergo hoc votum eandem solemnitatem, quam generale votum obedientiæ servata proportione."

c. — Obligat hoc votum eodem prorsus modo, quo votum obedientiæ generale, i. e. si Pontifex in virtute hujus voti imperet. Tum solum, et non alias, gravis imponitur obligatio Professo ad exsequendum mandatum. Aliter non erit gravis obligatio, quia in Societate non obligant graviter imperia, nisi sub hac formula: in virtute obedientiæ, vel: in nomine JESU CHRISTI, ut exponitur P. 6. c. ult. — Œtting. n° 249.

d. — Vi hujus voti Professus debet esse contentus habitare extra domum, etsi perpetuo inter extraneos versari contingat. Professa Societas, seu Professus Societatis, vi hujus voti domicilium certum nullum habet, sed est genus hominum vagans et volaticum, per orbem discurrens, quo imperia Pontificis et animarum salus procuranda ex illius voluntate vocat. In quem sensum sanctus Pater noster, P. 4. c. 2. B. dicit, Professos non habere „ita stabilem habitationem;" et Ex. c. 4. §. 27: illos debere per varias mundi partes currere. — Cap. Œtting. n° 248.

e. — Quodsi obligationem hanc specialem inspiciamus, qua Professi hoc voto emisso Pontifici præ omnibus aliis obstricti sunt, qui illi subduntur, hæc teneto:

α. — In genere ceteri fideles hoc modo Papæ non obligantur nec obligari possunt. — Cap. Œtting. n° 251: „imponitur omnino Professis obligatio nova eaque duplex. Prima est intensiva voti, quæ obligatio tam est distincta a priori illa, quam est distincta obligatio non furandi post votum non furandi factum, ab ea quæ prius erat ex nudo præcepto. Altera est extensiva, qua scilicet Professus obligat se ad actus, ad quos prius non obligabatur vi generalis subjectionis, quam communem habet cum aliis fidelibus. Quia hi generaliter non tenentur obedire Pontifici volenti eos mittere ad remotas regiones, Turcas etc., ut tenet Sanchez l. 6. Mor. c. 18. n° 5. Dixi, „regulariter," quia, ut idem ait, in casu speciali, in quo necessitas boni communis Ecclesiæ id postularet, alia ratio foret. Eandem sententiam tenet Castropalao, tr. 16. disp. 5. punct. 3. n° 3., asserens, in tali casu fideles obligari Pontifici ex subjectione, quam huic debent, tanquam universalis Ecclesiæ Capiti et CHRISTI Vicario." — Sed vix imaginari possumus, eum casum occurrere.

β. — Neque aliarum religionum religiosi tali obligationi subsunt. — Œtting. n° 252: „quod attinet ad religiosos aliorum ordinum, voto obedientiæ devinctos suis Superioribus et per hos summo Pontifici tanquam supremo religionum omnium Prælato Generali, idem dicendum est; nam ne hi quidem tenentur ex generali voto obedientiæ ad mandatum Pontificis conferre se prædicationis causa ad Turcas, Indos etc., eo quod hæc regulam ipsorum excedant; et eandem ob causam non posset Pontifex hos obligare, ut irent sine viatico, sine equo, ad quod tamen Professi Societatis adigi possunt a Pontifice, ratione et vi voti sui specialis, quod faciunt; unde patet, quomodo hoc votum in Societate addat obligationem extensivam præ aliis religionibus."

γ. — Quod idem fit etiam relate ad alios de Societate ipsa, qui non sunt Professi quatuor votorum. — Œtting. n° 253: „religiosus Societatis, post prima vota, obligatur quidem ad parendum Pontifici in tali missione (in quasvis mundi plagas), quum hoc regulam istius non excedat. Sed non obligatur ad id faciendum „sine viatico" et cet., quum hoc illis regula non imponat. Unde denuo patet obligatio excessiva hujus voti."

Et si etiam de Coadjutoribus dicitur P. 6. c. 2. §. 13: „quod nullum viaticum petere possint", et decl. I: „pedites vel equites, cum pecuniis vel sine illis", respondent Sanchez et Castropalao: Coadjutores non ex

voto speciali, sed tantum ex Constitutionibus teneri non petere viaticum, etc., quia Constitutiones non obligant ad culpam. Itaque si jussi a Pontifice ire in remotissimas partes, peterent viaticum v. g., non peccarent contra votum, sed violarent tantum Constitutiones. Quodsi instaret Pontifex et præciperet, ut absque viatico et pedites abirent, tenerentur vi voti obedientiæ generalis sic iter arripere, eo quod tenentur obedire secundum Constitutiones, quas præceptum hoc non excedit. — Denique generalis ratio discriminis in hac parte inter Professos quatuor votorum et reliquos omnes quoscunque de Societate hæc esse potest: obligatio obediendi istorum tota nititur Constitutionibus, estque secundum ea, quæ has non excedunt, adeoque tota nititur lege humana ecclesiastica, quæ non obligat cum periculo mortis, quod inter Turcas et infideles est manifestis imum. Religiosi tamen non obligantur ad subeundum hoc periculum, nisi in rarissimo casu necessitatis, in quo obligarentur etiam non religiosi. At vero vi quarti voti obedientiæ specialis obligatur Pontifici mittenti ad infideles etiam cum manifesto periculo vitæ obedire, quæ est obligatio gravissima."

5. — Inspiciamus demum motiva, quæ induxerunt sanctum Ignatium 411
ad speciale hoc votum in Societate JESU stabiliendum; ex dictis jam obvia sunt.

a. — Objectum ejus nobilissimum est et altissimum, tradere se dominio particulari summi Pontificis in re tanta, quæ est commune bonum Ecclesiæ et religionis.

b. — Actiones ex eo imperatæ præclarissimæ sunt: fidei propagatio et defensio ubi maxime periclitatur.

c. — Obligationes ejus accessoriæ de modo exercendi tantum ministerium, requirunt omnimodam sui ipsius oblivionem supponuntque cæcam quandam in Deo fiduciam: unde meritum maximum in his virtutibus exhibendis.

d. — Nec dicit hoc votum, uti adversarii fabulantur, mollem quandam adulationem summi Pontificis, econtra magnitudinem animi denotat in assistendo ei quoad urgentes Ecclesiæ necessitates. Quod videmus fecisse sanctissimos viros et apostolos, qualis sanctus Franc. Xaverius.

e. — Nec recte arguitur Societas audaciæ nimiæ cujusdam; nam Socii nostri statim ab initio eo modo educantur iisque principiis imbuuntur, quibus animi ad excelsa nobiliaque sacrificia offerenda in apostolatu formantur.

ARTICULUS QUINTUS.

DE VOTIS PROFESSORUM SIMPLICIBUS.

412 In Constitutionibus sanctus Ignatius ipse ordinavit, ut Professi vota etiam quædam simplicia emitterent: in P. 6. c. 2. §. 1. de non innovandis Constitutionibus in iis, quæ ad paupertatem pertinent; et in P. 10. §. 6. de non ambiendis dignitatibus ecclesiasticis. Attamen quoad vixit sanctus Pater noster, forma talium votorum non erat definita; quod factum est in C. 1. D. 102: „placuit Congregationi formula, et exsecutio hujusmodi emissionis votorum indicta est in S. Bartholomæi festum (quod ad præsentes attinebat) quod Romæ celebratur 25 Augusti, ut coram Præposito Generali, sine Communione, ne sacrificio missæ privarentur, vota sua facerent; et ita prædicto die a prandio in ipso loco Congregationis omnes Professi illa emiserunt, juxta formulam hic adjunctam."

Hujus pristinæ formulæ mutatio aliqua facta est in C. 3. D. 46: „verba illa: „tum si quem sciam id curare etc.", addita secundo voto simplici, quod Professi emittunt post professionem, reponantur post sequentem promissionem de non prætendenda prælatione aliqua extra Societatem, in hunc modum; „tum si quem sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere etc.", ut ita utrumque complectantur, scilicet quod de prælatione in Societate et de prælatione extra Societatem dicitur."

Abhinc igitur hæc formula tunc a Congregatione approbata sola authentica erat; unde, cum aliqui Professi provinciæ Germaniæ ex errore hæc vota simplicia juxta formulam pristinam emisissent, detecto errore, ex mandato P. Mutii defectum supplere cogebantur, 19 Sept. 1643: „Professi, qui ex antiqua formula vota simplicia post professionem emiserunt, quin adderent, se delaturos ambientes extra Societatem etc., suppleant omnino defectum illum, nominatim id ipsum coram Superiore vovendo." — Vota hæc sunt:

I. VOTUM DE NON RELAXANDA PAUPERTATE.

413 „Promitto, nunquam me acturum quacunque ratione, vel consensurum, ut quæ ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur, nisi quando ex causa justa rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis."

1. — Finis hujus voti est, ut spiritus ille sincerus et bonus, quo

primi in Societate animabantur, semper integer servetur vigeatque in bonum Societatis. — P. 6. c. 2. §. 1: „et quia humanæ naturæ hostis ad hoc propugnaculum ac refugium debilitandum (quod DEUS Dominus noster religionibus inspiravit contra illum aliosque religiosæ perfectionis adversarios) eniti solet, ea, quæ a primis Fundatoribus bene ordinata fuerant, immutando per declarationes, vel innovationes, primo illorum spiritui minime consentaneas: ut, quod in nobis situm fuerit, hac parte Societati prospiciamus etc." — sequitur votum. Rationes ejus:

a. — Paupertas est murus religionis firmus ejusque propugnaculum; ipsam servando servamus ejus vitam intimam totam, fortem et vegetam; quare nihil magis molitur diabolus, quam hoc propugnaculum evertere.

b. — Servatur quidem in religiosis familiis paupertas eo quod, quæ contra ejus legem fiunt, a Superioribus strenue puniantur et corrigantur; melius tamen eo, quod, quæ primitus recte circa eam ordinata sunt, impossibile sit mutari, ne per legem quidem contrariam latam.

c. — Optime igitur ii, quibus totius Societatis servandæ cura concredita est, i. e. Professi, qui in Congregatione Generali habent potestatem legislativam, modo quo fieri potest strictissimo prohibentur, ne in hac parte summa quam habent auctoritate abutantur ex humana fragilitate et in nocumentum Societatis totius.

2. — Est igitur obligatio hujus voti negativa, ut scilicet abstineant 414
a quibusdam actibus nocivis: „neque acturum neque consensurum;" proin non offenderet contra hoc votum Professus, qui passive tantum se haberet non resistendo talia conantibus. Sunt proin hi actus vetiti:

a. — Non licet Professo in Congregatione Generali suffragium ferre, ut paupertas relaxetur. — P. 6. c. 2. decl. A: „quod nunquam assentietur ad immutandum, quod ad paupertatem in Constitutionibus pertinet; nec in conventu Societatis congregatæ, nec per seipsum ulla ratione id curando."

b. — Non solum ab hoc in Congregatione Generali debet abstinere, sed Professus, ut ultima verba modo relata jam indicant, nulla ratione conari et efficere studere potest, ut paupertatis relaxatio introducatur. — Sic Gregorius XIII. „Ascendente": „se nunquam quacunque actione acturos vel consensuros." Consensus utique hic intelligitur cooperativus, qui in talem mutationem efficiendam efficaciter influit, v. g. omne consilium effectivum, omne votum consultativum efficax: magis etiam omnis favor positivus et omnis cooperatio in hanc rem efficiendam.

3. — Ut plenius intelligatur, quid sit proprie hujus voti objectum formale, attendamus ad modum duplicem, quo contingere potest, ut in religione paupertas et quæ circa eam sunt, mutentur:

a. — De facto mutatur relaxaturque in religione paupertas per transgressiones eorum, quæ in religione circa eam ordinata sunt. Quod quum non sit sine culpa, utpote contra promissionem DEO factam, Superiorum est, has contraventiones pœnis impositis coercere, ne in religionem malum paulatim irrepat infectivum totius communitatis.

b. — De jure paupertas mutari vel relaxari potest per ordinationem legitimæ auctoritatis, v. g. per Constitutionem summi Pontificis, penes quem est suprema potestas super omnes religiones; vel etiam per decretum potestatis in ordine legeslativæ, quæ est apud nos Societas professa in Congregatione Generali legitime constituta. Talis paupertatis mutatio sive relaxatio non est per se illicita, licet per eam pristinæ Constitutiones mutentur.

c. — Sed neque hac ratione licet in Societate legislativa ea relaxare, quæ juxta Constitutiones voti paupertatis materiam constituunt; quæ vero sunt virtutis et perfectionis in hac parte, ea prohibitione non comprehenduntur. — Nemo igitur non videt, hoc voto provisum esse remedium omnino efficacissimum servandæ pristinæ paupertatis puritatis, interclusa etiam ea via, qua alias ingredi omnino non est prohibitum, quaque in aliis materiis Societas pluries ingressa est.

415 *Coroll* 1. — Quum votum tantum sit de meliori bono et ideo non possit esse *impeditio* majoris boni, ideo non obligat hoc votum, quando ejus materia ita mutata est, ut servari non possit sine impedimento majoris boni. Neque oportuit hoc in ipso voto explicari, quia hæc conditio est generalis omnis voti, ut scilicet ejus obligatio cesset eo ipso, quod materia ejus vel inutilis facta sit, vel impeditiva majoris boni. Ut autem hoc sine scrupulo fiat, oportet ut sit evidens et certa mutatio illa facta ex parte materiæ; nam in dubio melior est conditio ipsius voti, cum de absoluta promissione constet.

Coroll 2. — Si Pontifex faceret Societati professæ aliquam concessionem, uti fecit regularibus Trident. sess. 25. de regul. c. 3., probabile est, hoc votum non obligare ad non acceptandam hanc concessionem. Sicuti Patres C. 2. D. 83. cesserunt illi concessioni Tridentini, ut videtur, non ex necessitate et obligatione prioris voti, sed quasi denuo illud confirmantes spontanee et mere voluntarie. — Suarez l. 6. c. 6. §. 15. et 16.

416 *Coroll* 3. — Hoc votum de non relaxanda paupertate, et tertium de non curanda et prætendenda prælatura extra Societatem Papæ

reservata sunt. — Paulus V. „Ex incumbenti." 31 Jan. 1618: „quod de cetero perpetuis futuris temporibus, cum clericis ejusdem Societatis super votis prædictis, nisi per Nos aut Romanum Pontificem pro tempore exsistentem dispensari nullatenus possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus et ordinamus; ac facultatem super votis prædictis dispensandi Nobis et Romano Pontifici pro tempore exsistenti reservamus." — Quod idem fecit et fortius etiam Urbanus VIII. „Vota quæ Deo fiunt, 25 Jan. 1631.

II. et III. Votum de non praetendenda Praelatura.

„Præterea promitto, nunquam me acturum vel prætensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam prælationem vel dignitatem in Societate eligar vel promovear." — „Promitto præterea, nunquam me curaturum prætensurumve extra Societatem prælationem aliquam vel dignitatem; nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia ejus, qui mihi præcipere potest sub pœna peccati." 417

De hac re habetur in P. 10. §. 6: „erit etiam summi momenti, ut perpetuo felix Societatis status conservetur, diligentissime ambitionem, malorum omnium in quavis Republica vel Congregatione matrem submovere, ac aditum ad dignitatem, vel prælationem ullam directe vel indirecte quærendam in Societate præcludere. Quod ut fiat, omnes Professi se nihil unquam ad eam obtinendam acturos, et quos agere animadverterint, delaturos, Deo ac Domino nostro voveant: et incapaces ac inhabiles ad prælationem quamvis habeantur ii, de quibus probari posset, quod eam ambiissent. Promittant etiam Deo ac Domino nostro, ad nullam etiam extra Societatem prælationem, vel dignitatem obtinendam se quidquam acturos, nec ad sui electionem ad hujusmodi munus, quoad ejus fieri poterit, consensum præstituros; si ejus obedientia, qui sub pœna peccati potest præcipere, eos non compulerit: sed unusquisque videat, qua ratione animarum saluti, juxta nostræ professionis humilitatem et submissionem, inservire possit; et ne Societas his hominibus, qui ad propositum sibi finem sunt ei necessarii, privetur."

1. — Per hæc duo vota igitur non tantum ea prohibentur, quæ in se mala sunt, sed ea etiam, quæ alias licita sunt vel indifferentia, quæque alias ex bono fine cohonestari et elevari possunt. Voti enim verba prorsus generalia sunt: „nunquam me acturum, curaturum, prætensurum"; et non restringuntur ad illicita tantum. Quod clarius fit ex analogia; ille enim, qui castitatem vovet, non solum promittit abstinere 418

ab actibus illicitis contra castitatem, sed etiam ab iis, qui alias v. g. in matrimonio, licent. Posset quidem contingere in aliquo casu particulari, ut expediat eligi Professum in prælaturam aliquam, puta episcopatum. Sed neque tunc tali Professo liceret, voto suo posthabito, episcopatum prætendere vel in sui electionem consentire; tum quia finis bonus, qui hoc modo intenderetur, etiam alia ratione compleri potest; tum vero maxime, quia, si exciperetur talis casus, multis fallaciis pateret via bonumque generale Societatis, quod hoc voto intenditur, omnino periclitaretur. — Sed proponamus accuratius illos actus, qui his votis comprehenduntur.

419 *a.* — Non comprehenduntur actus mere interni, i. e. desiderium vel cupido prælationis habendæ. Nam „prætendere, curare, agere," manifeste denotant propositi interni externationem in aliquid, quod sit causa obtinendi finis intenti.

b. — Neque videtur esse contra votum, si quis v. g. stimulatus desiderio ascendendi ad altiores tales dignitates, multam operam studiumque impenderet in acquirenda illa interna et externa, quibus capax fiat ad eas prælationes perveniendi. Excipias tamen, si accedunt ad hoc studium aliæ actiones externæ, directe tendentes in hunc finem. Nam si ille superbiæ reus quidem est et coram Deo ambitionis damnandus, tamen coram hominibus hujus vitii non est arguendus ex generali ista animi dispositione, cujus non exstant formales probationes. Et inde juste infertur, non lædi votum, quo intenditur prohibere eas actiones externas, quæ in obtinendas dignitates efficaciter influant.

c. — Econtra esset contra hoc votum, beneficiis præstitis et aliis rebus gratis exhibitis Superiorum favorem velle sibi comparare, quo facilius ab iis ad tales prælaturas promoveantur; necnon curare externis actionibus, ut ab istis magni æstimentur, quo facilius eorum opera hunc finem attingant. Utrumque enim est saltem indirecte: curare, prætendere, agere; imo, si de tali intentione ex modo agendi externe constat, sat directe contra votum agitur.

420 2. — Quum in hoc voto duæ res nominentur, nimirum prælaturæ et dignitates, plurimum refert scire, quidnam sint et an inter se differant.

a. — Extra Societatem prælatura accipitur esse munus ecclesiasticum altius, cui annexa sit jurisdictio ordinaria, puta plerumque episcopatus. Dignitas vero intelligitur ut plurimum cardinalatus, cui per se non est annexa jurisdictio. Attamen non est coarctandus verborum horum sensus ad cardinalatum et episcopatum solum, sed sumendus pro quolibet munere ecclesiastico altiori, sive „prælatura" et „dignitas" intelli-

guntur res esse diversæ, sive eadem res sub diversis et magis appropriatis verborum terminis.

b. — Intra Societatem „prælatura" est quodvis munus, cui annexa est jurisdictio in subditos, sive ordinaria seu cum ipso munere conjuncta, uti sunt munus Generalis, Provincialis, Præpositi, Rectoris; sive etiam delegata, uti sunt munus Vicarii, Commissarii, Visitatoris. Reliqua vero munera inferiora, puta Magistri novitiorum, Instructoris, Ministri hoc nomine non veniunt, licet habeant aliqualem jurisdictionem seu possint habere.

De „dignitatibus" vero intra Societatem expressum exstat C. 7. D. 44: „cum quæreretur, an nomen prælaturæ et dignitatis in Constitutionibus, votisque nostris expressum, pro eadem, an pro diversa re accipienda forent, Assistentibusque dignitatis nomen tribuendum esset: censuit Congregatio ex mente P. N. Claudii, dignitates ac prælaturas extra Societatem, ut inter se distinguuntur, accipiendas esse, Professorumque voto tam dignitates quam prælaturas caveri. In Societate vero prælaturas a dignitate non distingui, nec extra prælaturas dignitates in ea censendas: nec Assistentes Prælatorum nomine censeri, aut dignitatis in ea nomen obtinere."

Ad hæc scribit Suarez l. 6. c. 7. §. 15: posset tamen esse contra hoc votum, prætendere in Societate dignitatem aliquam extraordinariam, ut v. g. habere quasi jure proprio et personali suffragium in Congregatione Generali..... Hinc satis verisimile fit, acturum contra hoc votum, qui vacante Generalatu, prætenderet in Congregatione provinciali fieri se electorem Præpositi Generalis in generali Congregatione. Nam licet illud non sit munus perpetuum aut stabile, nihilominus juxta consuetudinem Societatis est res valde gravis, et participatio quædam jurisdictionis supremæ pro illo tempore in hac religione, et circa potissimum actum, qui in ea esse potest. De electione autem in Procuratorem non est eadem ratio, quamvis non careat scrupulo, propter suffragium decisivum, quod habet cum Præposito Generali in Congregatione Procuratorum, ratione cujus, et quia in eo munere totam suam provinciam repræsentat, sufficiens dignitas censeri potest ex his, quæ intra Societatem esse possunt."

c. — Comprehendit hoc votum ejusmodi sæculares prælationes, ex Urbani VIII. „Vota quæ DEO fiunt", 25 Jan. 1631: „insuper, cum sacris canonibus prohibitum sit omnibus personis ecclesiasticis, et præsertim regularibus, ne officia sæcularia acceptent et exerceant, negotiisque sæcularibus se immisceant: tenore præsentium, nedum prælationes seu dignitates ecclesiasticas extra ipsam Societatem exsistentes, sed

multo magis sæculares quascunque, ac quæcunque officia, quorum Officiales jurisdictionem ecclesiasticam vel laicalem de jure, usu vel consuetudine habent, seu quomodolibet extra ipsam Societatem exercent, sub prædicto voto et prohibitione hujusmodi comprehensa fuisse et esse, ac comprehendi debere, similiter declaramus et decernimus."

421 3. — In transgessores hujus voti quoad prælaturas et dignitates intra Societatem pœna decernitur in P. 8. c. 6. §. 2: „qui autem de ambitione hujusmodi (pro Generalatu) convictus esset, activo et passivo suffragio privetur, ut inhabilis ad eligendum alium, et ut ipse eligatur: nec in eam Congregationem, nec in aliam unquam admitti possit." — P. 10. §. 6.: „et incapaces ac inhabiles ad prælationem quamvis habeantur ii, de quibus probari posset, quod eam ambiissent." — Hoc ultimum idem dicitur in supra citata P. 8. c. 6. A., ita ut hæc pœna non incurratur nisi post sufficientem probationem, atque adeo post sententiam declaratoriam criminis; quod concluditur ex verbis positis: „convictus esse, probari potest." — Hæc pœna analoga similibus casibus in jure communi; et revera justissimum est, ut quis puniatur in eo, in quo peccavit. Et de facto indignum se præbet prælatione obtinenda, qui in ea prætendenda tanti criminis reus esset.

422 4. — Rationes, quæ justam esse ostendunt hanc Constitutionem nostram, undique afferri possunt; nimirum:

a. — Omnibus et singulis in Societate hoc voto remedium paratur quam maxime efficax contra perniciosam istam ambitionem, quæ in communitatibus maxime est quasi venenum corrosivum, et cujus in Societate nostra quodammodo facilior etiam præberetur occasio. Nimirum qui ad professionem admittuntur, per se sunt jam homines conspicui, doctrina aliisque donis animi ornati; plerumque etiam externis noti et ab ipsis in honore habiti. Et inde facilius fieri potest, ut tentatione superbiæ et vanitatis fortius impetantur propter humanam fragilitatem; fortius igitur oportet sit remedium ad has impugnationes reprimendas.

b. — In ipsius Societatis dein hoc votum vergit bonum. Semen enim uberrimum multiplicis inordinationis discordiarumque fomentum esset, si constaret, viam parari ad dignitates ecclesiasticas iis ex Nostris, qui aliis præcellunt donis tum naturalibus, tum etiam supernaturalibus. Et actum esset de integritate Societatis. — Præterea Societas ordinarie et ut plurimum per frequentes ejusmodi promotiones iis præcise hominibus privaretur, quibus ad suam ipsius gubernationem et ad ministeria quam maxime necessaria præ aliis indigeret.

c. — Et quid dicam, ipsa etiam Ecclesia catholica melius se habet hac nostra ordinatione; nam certa esse potest, si, non obstante hac nostra Constitutione, nihilominus ex Societate hinc inde homines ad munera ecclesiastica evocantur, compellente quadam necessitate, hos homines esse, ut ita dicam, omnibus numeris absolutos, dignissimos simul et aptissimos ad tantum gradum ascendendum. Cum enim pœnis superadditis, si quis emissum hoc votum transgrediatur, omnibus animis inquietis ingeniisque turbulentis frenum injiciatur, summus Pontifex eo facilius oculos conjicere potest in eos, qui vere digni sunt.

Nota. — Præter Professos, qui hoc voto vetantur prætendere vel accipere 423
prælaturam aliquam, ceteri omnes de Societate vi Constitutionum prohibentur, ne id faciant. — P. 9. c. 3. §. 13: »sine Præpositi Generalis facultate et approbatione nullus possit dignitatem ullam extra Societatem admittere: nec ille facultatem hujusmodi dabit, nec id approbabit, si Sedis Apostolicæ obedientia ipsum non compelleret.«

Hæc prohibitio de non quærenda et non accipienda dignitate ecclesiastica, in aliis ordinibus etiam exstat, cum contineatur in voto obedientiæ religiosæ; saltem eo sensu, ut religiosus animo paratus sit, non suscipere prælaturam, nisi Superior consentiat. In Societate JESU vero fortius inculcatur, nam:

a. — Eo ipso, quod uti speciale præceptum expressis verbis proponitur, majus pondus strictioremque obligationem secum trahit.

b. — Etiam magis, quum facultas dispensandi soli Præposito Generali reservetur, uti supra dictum est.

c. — Quæ Generalis facultas ab ipso dari non potest, nisi compellatur obedientia summi Pontificis. Ultra hoc non est fortius quid, quod posset opponi.

5. — Generalis autem non potest accipere dignitatem ullam, nisi 424
accepta licentia a Societate ipsa; hæc vero eam dare non potest, nisi jussa dare a Pontifice; imo ne deliberare quidem de hac re.

P. 9. c. 4. § 5: „quodsi quis urgeret [Præp. Generalem] (licet eum non obligando sub pœna peccati), ut dignitatem aliquam admitteret, in qua Præpositi officium necessario relinquendum esset, non posset sine consensu Societatis eam admittere. Societas autem, semper intuendo, quæ ad majus DEI obsequium et gloriam pertinent, si obedientia Sedis Apostolicæ non compulerit, assensum nunquam præstabit." — c. 5. §. 6: „si ageretur de dignitate, quam ut plurimum pati non potest Præpositi officium, si non compulerit talis obedientia summi Pontificis, quæ ad peccatum obligare posset, res in consultationem ne adducatur: sed id omnino tamquam certum tenendum est, nec debere, nec posse consemsum ad hujusmodi dignitatem admittendam præstari."

6. — Quodsi religiosus Societatis, sive Professus, sive non Professus, 425

legitime ad aliquam dignitatem vel prælaturam extra Societatem promotus est, secundum Suarez cessat pro eo omnis talis obligatio, sive voti sive mandati, quum taliter promotus, v. g. episcopus vel cardinalis, a strictiori vinculo obedientiæ Societatis solutus exsistat. — Suarez l. 6. c. 9. § 13: „dicendum est, hanc obligationem cessasse per subtractionem materiæ, quia materia hujus voti non est ambitio vel procuratio dignitatis absolute sumpta, sed respective, id est, respectu ejus, qui adhuc permanet in puro statu religiosi Societatis, ita ut sensus hujus voti sit non procurandi vel acceptandi transitum a religione ad talem dignitatem: semel autem facto transitu evacuata est materia voti, quia omnis alius transitus jam non est ejusdem rationis." — §. 14: „unde a fortiori colligo, Professum semel factum episcopum non teneri ex vi hujus voti renuntiare unquam episcopatui, vel ad hoc petere facultatem, etiamsi moraliter certus sit, fore concedendam; tum quia mutato statu cessavit obligatio hujus voti, ut dixi; tum etiam, quia ille non vovit non perseverare in episcopatu spontanee, absque vi præcepti, sed solum non acceptare illum sine præcepto. Quocirca, non solum si intelligat esse melius, verum etiam si moraliter sibi persuadeat esse necessarium ad suam salutem dimittere talem dignitatem, non peccabit contra hoc votum, id non procurando, sed peccabit contra propriam charitatem."

7. — Suarez l. 6. c. 9. §. 15: „probabilius existimo, materiam hujus voti non extendi ad summum Pontificatum; tum quia Constitutio loquitur de prælatione intra et extra Societatem: summus autem Pontificatus neque intra Societatem dici potest, ut per se constat, neque etiam extra Societatem, quia est prælatio universalissima supra omnem religionem et ipsam etiam Societatem."

IV. VOTUM DE MANIFESTANDO AMBIENTE.

426 „Tum, si quem sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto, illum remque totam me manifestaturum Societati vel Præposito ejus." — cf. C. 3. D. 46.

P. 10. §. 6: „omnes Professi se nihil unquam ad eam (dignitatem) obtinendam acturos, et quos agere animadverterint, delaturos, DEO ac Domino nostro voveant." — Et de electione Generalis in P. 8. c. 6. §. 2: „hoc medio tempore unusquisque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, teneatur Vicario manifestare, vel alicui ex antiquioribus Professis (qui cum Vicario conferet), si sciret aliquem hoc munus

affectasse, vel etiam tunc affectare, directe aut indirecte id procurando, vel signo aliquo id declarando." — Gregorius XIII. „Ascendente."

1. — Ratio hujus voti emittendi est utilitas et salus communis nostræ Societatis servanda. Charitas quidem, quam unusquisque erga Societatem gerere tenetur, postulat jam hanc manifestationem, quia quam maxime periculosum esset, si occulte serpere posset tantum vitium. Obligatio vero ex voto emisso desumpta tum clarior est, tum magis etiam stringit et urget; imo etiam latius patet, cum contineat omnes omnino casus delicti hujus manifestandi, etiamsi caritas non obligaret.

2. — De objecto hujus voti habet Suarez l. 6. c. 10. §. 6: „illa 427
ergo ambitio, quæ fuerit peccatum mortale contra votum illud (non ambiendi), est materia sufficiens in suo ordine ad hujus voti (manifestandi) obligationem; nullo enim certioıi modo potest hæc materia designari." — Amplius in C. 9. D. 13: „visum est Congregationi declarandum, votum Professorum denuntiandi eos, qui ambiunut, obligare ad denuntiandos etiam non Professos ambientes: et ad hoc, in quantum opus esset, pıæsenti Decreto eam obligationem extendendam." Hinc ambitus commissus a non Professo manifestandus est, quando idem patratus a Professo grave peccatum contra ejus votum esset.

3. — Quodsi ambitus delictum sub omni respectu dici posset præte- 428
ritum, ita ut in oblinendam dignitatem aliquam amplius influere non posset, tunc quidem obligatio manifestandi amplius non exsistit. Nam:

a. — Hoc indicant verba ipsa formulæ voti: „si quem sciam *curare, praetendere*" quæ sunt temporis præsentis. Quod idem est in P. 10. c. 6: „et quos *agere* animadverterint delaturos." — Etiam Gregorius XIII. „Ascendente": „si quem sciat aliquid hujusmodi *moliri.*"

b. — Ratio hæc est: etsi enim ex delatione delicti omni sub respectu jam præteriti universale bonum promoveatur seu promoveri possit, voti tamen non est hæc intentio, saltem non directa et præcipua. Dicit enim Suarez l. 6. c. 10. §. 17: „licet ex tali manifestatione sperari possit illa generalis utilitas, quod delicta non maneant impunita: tamen non est hæc, quæ præcipue per hoc votum intenditur, sed præcludere aditum ad quærendam vel obtinendam dignitatem per ambitionem; ad hunc autem finem satis est ambitionem, quæ aliquo modo durat, impedire."

c. — „Ut autem ambitio finita censeatur, non satis est mutasse voluntatem, vel egisse pœnitentiam prioris delicti; nec cum effectu

cessasse novam sollicitudinem et negotiationem ad dignitatem obtinendam; sed necesse est præteritum factum ita retractari seu impediri, ut effectum non habeat, i. e. ut ex vi negotiationis factæ dignitas non obtineatur, alioqui et finis primarius voti perseverat, et materia etiam durare virtualiter censetur. Et ad confirmandam totam hanc doctrinam facit, quod communiter doctores tradunt circa præcepta Superiorum inquirentium delicta in generali ad ea emendanda vel impedienda; excusant enim subditos ab onere talium præceptorum, quando delictum omnino cessavit, et nullum novum periculum omnino timetur." — Ibid.

429 *d.* — Excipitur autem per speciale præceptum ab hac non manifestandi præteriti delicti excusatione ille casus, quando post mortem Generalis agitur de electione successoris. — P. 8. c. 6. §. 2: „unusquisque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ teneatur Vicario manifestare, vel alicui ex antiquioribus Professis (qui cum Vicario conferet), si sciret aliquem hoc munus *affectasse*, vel etiam tunc affectare, directe aut indirecte id procurando, vel signo aliquo id declarando."

Ad hæc Suarez l. 6. c. 10. §§. 15. et 16: „hoc præceptum peculiare est et distinctum ab obligatione voti, et non habens locum in aliis dignitatibus vel prælationibus, sed solum in Generalatu, propter rei gravitatem; et idcirco specialiter extenditur ad præteritum tempus, quia ibi etiam consideratur dignitas eligendorum et fidelitas eligentium, et utriusque existimatio valde minuitur ex tali delicto, etiamsi præteritum sit. — Etiam in illo præcepto; illud præteritum „affectasse" non est extendendum ad totum tempus vitæ præteritæ, sed ab obitu Generalis usque ad tempus electionis, ut videtur declaratum a quarta Congregatione Generali in formula generalis Congregationis §. 21, ubi etiam declaratur, præceptum illud non tantum obligare respectu eorum, qui ad electionem congregati sunt, sed respectu omnium de Societate: „quicunque et ubicunque sint, qui ab obitu P. Generalis ad electionem usque, pro se aut pro aliis ambierint" [C. 7. D. 55 — C. 6. D. 35. §. 1.], quia nimirum de omnibus potest fieri electio, et omnes possunt electionem perturbare. — Præceptum autem manifestandi licet ibi non videatur imponi omnibus de Societate, sed solum ad electionem congregatis, nam ad illos tantum loquitur dicta Constitutio; tamen in formula Congregationis Generalis §. 82. extenditur præceptum sanctæ obedientiæ ad omnes, qui sciverint similem ambitionem, sive sint ex numero congregatorum, sive non; ibi vero non agitur quidem de electione Generalis, sed Assistentium; tamen ob identitatem rationis potest inde sumi argumentum, vel interpretatio prioris præcepti, quamvis in materia odiosa. Prædicto autem modo merito fit illa extensio ad

præteritum, quia quamvis forte ambitio cessaverit, effectus ejus moraliter durare censetur, ob temporis brevitatem; imo vix potest præsumi emendatio. At vero in materia hujus voti nulla est limitatio vel designatio præteriti temporis, et ideo in illa non fit hæc exceptio, alias quantumvis lapsus aliquis finitus jam esset, emendatus ac sopitus, excitandus esset propter obligationem hujus voti: quod nec charitati consentaneum est, nec Societati necessarium aut utile."

4. — Quæritur, utrum obligatio hujus voti sit ad faciendam denuntationem judicialem, quam vocant, an vero sufficiat denuntiatio paterna vel fraterna? — Suarez l. 6. c 10. §. 9: „quando circumstantiæ non juvant, ut denuntiatio judicialis fieri possit, paterna autem seu fraterna, aut quocunque alio nomine vocetur delatio alia ad Superiorem, commode et utiliter fieri possit, illa erit sufficiens materia hujus voti, quia per illam satis expletur, quia solum seu indistincte promissa est manifestatio Superiori: unde non est dubium, quin ad illam faciendam tunc obliget hoc votum. Si autem judicialis denuntiatio commode fieri possit, etiam poterit fieri *licite*, constatque sufficientem esse ad hoc votum explendum. Existimo autem immediate non cadere sub obligationem ejus, quia plus involvit, quam promissum sit. Semper ergo satisfiet voto huic simpliciter manifestando rem Superiori, qui judicabit an debeat procedi ad denuntiationem judicialem, poteritque obligare subditum, ut illam faciat, si expedire censuerit, si non in virtute hujus voti, saltem in virtute obedientiæ, quod satis est." 430

5. — Obligatio faciendæ denuntiationis vi hujus voti tunc demum oritur, quando alicui de patrato delicto certe constet. Verba enim: „si quem sciam," accipienda sunt sensu suo nativo et consueto, quo indicant scire rem cum morali certitudine; quo sensu etiam in jure sumuntur. Ad hæc Suarez l. 6. c. 10. §. 12: „ad hanc vero scientiam non oportet, rem esse visam, aut proprio experimento cognitam; nam si certa humana fides per testimonia fide digna de illa habeatur, satis erit; nam hæc sufficit ad moralem certitudinem." 431

Inde vero non sequitur, non licere Superiori rem manifestare, nisi habeatur moralis hæc certitudo. Nam Suarez §. 13: „quocirca, licet in casu solius suspicionis vel opinionis non satis certæ, obligatio hujus voti non cogat, nihilominus sæpe poterit manifestatio esse licita, si pure et simpliciter fiat in eo gradu, in quo notitia habetur, eo fine ut Superior ea cognitione instructus, attentius vigilet et prudenti modo

perspiciat, an res illa majus habeat veritatis fundamentum, vel si nullum invenerit, ut etiam suspicionis occasio tollatur."

432 6. — Quodsi quis habeat certitudinem de patrato peccato sufficientem, quam explicavimus, non requiritur, ut res etiam sit nota aliis. Potest quidem hæc obligatio deferendi delictum aliis adhuc incognitum valde ingrata esse et molesta ei, qui notitiam ejus solus habet; attamem bonum commune Societatis tunc prævalet incommodo privato, quo quis premitur. Imo etiam in casu, quo argumenta vel testimonia de commisso crimine afferri non possunt, Superiori tunc fit occasio et facultas, rei ulterius inquirendæ et, si res postulet, avertendi a Societate periculum imminens.

Advertendum demum est, in hac obligatione manifestationis faciendæ eum, qui sciat rem, teneri tantum ad servandum secretum naturale juxta regulas a theologis moralibus propositas; et etiam ex promissione forte facta de non revelando delicto materiam hanc omnino non mutari. Aliter tamen est de servando secreto commisso, si nimirum alicui res communicatur ab eo, qui consilium petit, vel ad solvendos scrupulos ipsum adit. Tunc res sub secreto clauditur, sicut etiam alias.

433 *Nota.* — Ut hæc denuntiatio fiat, non est necesse præcedere monitionem privatam. Hanc enim votum nostrum non supponit nec suggerit; et juste, cum intendatur directe quidem correctio fraterna, sed non minus avertere a Societate malum imminens.

V. VOTUM DE AUDIENDO GENERALI.

434 „Insuper promitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Præsidem alicujus Ecclesiæ promovear, pro cura, quam de animæ meæ salute ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Præpositum Societatis Generalem, ut nunquam consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consiliis vero hujusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam quæ mihi in mentem venerint, judicabo. Omnia intelligendo juxta Societatis JESU Constitutiones et Declarationes."

Explicatur quodammodo in P. 10. §. 6: „non quod habeat, qui Prælatus est, aliquem de Societate Superioris loco; sed quod sponte in DEI conspectu vult ad id faciendum obligari, quod ad divinum obsequium melius esse intellexerit; quodque placeat esse aliquem, qui

sibi cum charitate ac libertate christiana ad gloriam Dei et Domini nostri id proponat."

1. — Sensus hujus voti non est, manere Professum sub obedientia Generalis; nam etsi Professus per promotionem v. g. ad episcopatum, non solvatur a voto obedientiæ religiosæ, manet tamen eo obstrictus solum erga Papam uti Superiorem omnium religiosorum; aliis vero, nec ipsi Generali, non est amplius subditus, uti dicitur P. 10. §. 6: „non quod habeat, qui Prælatus est, aliquem de Societate Superioris loco." Quod idem clarum est ex ipso tenore verborum hujus voti. — Nec fieri potest, ut episcopus subsit obedientiæ religiosæ erga alterum, saltem non in iis, quæ spectant ad gubernandum gregem suum; nam hoc esset in præjudicium jurium summi Pontificis. — Unde etiam est, quod sanctus Ignatius non vult Professum episcopum obligare ad sequendum simpliciter ipsius consilium, quod esset saltem obedientia implicita. Sed tunc demum nascitur obligatio voti, quando Professus, meditans de iis, quæ ex consilio Generalis ipsi suggeruntur, intelligat, ea meliora esse, quam sensa propria. Et in hoc præcise est utilitas voti.

2. — Nimirum efficacia et utilitas hujus voti exprimitur ipsius sancti 43
Ignatii verbis, in P. 10. §. 6: „quod sponte in Dei conspectu vult ad id faciendum obligari, quod ad divinum obsequium melius esse intellexerit; quodque placeat esse aliquem, qui sibi cum charitate ac libertate christiana ad gloriam Dei et Domini nostri id proponat." Duplex proinde utilitas juxta Suarez l. 6. c. 9. §§. 5. 6. et 7:

a. — „Rectum ac sanum prudentiæ judicium maxime pendet ex sapienti consilio; nullus est enim hominum, qui sibi sufficiat, et præsertim in tanta rerum varietate ac difficultate, quanta in publica administratione occurrit.... Quodsi hoc verum est in quocunque regimine, multo magis in animarum gubernatione, quæ est ars artium. — Accedit, quod non solum consilia rerum agendarum, sed etiam, quæ per modum admonitionum, de præteritis factis dantur, necessaria sunt his, qui gubernant. Raro autem inveniuntur, vel principes, qui admoneri patiantur, vel fideles amici, qui veritatem, omissa adulatione, sincere consulant." — At hoc votum utrique huic defectui medetur.

b. — „Altera vero utilitas est, quia non solum obligatur talis persona, ex vi hujus voti ad non detrectandum audire hujusmodi consilium, sed etiam ad exsequendum illud, si melius et gratius Deo esse judicaverit. Quæ conditio prudenter addita est, quia non debuit epis-

copus, qui jam non est Prælatis Societatis subditus, vel judicium suum judicio Præpositi submittere, vel agere contra judicium suum, si aliud melius esse judicaverit, quam quod Præpositus consulit. Neque ob eam rem est parvi momenti votum illud; quia non ordinatur ad illuminandum intellectum (ut sic dicam), sed ad firmandam voluntatem circa id, quod melius est, satisque magna obligatio est, qua homo adstringitur ad faciendum id, quod ad divinum obsequium melius esse intellexerit."

436 3. — Duplex igitur est hujus voti obligatio: non detrectare audire consilium, et casu quo illud sequi.

a. — Non detractare audire consilium, quod vel Præpositus Generalis per se, vel alius ab ipso constitutus dare dignabitur. Dicitur autem detrectare, quando vel omnino nolit tale consilium audire, vel certe quando tam acerbe illud tulerit, ut sibi multum displicere significet; nam hæc est non solum virtualis et indirecta, sed moraliter loquendo satis etiam expressa detrectatio. — Patet autem, consilium illud esse debere de rebus in voto contentis: quæ pertinent vel ad propriæ animæ salutem, vel ad debitam episcopalis muneris administrationem, uti clare dicitur.

b. — Tunc sequi consilium datum, quando illud melius esse judicaverit, quam quæ ipse sentit. Non vovet igitur Professus, in omnibus facere, quæ meliora sunt vel meliora esse ipse judicat, etiam abstractione facta a consilio ex parte Societatis sibi dato; sed tunc demum, quum meditans de consilio sibi dato a Generali vel ejus substituto sibi dicere debeat, meliora esse illa, quam propria sua sensa. Unde etiam est, quod ille, qui episcopo consilium suum vult suggerere, serio et caute præmeditetur, quæ et qualia dicturus sit.

437 4. — Generali ipsi vel Societati non nascitur obligatio dandi consilium, neque ex voto, neque ex Constitutionibus. — P. 10. decl. A: „non tamen obligatur Societas ad hoc munus suscipiendum, quandocunque alicui ex ea episcopatus esset admittendus; imo libera manet, ut id oneris et relinquere, et assumere possit, ubi multum referre ad Dei obsequium judicaret."

Omnis ergo obligatio Societatis in hac parte est tantum ex caritate, qua movetur erga proximum; quæ caritas non est quidem illa communis tantum, sed specialis et fortior erga personam suæ maternæ prædilectionis. Et hoc præcise est, quod intendit Societas in hac Constitutione; remanet enim Prælatus filius Societatis, quem proin hæc

sincero et materno affectu complectens juvare vult in rebus tam arduis, suæ salutis nimirum et administrationis. Et hoc decet omnino, quia Prælatus ille semper est de Nostris, Societatisque multum interest, ut omnia circa ipsum bona, imo meliora et optima sint. — Sequuntur corollaria quædam de iis, quæ hæc vota simplicia respiciunt.

Coroll. 1. — Hæc quinque vota post professionem edita natura sua 438
sunt simplicia, in quo differunt a solemnibus quatuor prius emissis.

a. — Gregorius XIII. „Ascendente": „post emissam vero professionem, sive quatuor sive trium votorum, Professi ad paupertatis, quæ regularis Instituti murus est et propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occasionem excludendam, nonnulla alia *simplicia* vota emittunt." — C. 1. D. 102: „de forma votorum *simplicium*, quæ post professionem emittenda esse in Constitutionibus dicuntur etc." — C. 3. D. 46: „verba illa: tum si quem sciam id curare etc. addita secundo voto *simplici*, quod Professi emittunt etc." — Ex his colligitur, ex mente Instituti hæc vota tanquam simplicia accipi, et ea intentione etiam emitti.

b. — Et hoc sequitur etiam ex natura horum votorum quinque, quæ omnia referuntur ad futura quædam contingentia. Non sunt enim pars istius firmissimæ traditionis de præsenti, qua quis religioni formaliter se dedicat et tradit, et ab ipsa irrevocabiliter accipitur; neque ordinantur ad firmandam et definiendam hanc solemnem traditionem, sicuti est in votis religionis ipsis et in quarto voto solemni. Econtra respiciunt hæc vota tantum futura quædam, facienda vel omittenda in quibusdam casibus forte occurrentibus, ad tollenda vel potius præcavenda quædam obstacula perfectionis religiosæ assequendæ, et ad pericula a Societate avertenda.

c. — Similiter est quoad differentiam horum votorum a quarto voto solemni de obedientia speciali circa missiones. Nam sicuti tria vota solemnia respiciunt media ista essentialia religiosæ perfectionis acquirendæ, sic hoc votum quartum solemne respicit directe perfectionem acquirendam Apostolicam, quæ est in Societate summa et juxta Institutum maxime propria. Hæc vero vota quinque non sunt simpliciter necessaria ad finem etiam hunc Instituti consequendum; sed fiunt tantum ad quædam obstacula removenda, quæ integritati Instituti fortasse obstent. Et sic non sunt necessaria et essentialia, sed utilia tantum.

d. — Neque his quinque votis effectus quidam morales adjuncti sunt, sicut in votis solemnibus, neque ex jure communi, neque ex

jure proprio Societatis. Et hæc est ratio, quod Professi trium votorum, qui etiam hæc quinque vota simplicia emittunt, non vero quartum votum solemne, non aggregentur illi gradui in Societate, qui in ea summa jura obtinet eamque juridice in Congregatione generali repræsentat.

439 *Coroll.* 2. — Quamvis hæc vota sint simplicia, eorum tamen primi et tertii dispensatio Papæ reservata est. — Paulus V. „Ex incumbenti," 31 Jan. 1618: „cum vero vota hujusmodi [de non relaxanda paupertate et de non procuranda dignitate extra Societatem] laudabilibus prædictæ Societatis institutis convenientia sint: Nos ad eximios et uberes fructus, quos ejusdem Societatis clerici in agro Dominico in dies faciunt, considerationis Nostræ dirigentes intuitum; ne Societas prædicta processu temporis aliquod in spiritualibus detrimentum faciat, quantum cum Domino possumus, providere volentes; supplicationibus ejusdem Mutii Præpositi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: quod de cetero perpetuis futuris temporibus, cum clericis ejusdem Societatis super votis prædictis, nisi per Nos aut Romanum Pontificem pro tempore exsistentem dispensari nullatenus possit, Apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus et ordinamus; ac facultatem super votis prædictis dispensandi, Nobis et Romano Pontifici pro tempore exsistenti reservamus."

Dein Urbanus VIII. „Vota quæ DEO fiunt" 25 Jan. 1631: „Nos volentes quæcunque dubia de medio tollere, ac attendentes, servitio DEI et prædictæ Societatis quieti valde expedire, ne ipsius Societatis religiosi, qui prædicta vota emiserunt, immemores eorum professionis, qua contemptis honoribus, abjectis divitiis spretisque deliciis, arbitrium proprium alterius ditioni subjugarunt, retro aspiciant ad aratrum manum mittentes, ut solium prælaturæ seu dignitatis extra eorum religionem conscendere moliantur; supplicationibus ejusdem Mutii Præpositi Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas litteras Pauli prædecessoris Nostri, tenore præsentium, confirmamus et approbamus, et quatenus foret opus, etiam ex Nostra certa scientia innovamus."

440 *Coroll.* 3. — Transgressio horum votorum est casus reservatus. — C. 5. D. 57: „statuit Congregatio, ut ad casus reservatos supra Decreto 51. addantur peccata contra simplicia vota, quæ Professi emittunt post professionem: ac præterea censuræ Societatis nostræ duntaxat, prout in eo Decreto 51. judicatum fuerat considerandum esse."

441 *Coroll.* 4. — Etiam Professi trium votorum hæc vota emittunt. — C. 4. D. 54: „Professi trium votorum emittere debent post suam

professionem vota simplicia, quæ Professi quatuor votorum post professionem emittere solent." — Reg. Prov. 71. — Quodsi Professus trium votorum admittatur ad professionem quatuor votorum, sicuti vota solemnia, sic etiam hæc quinque simplicia iterum facere debet, perinde ac si nihil præcessisset Etiam formularia authentica pro archivio Romano et provinciali iterum conficienda sunt; „quia novus est gradus." — Claudius 24 Maii 1587.

Coroll. 5. — Si contingat, professionem factam esse invalidam et proin iterandam, etiam hæc vota iterentur necesse est. — Cons. 1640: 44
„vota simplicia professionem invalidam subsecuta, etiam sunt repetenda, partim ne formula eorum sit falsa, partim quia innituntur professione, qua ruente et ipsa ruunt." — Austriæ 1640: „vota ista Professorum (simplicia) repetenda sunt, quoties professio ob quamcunque demum causam invalida fuerit, tum quia innituntur professione, tum quia alias formula eorum esset falsa."

Coroll. 6. — Ritus in emissione horum votorum observandus ita describitur in „Libro ceremoniali domus professæ Romanæ" l. 2 c. 5: 44
„absoluto Sacro revertuntur modo prædicto in sacristiam, ubi in sacello parvo Pater Generalis, exutus vestibus sacerdotalibus, sedet in sedili parato, assistentibus memoratis ministris missæ Quilibet Patrum genuflexus ante illum edit reliqua vota sua, quibus omnibus finitis, eos Pater Generalis amplectitur, uti et alii ministri." — Quæ eadem in hac quoque provincia observari voluit R. P. Noster, petente Congregatione provinciali 1665. — Esse vestes sacerdotales prius exuendas, monuerat jam ante 9 Maii 1616 Pater Mutius: „admittens vota simplicia in alio loco debet prius exuere vestes sacerdotales." — „Uti potest ad legenda hæc vota novus Professus eo exemplari, quod in usum provinciæ descripsit; quod idem deinde tradit Patri Provinciali in archivio provinciæ asservandum." Œtting. 209. — Usus est in provincia nostra Germaniæ, ut non solum admittens amplectatur, sed omnes Socii, qui adsunt.

ARTICULUS QUINTUS.

DE JURIBUS PROFESSORUM.

1. — Per professionem quatuor votorum in Societate nostra factam 44
Nostri in omnibus juribus æquiparantur religiosis solemniter professis in quocunque ab Ecclesia approbato ordine, qui religioni se tradunt et ab ipsa acceptantur.

Societati igitur sunt intime incorporati, sicuti est in P. 5. c. 1. A: „non quod ejns corpus alia membra non habeat, sed quod hi sint in Societate præcipui." Inde est, quod ex Societate dimitti non possunt, nisi ex causis gravissimis. — P. 2. c 1. A: „si retineri sine detrimento Societatis ac divini obsequii non posse judicaretur." Et decl. C: „nisi res ad Præpositum Generalem delata et gravi consideratione expensa foret"; „si contumax vel incorrigibilis esset."

2. — Ex Professis quatuor votorum tota fere Congregatio Generalis convocatur, quæ juridice cum Generali Societatem repræsentat ejusque summam auctoritatem obtinet. Professi quatuor votorum jus habent ad omnia munera Societatis, eo sensu, ut eorum capaces sint, si, positis ponendis, rite et legitime ad ea vocantur. In Congregatione Generali fruuntur voce activa et passiva. — Plura de his postea.

3. — Liberi sunt a publica votorum renovatione et a triduo aliisque exercitationibus, quæ eam comitantur, cum hæc renovatio ex claris Instituti verbis fieri tantum debeat ab iis, qui ultima vota nondum emiserunt.

4. — Non tenentur ad bis in anno reddendam rationem conscientiæ, sed sufficit ordinarie, si semel reddant. — P. 6. c. 1. §. 2: „ea de causa tam omnes Professi, quam formati Coadjutores, semel singulis annis (et quoties præterea Superiori visum fuerit) ad suas conscientias in confessione, vel secreto, vel alia ratione eisdem aperiendas, propter magnam ejus rei utilitatem (ut in Examine dictum est) parati esse debebunt."

Sic ordinarie; sed exstant plura Responsa, quibus accuratius res definitur. — Mutius 11 Dec. 1638: „Graduati debent esse parati ad eam reddendam immediato Superiori, si Provincialis eo anno non exegerit." — Et 23 Aug. 1638: „potest immediatus Superior etiam a Graduatis jure suo eam exigere singulis annis, licet Provinciali reddiderint juxta regulam Summarii 40." — Vincentius Carrafa 1648: „Graduatos, i. e. Professos et Coadjutores formatos teneri reddere rationem conscientiæ Superiori locali, licet eam reddiderint Provinciali sub visitatione." — Et hanc declarationem suam fecit R. P. Roothaan 1847 in Congregatione Procuratorum Romæ. — R. P. Anderledy 8 Maii 1889: „ex regula teneri, si vocantur; laudabilis tamen mos est, ut etiam non vocati adeant domus Superiorem, ut aperiant animam, tempore exercitiorum vel alio opportuno." — Vide etiam n° 569.

5. — Similiter non obligantur ad bis per annum faciendam confessionem generalem, sed semel tantum. P. 6. c. 1. §. 2. — Tempus non est definitum, sed agunt de eo plura Responsa.

Resp. Germ. 1613: „Professi et formati Coadjutores possunt generaliter confiteri in exercitiis, quocunque anni tempore illa obeant." — Mutius 1639: „Graduati possunt facere confessionem generalem tempore exercitiorum uni ex propositis in renovatione, dummodo Superiori constet, quando et cui confessi sint." Superiori igitur saltem indicent oportet. — Austriæ 29 Jan. 1633: „fere habet consuetudo, ut id faciant sub initium novi anni." — Gallobelg. 2 Febr. 1619: „etiam Graduati possunt tempore utriusque renovationis votorum confiteri confessariis designatis, si generaliter confiteri velint."

Juxta hæc, quæ dicta sunt, habet Consuetudinarium antiquum Prov. Germaniæ c. 2. n° 13. „Professi et formati Coadjutores faciunt confessionem generalem vel circa novum annum vel, si malint, in exercitiis annuis; et tunc monendus est Superior, si alteri quam ordinario confiteri vellent. Ut autem constet, an illi omnes regulæ satisfecerint, circa novum annum singuli significent, cui et quando confessi sint." — Et Consuetudinarium novum Germ. c. 2. n° 53: „Professi et formati Coadjutores confessionem generalem peragunt vel in annuis exercitiis, vel, si malint, circa novum annum, præmonito Superiore, si alii quam ordinario confiteri velint."

R. P. Beckx 7 Febr. 1881: „confessarii, ad quos accedunt Nostri annua exercitia obeuntes, præditi sunt facultate absolvendi a casibus et censuris in ordine reservatis." — Idem R. P. Anderledy 16 Maii 1884, ex mandato Congregationis Generalis 23. D. 47.

6. — Graduati non sunt amplius sub cura Præfecti spiritualis. — Claudius Franciæ 1601: „de Præfecti spiritualis munere consulti alias rescripsimus, quod ad Professos et Coadjutores attinet, satis esse, ut de rebus suis agant cum confessario. Quoniam præsupponendum est, eos, qui admissi sunt ad gradus illos, directione illa spirituali non egere, quam Præfecti sibi commissis ex officio præbere debent. Itaque neque illud est necessarium, ut confessarii singulis mensibus more Præfecti eos alloquantur; sed ut juxta confessarii officium singulos juvent, quatenus opus est."

7. — Graduati juxta mentem Instituti excellant præ ceteris studio perfectionis, ita ut externis præceptis non tantopere amplius indigeant. — P. 6. c. 3. §. 1: „quoniam habita ratione temporis, ac approbationis vitæ quæ exspectatur, ut aliqui ad professionem, vel in Coadjutores formatos in Societate admittantur, tanquam certum ducitur, eos viros spirituales futuros; et qui sic in via CHRISTI Domini nostri profecerint, ut per eam currere possint, quantum corporis valetudo, et externæ occupationes charitatis atque obedientiæ permittent; non videtur in

iis, quæ ad orationem, meditationem, et studium pertinent, ut nec in corporali exercitatione jejuniorum, vigiliarum, aut aliarum rerum ad austeritatem, vel corporis castigationem spectantium, ulla regula eis præscribenda, nisi quam discreta charitas unicuique dictaverit: dum tamen semper confessarius consulatur, et ubi dubium acciderit, quid conveniat, res ad Superiorem referatur."

SECTIO SECUNDA.

De Coadjutorum votis emittendis.

445 Quæ supra dicta sunt de præparatione ad professionem faciendam, omnia etiam referuntur ad hunc actum emittendi vota publica Coadjutorum: exercitia vel triduum, mendicatio, confessio generalis, ratio conscientiæ. — Etiam quæ spectant ad externam celebrationem hujus actus, eadem sunt atque in Professis: in ecclesia vel oratorio, coram domesticis et externis, in manus ejus, qui nomine Societatis admittet. — P. 5. c. 4. §. 1. — In his quoque votis ultimis externa celebritas major est, quam in votis Scholasticorum, ut appareat, eos intimius Societati conjungi et definitive ei incorporatos esse. — Restat igitur, ut ea referamus, quæ discrepant a votis Professorum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IPSIS VOTIS COADJUTORUM.

446 Hæc vota Coadjutorum sunt vota substantialia religionis, publica quidem, tamen simplicia.

1. — Tanquam simplicia vota ab Ecclesia describuntur. — Paulus III. „Exponi nobis" 1546: „ad majorem eorum (Coadjutorum) devotionem et amplius meritum, vota paupertatis et castitatis ac etiam obedientiæ (... nec propterea ad aliquam solemnem professionem emittendam teneantur) emittere valeant." — Julius III. „Exposcit" 1550: „post sufficientes probationes et tempus in Constitutionibus expressum vota sua ad devotionem et meritum majus, non quidem solemnia...., sed quibus teneantur, quamdiu Præpositus Generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere debeant." — Gregorius XIII. „Ascendente" 1584: „in Coadjutorum spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota similiter publica, sed simplicia, in Superioris manibus emissa, admitterentur."

2. — Tanquam vota simplicia etiam ab ipsa Societate accipiuntur, eaque intentione ab emittente proferuntur. — Ex. c. 1. §. 9: „et ii quidem (Coadjutores spirituales et temporales) post experimenta et probationes vota simplicia obedientiæ, paupertatis et castitatis (omisso quarto ad summum Pontificem pertinente, et alio quovis solemni) debent emittere." — Ex. c. 6. §. 8: „omnes Coadjutores oblationem suam trium votorum facient (quæ publica, licet non solemnia sint juxta Litteras Apostolicas Julii III.) obedientiæ, paupertatis et castitatis, ut initio diximus; et exinde Coadjutores formati vel spirituales vel temporales censendi sunt etc." — P. 2. c. 1. A: „post vota sua publica, licet non solemnia (Coadjutores dimitti possunt)."

P. 5. c. 4. §. 1: „qui in Coadjutores formatos spirituales cum simplicibus votis, et non solemnibus, admittuntur, in Ecclesia etc." — Etiam decl. A et B: „in manibus fieri vota dicuntur, quando emittuntur coram aliquo, qui cum ad id habeat potestatem, ea admittit. Et quamvis multi adessent, cum hujusmodi vota fiunt, non ideo tamen mutant naturam simplicium; quandoquidem intentio emittentis et admittentis, juxta traditam a Sede Apostolica facultatem, hæc est, ut nec emittantur nec admittantur ut solemnia." — „Quod dicitur: juxta Bullas et Constitutiones, intelligendum est, quod Coadjutores emittunt hujusmodi simplicia vota, cum tacita quadam, quod ad perpetuitatem attinet, conditione, quæ hæc est: Si Societas eos tenere volet. Quamvis enim illi, quod in ipsis est, se obligent in perpetuum, suæ devotionis et stabilitatis gratia, liberum tamen erit Societati eos dimittere."

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EFFECTIBUS VOTORUM COADJUTORUM.

1. — Per hæc vota Coadjutores Societati in certo gradu incorporati sunt, et quidem definitive; sunt in termino, sunt formati, — De quo supra. 447

2. — Societati intime conjuncti sunt; et quanquam in quibusdam casibus dimitti possunt, hoc tamen fieri nequit, nisi ex causis gravissimis, et non v. g. ex causis externis, velut morbi, debilitatis, vel difficultatum quarundam. — Vide n° 118.

3. — Effectus votorum singulorum sunt fere iidem ac in Professis, quos supra exposuimus. 448

a. — In voto paupertatis omnino æquiparantur Professis: amitunt omnem capacitatem dominii habendi, jure et actione. Privantur omni

jure hæreditariæ successionis, tum ab intestato, tum a testato; et non solum ipsi personaliter, sed etiam eorum causa domus et Collegia. Amittunt jus in beneficia ecclesiastica, nec non habendæ sustentationis in Collegiis; etc.

b. — Votum castitatis Coadjutores reddit inhabiles ad contrahendum valide matrimonium, et proin irritat omne matrimonium subsequens. Gregorius XIII. „Ascendente." — Attamen non solvit matrimonium ratum nondum consummatum; quod solum est in voto castitatis solemni.

c. — Etiam in effectibus voti obedientiæ iidem sunt Coadjutores cum Professis. Item promittunt specialem curam circa puerorum eruditionem; et incumbit illis, catechesin habere per quadraginta dies intra annum post vota emissa. — C. 2. D. 58,

Nota. — Ex dictis apparet, hæc vota Coadjutorum in Societate fere eosdem habere effectus, quos vota solemnia Professorum; et isti effectus nituntur jure speciali ab ipsa Sede Apostolica in favorem nostræ Societatis constituto. Nihilominus sunt et manent vota simplicia, quia producunt istos effectus non absolute, sed pro tempore tantum, quo Societati cooptati manent.

ARTICULUS TERTIUS.

JURA COADJUTORUM SPIRITUALIUM.

449 Quæ dicta sunt supra de Professis n° 3-7, eadem sunt de Coadjutoribus ex votis emissis: non habent renovationem votorum, nec rationem conscientiæ *bis* reddendam; tenentur tantum semel in anno ad confessionem generalem faciendam; non sunt amplius sub speciali cura Patris spiritualis; excellant tamen præ ceteris studio perfectionis acquirendæ, ita ut externis præceptis non amplius tantopere indigeant. P. 6. c. 3. § 1. — Specialia tamen de iis notanda sunt:

1. — Quanquam Coadjutores ordinarie Professis præesse non debent, puta in domibus professis, tamen etiam ipsi Professi Coadjutorum obedientiæ subsunt, si Coadjutores vere Superiores sunt, uti Rectores Collegiorum, quibus præesse proprie destinantur, vel Rectores domus probationis. Similiter quando absente vel mortuo Superiore Professo ipsi, quia Ministri, ex jure in horum locum succedunt. — C. 8 D. 20: „Congregatio statuit, sicut absente, ita etiam moriente Superiore alicujus loci, hujus curam ad Ministrum pertinere, etiam in domibus professis, quamvis ipse Professus non sit. Licere nihilominus Superiori, cum domo aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat,

si Provincialis cito moneri non possit, aut alia gravis causa id suadeat." — Imo nihil impedit, quominus Coadjutor pro tempore fungatur aliquo munere, ad quod alias Professi tantum vocantur. — Mutius 25 Aug. 1640 Germ.: „potest R^a V^a in Helvetiam mittere Visitatorem Rectorem N. N., nam gradus (erat Coadjutor spiritualis) non impedit."

2. — Imo extraordinarie Coadjutores possunt vocari ad provincialem, et etiam generalem Congregationem, in iisque habere suffragium activum et passivum, si excipias in electione Generalis et Assistentium.

P. 8. c. 3. A: „cum vocat Congregationem, qui supremam in Societate curam habet, ejus erit judicium, num aliqui, qui Professionem trium votorum solemnium emiserunt, vel Coadjutores nonnulli, ad conferendum cum eis de rebus, quæ in Congregatione tractandæ sunt, venire debeant. Hoc enim aliquando conveniens fore videtur, præsertim si Rectores Collegiorum et eorum Procuratores, aliique officiales, quibus optime perspecta erunt, quæ ad ipsorum officia pertinent, vocentur. Possent etiam hujusmodi officiales, suffragium activum et passivum ad reliqua habere, præterquam ut Professis quatuor votorum præesse possint. Si Congregatio ad electionem Generalis indicitur, nullus, qui quatuor vota solemnia in Professione non emiserit, suffragium activum aut passivum ad hujusmodi electionem habere poterit."

P. 9. c. 5. § 3: „electio vero quatuor hujusmodi Assistentium, eorum erit, qui Præpositum eligent, quando ad id congregantur." — Form. Cong. Gen. 60. et 78. — Cong. Prov. 15. — Quoad eorum sedes: „Professi quatuor votorum juxta cujusque professionis antiquitatem, sive Superiores sint sive non. Ad sinistram vero reliqui omnes hoc ordine, ut primo loco sint Professi trium votorum, secundo Coadjutores formati, tertio ceteri omnes juxta antiquitatem sui gradus in Societate."

ARTICULUS QUARTUS.

DE COADJUTORIBUS TEMPORALIBUS.

De iis valent quoad gradum, mutatis mutandis, quæ jam de Coadjutoribus spiritualibus dicta sunt. Præterea juvat magnopere, hoc loco disserere de omnibus, quæ hanc classem in Societate spectant.

1. — Eorum fit mentio in Bulla, in qua etiam de Caodjutoribus 450
spiritualibus primo sermo infertur. — Paulus III. „Exponi nobis" 5 Junii 1646: „Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, quod de

cetero sacerdotibus, qui vos in spiritualibus, et personis sæcularibus, quæ vos in temporalibus et officiis vestris domesticis coadjuvent, uti possitis; ipsique Coadjutores, tam sacerdotes quam personæ sæculares, peractis experientiis et probationibus, per Constitutiones vestras requisitis, ad majorem eorum devotionem et amplius meritum, vota paupertatis et castitatis ac etiam obedientiæ emittere valeant." Et cetera eadem atque de Coadjutoribus spiritualibus. — Ex. c. 1. §. 9: „secundæ classis sunt, qui in Coadjutores ad divinum servitium, et Societatis auxilium in rebus spiritualibus vel temporalibus admittuntur." — c. 6. §. 3: „posteriorum (Coad. temp.) magis est proprium (licet possint in rebus majoribus pro talenti eis a Domino concessi ratione occupari), ut in ministeriis omnibus inferioribus et humilioribus, quæ ipsis injungentur, se exerceant; persuasi, quod Societatem juvando, quo melius illa saluti animarum vacare possit, eidem omnium Domino servient: quandoquidem propter divinum ipsius amorem ac reverentiam id faciunt. Ideo prompti esse cum omni humilitate et charitate, quoad fieri poterit, debent ad officia, quæ eis credita fuerint, exacte obeunda. Quo fiet, ut non solum mercedem suam integram habeant, sed participes sint omnium bonorum operum, quæ DEUS per universam Societatem ad obsequium et laudem suam operari dignabitur; et omnium indulgentiarum et gratiarum, quæ Professis ad suarum animarum bonum a Sede Apostolica concessæ fuerint." — Et alibi.

2. — Eorum præparatio ad vota sua emittenda est eadem omnino, quæ Coadjutorum spiritualium; patet tamen, in præviis informationibus de iis capiendis attendendum esse ad specialem eorum statum ejusque et obligationes et functiones, quoad virtutes iis necessarias. — P. 1. c. 2. §§. 2. et 3: „esse eos oportet, quod ad animam spectat, bonæ conscientiæ, quietos, tractabiles, amatores virtutis ac perfectionis, propensos ad devotionem, qui domesticis et externis ædificationi sint, qui sorte Marthæ in Societate contenti, et ad ejus Institutum bene affecti, eam juvare ad DEI gloriam exoptent." — „Quod ad externa attinet, honesta specie, sanitate, ætate, et viribus ad labores corporis, qui in Societate se offerunt, sufferendos præditi esse deberent; et qui habere vel certe habituri esse aliquando talentum aliquod ad eam juvandam viderentur."

3. — Formula votorum emittendorum eadem prorsus utuntur, qua Coadjutores spirituales, omissis tamen verbis de erudiendis pueris. — P. 5. c. 4. § 3. — Et decl. C: „si homines essent, qui latinam linguam non intelligerent, quales aliqui Coadjutores temporales erunt, votum

in vernaculam linguam vertetur; et legant ipsi, vel præeat alius legendo verba, quæ mox ipsimet, eum insequendo, pronuntiabunt."

4. — Convenit hic addere quædam, quæ hunc Coadjutorum temporalium statum præterea tangunt.

a. — De numero eorum habet P. 1. c. 2. §. 2: „plures esse non 451
debent, quam qui necessarii sint ad sublevandam Societatem in iis rebus, in quibus occupari alii non possunt sine detrimento majoris boni." —

P. 3. c. 2. §. 7: „ad alias etiam functiones necessarias, et eas præcipue, quæ honestius domi quam foris fiunt, curandum est, ut officialium necessarius numerus constituatur. Et expedit, ut hujusmodi officia Coadjutores temporales, si ea ignorent, addiscant." — Decl. H: „officiales in iis, quæ domi honestius quam foris fiunt, intelliguntur lotor pannorum lineorum, tonsor, et hujusmodi; quos esse domi, si fieri posset, expediret."

C. 1. D. 103: „videatur, an possit iniri ratio, qua minor multitudo Coadjutorum temporalium sit necessaria, cum in Constitutionibus paucitas eorum videatur commendari, et praxis aliud ostendat." — C. 7. D. 82: „probavit Congregatio, ne Coadjutores quartam partem in Collegiis, in domibus vero professis ne tertiam partem excedant." — C. 20. D. 12. §. 6: „ut nullus admittatur Coadjutor temporalis, qui aliquam artem non calleat, vel saltem facile addiscere possit tempore tirocinii." — Etiam D. 22.

Instr. 6. §. 4: „in admittendis vero temporalibus Coadjutoribus, circa eorum qualitates et numerum, servent diligenter Provinciales, quæ præscribuntur in Constitutionibus. — P. 1. c. 2. §. 2. et A."

b. — De vestitu Coadjutorum temporalium hæc habentur. — C. 1. 452
D. 95: „quæsitum etiam fuit de ratione vestium et pileorum, quibus laici nostri uti deberent. Nihil esse statuendum visum est: sed eam indumenti rationem probari, qua nostri laici a sacerdotibus nostris et sæcularibus hominibus distinguerentur, et ut vestitus honestus esset juxta morem patriæ. Et pileorum quidem ratio Provincialium arbitrio relicta est. Eos tamen, qui inserviendi missis officium habent, clericali pileo uti debere visum fuit."

C. 3. D. 22: „cum quæstio de pileis Coadjutorum temporalium, de qua in prima Congregatione actum fuerat, iterum proposita fuisset, decretum fuit, ut R. P. N. Generali, qui, quod unicuique provinciæ expedierit judicabit, totum negotium relinqueretur: sic tamen ut juxta Decretum 95. primæ Congregationis, distinctio inter ipsos et nostros sacerdotes, ac sæculares etiam homines servaretur."

C. 7. D. 24. §. 1: „Congregatio censuit primo, servandam regulam sextam custodis vestium, ut sottana dimidio palmo breviore, pallio vero sottanis breviore uterentur Coadjutores: utque illi rei magna cura et diligentia, superatis difficultatibus omnibus, incumberent Superiores." — §. 2.: „circa capitis vero tegumentum iis, qui in posterum ad Societatem Coadjutores venturi sunt, omni omnino clericalis pilei usu, quo Sacerdotes et Scholastici uti consueverunt, interdicendum esse: ademta cuicunque demum Superiori, etiam Generali dispensandi cum illis facultate. Iis vero, qui jam in Societate sunt, permitti eorundem usum posse in illis provinciis, in quibus consuetudo talis invaluit." — D. 27: „censuit Congregatio: — 1. nihil sibi videri in Coadjutorum capitis integumento mutandum in iis, qui Societatem ingressi, Sacerdotum ac Scholasticorum pileis utuntur. — 2. Iis vero, qui in posterum in Europa ad eandem Societatem accessuri sunt, nullo modo usum pilei clericalis, quo Sacerdotes Scholasticique utuntur, censuit permittendum. Statuitque Congregatio, sententiam hanc suam indispensabilis decreti vim roburque habere, et obtinere debere. Quod etiam diserte in posterum indicandum voluit omnibus, quotquot in Societatem admitti petierint, nec alia conditione admittendos. — 3. De iis vero, qui in utraque India, orientali et occidentali versantur, nihil in præsentiarum statuendum sibi judicavit, sed rem totam arbitrio P. Nostri relinquendam, qui pro temporum varietate videbit, quid in Domino consultum fuerit, ac fieri poterit." — Dein in C. 8. D. 21. ex multarum provinciarum multorumque privatim Patrum plus quam duabus tertii partibus suffragiorum secretorum decretum fuit, esse observandum et executioni mandandum Decretum 27. C. 7. — C. 9. D. 24: „secundo vetatur, ne quis ulla ratione procuret impedire executionem Decreti de pileo Coadjutorum."

453 *c.* — Superiores Fratrum Coadjutorum novitiorum jam specialem curam habeant; videbis in sequentibus:

Instr. 6. §. 5: „ut Scholastici e novitiatu educendi non sunt, nisi biennium absolverint, ita nulla ratione Coadjutores temporales e novitiatu extrahendi sunt, nisi per annum integrum in eo fuerint et bene satisfecerint. In Collegiis vero, donec biennium absolverint, aliquem quasi magistrum in exercitationibus spiritualibus habeant; et cum ad vota simplicia sunt admittendi, saltem, per mensem ad novitiatum revocentur, si commode fieri poterit et non obstet loci distantia; alioqui in eodem loco, ubi sunt, per idem tempus se colligant et ad vota præparent. Nullo autem modo permittant Provinciales, ut ante finitum biennium publicis æditui, janitoris, et similibus officiis, in quibus cum

externis agitur, exponantur." — Ord. c, 1. §. 16. idem. — Ord. c 13. §. 8: „juventur in spiritu." — C. 20. D. 12. n° 6: „ut nullus admittatur Coadjutor temporalis, qui aliquam artem non calleat, vel saltem facile addiscere possit tempore tirocinii."

Proin Coadjutores iis præsertim virtutibus acquirendis incumbant, quæ præ ceteris eorum statum ornant, uti sunt: humilitas, modestia, amor laboris, in officiis præsertim humilibus et abjectis, quies animi, ut contenti sint suo gradu et statu, neve altiora appetere præsumant.

d. — Etiam postquam e novitiatu dimissi sunt, providendum est 454
iis cum speciali diligentia, ut spiritum, quem hauserunt, retineant.

aa. — Res eorum spirituales promovendæ Superioribus enixe commendantur, uti par est. — Instr. 8. §. 1: „circa spiritualem Coadjutorum temporalium profectum, non tantum in novitiatu, ut dictum est, vigilandum est a Superioribus, sed multo magis curandum est, ut postquam e novitiatu educti fuerint, et vota post biennium emiserint, spiritum, quem probationis tempore acquisierant, diligenti cura conservent. Quare non sinantur suo more aut arbitrio vivere, sed eos rerum spiritualium Præfecti et ipsi etiam Superiores frequenter alloquantur, novos præsertim et qui infirmiores sunt; et hoc quum tempore recreationis aliquando, tum vero separatim, semel saltem in hebdomada, consolando eos et instituendo in iis, quæ ad ipsorum statum pertinent, capita meditationis suggerendo, modum ac fructum orationis exigendo, et tandem dirigendo, ubi opus fuerit." — §. 2: „loco instructionis doctrinæ christianæ, quæ extra novitiatum ad Coadjutores haberi solet, si satis in ea instructi existimentur, instituantur singulis hebdomadis spirituale colloquium, seu conferentiæ de rebus ad eorum exercitia et captum accommodatis etc."

C. 8. D. 38. n° 4: „ut ad fovendum in Fratribus Coadjutoribus 455
spiritum orationis puncta matutinæ meditationis illis omnibus breviter dentur a Præfecto rerum spiritualium, vel ab alio a Superioribus designato." — C. 7. D. 25: „qui vero extraordinariis occupationibus detinentur, Superiorem admoneant, ut hisce incommodis tempore prospiciat, ne qua die ab oratione vacent. Maxima vero ratio habeatur eorum, qui in villis versantur." — P. 3. c. 1. R: „eis, qui ad hujusmodi exercitationes apti non esse viderentur (qualis ex Coadjutoribus temporalibus aliquis esse posset) proponi debent ea, quæ ipsorum captui conveniant, et quibus ad servitium Dei ac Domini nostri illi juventur."

C. 18. D. 22. §. 7: „ut peculiaris cura habeatur Fratrum Coadju- 456
torum temporalium, eos dirigendo atque instituendo cum aliis virtutibus, tum studio præcipue paupertatis, modestiæ, ac sanctæ humilitatis, quam

ostendant exteriori etiam observantia erga omnes, ac præsertim erga Nostros, qui Coadjutores temporales non sunt." — Etiam C. 22. D. 44. §. 6. — Inde est, quod etiam frequentius ad sacram communionem accedere permittuntur. — Reg. Rect. 34: „Coadjutoribus vero et iis, qui litteris non dant operam, longe facilius concedi potest, ut etiam intra hebdomadam communicent; et Præfecto rerum spiritualium aut confessario delegari, ut id concedat iis, quos ea ratione magis in spiritu juvari in Domino judicabit." — Notum est, usum esse, ut Fratres Coadjutores ordinarie accedant ad sacram communionem singulis etiam feriis sextis, nisi in hebdomadam aliud festum incidat.

bb. — Non solum in spiritualibus bene instituantur Fratres Coadjutores, sed et in externis omnibus cum diligentia et sollicitudine dirigantur.

457 α. — Sint rite occupati. — P. 4. c. 10. §. 6: „ad bonam domus gubernationem non solum numerum necessarium officialium Rector provideat; sed ut idonei sint, quoad ejus fieri poterit, ad suas functiones, curet: cuique suas regulas, ubi, quæ ad singulorum officia pertinent, contineantur, tradat: et ne se hic in illius officium ingerat, videat. Præterea, ut eis prospicere de subsidio, si necessarium id fuerit, debebit, ita cum tempus vacuum illis fuerit, ut utiliter illud impendant divino servitio, curet."

458 β. — Ne soli domo exeant. — Instr. 8. §. 3: „quoniam multa possent evenire incommoda, si facile Coadjutores soli permitterentur incedere, expedit omnino, ut quantum fieri poterit, semper comitati incedant. Si qui autem ob necessitates soli egredi permittuntur, ii maturi et graves sint, et tales, a quibus nihil incommodi merito timeatur. Socii autem Procuratorum et emptores, præterquam in iis, quæ sunt officii eorum propria, soli non eant; feminas vero nulli soli adire permittantur. Si quando autem aliquid periculi timeretur, matura mutatione provideatur." — Etiam in villis habeant socium. — Ord. c. 2. §. 17: „qui ad vineas agrosque procurandos mittuntur, sint ex iis, qui in spiritu et religiosa disciplina magis profecerint; neque unquam soli in hujusmodi locis morentur, aut certe pernoctent; et quam minimum fieri potest, in illis permaneant. Quod si diutius aut longius abesse oporteat, mutentur nonnunquam, aut identidem ad Collegia revertantur, ut in utroque homine reficiantur. Ea vero, quæ per externos in his locis curari possunt, ad ea Nostri ne adhibeantur." — Instr. 8. §. 4. idem.

459 γ. — Nec sit unus idemque Frater eidem semper Patri comes additus vel auxiliator. — C. 7. D. 29: „censuit Congregatio, nulli omnino certum aliquem stabilemque quocunque prætextu permittendum

aut concedendum esse: sed si quis ex quacunque causa Coadjutoris opera indigeret, illi Superiores pro negotiorum, temporum, atque occurrentium necessitatum varietate talem e domesticis aliquem assignent, quem ad id muneris tunc commodissimum judicaverint; ita ut non semper idem, ne quidem ad egrediendum domo, attribuatur. Quodsi qui magis stabili indigerent, arbitrio id Patris nostri statuendum esse. Visitatoribus tamen et Provincialibus non judicavit Coadjutorem denegandum."

δ. — Coadjutores comites Nostrorum indicent, si quid contra ordinem 460
accciderit. — Ord. c. 4. §. 3: „ac proinde eos, qui socii munere funguntur, nosse oportet, ubi domum redierint, Superiori significari oportere, quamvis non exposcenti, quæcunque contra regulam et hanc ordinationem acciderint." — Reg. Coadj. tem. 5. — Idem Instr. 15. c. 2.

ε. — Ne sint Coadjutores vel nimium occupati vel otiosi. — Reg. Rect. 6: „ut prospicere officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore graventur, debebit; ita cum tempus vacuum illis fuerit, ut utiliter illud impendant divino servitio, curabit."

cc. — Curent Superiores, ut Coadjutores, uti decet, honorentur, neve 461
nimis urgeantur.

Instr. 8. §. 5: „ut quiete juxta suam vocationem in domo Dei laborent, severe caveant Superiores, ne in suis ministeriis a ceteris contemnantur; neque officia quæ pro Dei amore exercent, illis a quopiam tanquam vilia et servilia objiciantur. Præterea expedit, ut peritis in sua cuique arte credatur, nec facile illis, etiam studio mortificationis, contradicatur. Et tandem ad eam etiam pacem et tranquillitatem conservandam plurimum faciet, si a Ministris nimium aliquando non urgeantur." — Ex parte vero ipsorum Coadjutorum necesse est, ut ipsi bene percipiant, se ad officia domestica et humilia esse destinatos, contentos sorte Marthæ; proin studeant præcipue virtutibus suo gradui convenientibus, quales sunt humilitas, modestia, suavitas. — Reg. Coadj. 2. — P. 1. c. 2. §. 2.

Nota. — Provinciali Lugdun. licentiam generalem petenti, ut Fratres Coadjutores legere discant vel scribere, rescriptum est 20 Jan. 1837: »je vous accorde la permission de faire apprendre à lire et à écrire, et les premières opérations de l'arithmétique à tous les Frères Coadjuteurs auxquels vous le jugerez à propos, *pro tua prudentia.*« — Quod, ut apparet, est dispensatio Provinciæ huic in specie facta, non universalis interpretatio. — Non discant cantum musicum. (1627.) Qui musicam norunt, hanc artem non exerceant, nisi gravibus ex causis Provinciales aliud judicant. — 1602.

462 *e.* — Doceantur, ut magni faciant suum gradum juxta principia ex fide hausta:

aa. — Nomen jam indicat quanti sint: coadjuvant laborantes ad salutem proximorum, et participant proin eorum labori et merito indirecte saltem. Serviunt Domino, uti Martha fecit, diaconi etc.

bb. — Sunt vere religiosi, non minus quam ipsi Sacerdotes et Professi, et participant suo modo in omnibus gratiis et privilegiis.

cc. — Eorum occupationes accedunt plurimum ad sacras: sacristani, comites Patrum, etc. — cf. Reg. Coadj. — Instr. 8. — Mutius: „de cura FF. Coadj." 1618. —

dd. — Non expedit, ut ex Coadjutore temporali quis fiat Scholasticus, quia hæ mutationes in Societate multo plus detrimenti afferre possunt, quam sit exiguum emolumentum illud, quod ab ejusmodi hominibus ad studia admissis accipi solet. — 1694.

ee. — Cum ad Societatis integritatem pertinere videatur, ne quis ex Coadjutoris temporalis statu ad sacros ordines promoveatur, adeoque ex suo gradu transitionem faciat, permitti non potest. — 1641.

SECTIO TERTIA.

De Scholasticorum votis emittendis.

Quum vota prima, quæ emittuntur in Societate tum a Scholasticis tum a Coadjutoribus temporalibus, plurimum differant a votis ultimis Professorum et Coadjutorum, omnino necesse est, de iis accurate et distincte disserere.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆPARATIONE AD HÆC VOTA EMITTENDA.

463 In fine biennii novitiatus Scholastici, et mutatis mutandis Fratres Coadjutores, de iis, quæ sequuntur distincte admonendi sunt.

1. — In Bulla Pii V. „Æquum reputamus", 17 Jan. 1566 ea renovantur et amplificantur, quæ Pius IV. jam de deserentibus religionem nostram quoad apostasiam et censuras statuerat: „nullus dictæ Societatis religiosus.... post emissa vota secundum illius Constitutiones, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor, cujuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis ille foret, a dicta Societate exire aut recedere, etiam prætextu cujusvis indulti.... absque expressa Superioris sui licentia ad id ab eo specialiter obtenta, etiam quæsito colore

ob frugem melioris vitæ aut strictioris observantiæ, ad quemvis alium... Ordinem transire, vel etiam per Superiores Ordinum hujusmodi suorumve monasteriorum (præfato Ordine Carthusiensium duntaxat excepto) (1) recipi seu admitti posset seu præsumeret, sub pœna excommunicationis, tam per recipientes quam receptos ac recedentes præfatos ipso facto incurrenda.... et a qua sic innodatus, præterquam in mortis articulo, ab alio quam Romano Pontifice vel Superiore Societatis hujusmodi absolvi non posset.... Et nihilominus si quis ex religiosis præfatis, animo indurato aliquid in contrarium attentare præsumeret vel a dicta Societate post in ea emissa vota, absque Superioris licentia, exiret, et in sæculo vel alio etiam regulari loco degere præsumeret, liceret dicto Generali aliisque dictæ Societatis Præpositis et Superioribus, eosdem transgressos et exeuntes, tanquam apostatas, etiam per auxilii sæcularis brachii invocationem, summarie et sine figura judicii, ad dictam Societatem revocare, capere, et incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ subjicere, auctoritate Apostolica perpetuo statuit, ordinavit, præcepit atque mandavit Pius prædecessor Noster."

2. — Quis sit sensus quarti voti: „promitto eandem Societatem me ingressurum." — Ex. c. 7. §. 1: „vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiæ, ac promissionem, quod studiis absolutis in Societatem ingredientur, Deo ac Domino nostro facient." — Ex. c. 1. §. 10: „ut postquam docti evaserint, in Societatem ingredi et Professi vel Coadjutores (prout judicabitur expedire), esse valeant." — P. 5. c. 4. E: „promissio ingrediendi Societatem, ut declaratum est initio hujus Partis, est de votis Professorum solemnibus, vel Coadjutorum formatorum, prout Præposito ad majus Dei obsequium fore videbitur, emittendis."

In C. 5. D. 4. sermo fiebat, an verbis: „promitto eandem Societatem me ingressurum," in ipsa formula votorum emittendorum explicatio quædam addenda sit. Quod non placuit. Sed definivit C. 5. D. 5: „Congregatio declaravit, prædictam promissionem vere et proprie fuisse, et esse, et ab omnibus censeri debere votum peculiare, a tribus aliis in eadem formula contentis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum, vel Coadjutorum formatorum, prout Præposito ad majus Dei obsequium fore videbitur." — Dein D. 50: „ab ipso Magistro aperte explicetur novitiis, tum initio, cum Societatem ingrediuntur, tum postea sexto quoque mense, præcipue

1. Post Paulum V. anno 1610 hæc exceptio non amplius valet; ex communicatione cum privil. concesso Carmelitis discalceatis, 3 April. 1610.

cum vota emittere debent post biennium, promissionem illam de ingrediendo Societatem, quæ fit in formula votorum, esse votum, quo obligantur ad recipiendum gradum Coadjutoris formati, vel Professi, prout Præpositus Generalis judicaverit. Itemque si in libro, in quo notantur nomina Scholasticorum, qui emittunt vota simplicia, juxta regulam 11. Rectoris, postquam illa quis emiserit, subscribat se tali die et anno emisisse vota, et clare intellexisse, vim illius promissionis esse, se manere obligatum ad prædictam indifferentiam."

3. — C. 8. D. 22: „intelligant, renovationes votorum, a se deinceps de more Societatis faciendas, habere vim primæ nuncupationis, si forte, ex prædictis defectibus, prima vota vim suam non obtinuerint." — Idem C. 12. D. 13 — Hoc modo excluditur prætensio, si quis post annos et annos vellet asserere, se non esse vere religiosum ex defectu validitatis in prima professione, sive in primis votis emissis.

4. — Monentur, quod indifferentes sint oportet quoad studia subeunda, — Ex. c. 7. §§. 3. et 4: „qui ad studia litterarum idoneus invenitur, interrogetur, an velit se duci sinere circa ea, quibus studere debeat, ac studiorum modum et tempus, juxta quod Societati, vel ejus Præposito, aut Collegii, ubi daturus est litteris operam, Superiori videbitur." — „An contentus futurus sit, eodem atque alii modo ibi agere, nullisque privilegiis aut prærogativis minimum omnium, qui in Collegio fuerit, anteire; omnem sui curam Superiori Collegii relinquendo" — Etiam Reg. Mag. Nov. 80. seqq.

5. — Leguntur Bullæ huc spectantes et Examen generale. — Fit confessio generalis et redditur ratio conscientiæ. — Ex. c. 1. §. 13. et c. 4. §. 41. — Reg. Mag. Nov. 57., 63. et 67. — Proxima præparatio: facienda exercitia, vel triduum recollectionis. — Possunt mitti mendicatum juxta arbitrium Superiorum. — Ex. c. 4. §. 27.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EMISSIONE VOTORUM IPSA.

Actus ipse emittendi vota prima sat simplex esse videtur: attamen non caret seria quadam et impressiva solemnitate.

464 1. — Nimirum fit intra sacrificium Missæ, post communionem Sacerdotis, postquam hic pro communione a vota emittentibus mox accipienda dixit: „Domine, non sum dignus," et se iterum vertit ad altare, stans dum isti formulam recitant. Communionem accipi ab emittentibus

vota, clare dicitur P. 5. c. 4. §. 4: „post hæc perinde ut alii (Professi et Coadjutores) sanctissimum CHRISTI Corpus sument; et reliqua, quæ superius dicta sunt, peragentur." — Intelligitur tamen de iis, qui non sunt Sacerdotes, nam de his habetur: „Sacerdotes novitii, quo primum die biennio elapso, vota emittunt, celebrare antiqua consuetudine solent;" et quidem, uti Mangionius addit „vel ante vel post." Est tamen usus, ut Missam dicant *post* emissa vota.

Si contingat, ut solus novitius Sacerdos prima vota emittat, statuit P. Mutius 22 Aprilis 1618: „non est necessarium, Sacramentum depromere, cum Sacerdos novitius in Sacro, in quo nemo communicat, vota sua nuncupat." Unde clarum est, non requiri in votis primis, ut coram sanctissimo Sacramento pronuncientur. Convenienter tamen usus fert, ut ministris in ista Missa communio detur, ita ut omnia communi et consueto modo procedant.

Quanquam de Missa ipsa, intra quam emittantur vota, expressis verbis non fit sermo, ea tamen nunquam omittitur; quod jam eruitur ex eo, quod voventes sacram communionem accipiant; et magis etiam ex analogia cum votis ultimis, in quibus emittendis vovens communicat intra Missam. — Prima vota emittens pronuntiat formulam, non coram Sacerdote in altari genuflectens, sed manens in loco ubi audit Missam, ex quo demum post pronuntiationem accedit ad altare; et quidem, si plures sunt, omnes simul accedent, postquam singuli vota, unus post alterum, emiserint. Non est tamen extra usum, ut omnes in ipso pavimento sacelli ante gradus altaris genuflexi manentes, ex ordine, quo locati sunt, vota pronuntient.

2. — Convenit dein, aliquos testes adesse. — P. 5. c. 4. § 3: „qui in Scholasticos approbatos admittuntur, coram aliquibus domesticis, quamvis non in manibus cujusquam, vota sua emittent ad hunc modum." etc. — Ad quæ dicit Suarez tr. 10, l. 3. c. 7. §. 7: „præter eum, qui potestatem admittendi habet, aliqui adsint, quorum testimonio, de hujusmodi receptione et incorporatione constare possit.... Non dico autem esse simpliciter de substantia et de valore actus in foro conscientiæ, quia id neque ex natura rei necessarium est, neque ex communi jure sufficienter colligitur, neque in illo jure speciali Societatis declaratur." — Attamen valde urget, ut hic usus stricte servetur.

Sed quinam ex domesticis adesse supponuntur? Dicit P. Claudius 6 Sept. 1597: „usus Societatis habet, ne novitii intersint, dum vota Scholasticorum emittuntur peracto biennio. Ex aliis domesticis ut omnes intersint, aperte cum regula non pugnat; magis tamen consen-

taneum est, ut pauci tantum aliquot intersint; quare in communi Sacro Fratrum fieri hæc vota non debent." — Idem 21 Oct. 1583: „qui Scholasticorum vota primum emittunt, non faciant id cum iis, qui renovant, sed separatim, quo melius appareat, quid faciant." — Resp, Prov. Brasil. 1584: „Præstat fieri ante, vel post eos, qui renovant vota, sed non cum illis."

3. — Formula non quoad omnes ejus partes ad valorem votorum necessaria est. — Suarez tr. 10. l. 3. c. 7. §. 7: „in rigore tamen loquendo, non tota forma verbalis quæ ibi proponitur, neque omnes circumstantiæ videntur esse de-substantia, sed solum ea verba, quæ ad exprimenda vota et promissionem pertinent, sufficienter explicando illa fieri in Societate; nam ad explicandam traditionem, et omnem obligationem hæc sufficiunt." — In fine exprimatur locus: urbs, templum, sacellum, etiam dies, mensis, annus. Hic usus, qui pluribus in locis in desuetudinem abierat, a P. Piccolomini 1 Aprilis 1651 iterum præscribitur. Addendum est tamen, in renovatione votorum hæc esse omittenda.

465 4. — Inscribuntur, qui vota emiserunt. — P. 5. c. 4. G: „etiam in libro aliquo horum memoria (sicut et aliorum) honestas ob causas debet asservari." Habet autem Resp. Lugdun.: „non debet scribi tota formula votorum, quando emittuntur post biennium, sed emittens scribit sua manu in libro Collegii vel domus, se tali die et loco, celebrante tali, fecisse vota, addendo, se examinatum fuisse statutis temporibus." — C. 5. D. 50. vult, ut vovens saltem subscribat propria manu in libro hoc. — Reg. Rect. 11: „nomina eorum, qui vota solemnia vel simplicia emiserunt, in libro ad hoc parato notentur; in Professis quidem et Coadjutoribus formatis cum nominibus admittentium; in reliquis vero post biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco et tempore juxta Constitutiones."

Nota. — Damus paradigmata quædam de modo, quo vota emissa esse in libro scribendum est.

Ego Petrus Claudius ex Colonia Agrippina, Rhenanus, feci professionem quatuor votorum Societatis Jesu, ad manus R. P. Pauli Ebert, Rectoris domus probationis Exatensis, in provincia Limburg Hollandiæ, in sacello domestico Sti. Stanislai domus probationis. — Die 2 Februarii 1890, in domo probationis Exaten.

Ego Casparus Hanapel, Württembergensis ex oppido Ravensburg, feci vota Coadjutorum spiritualium formatorum, in templo Sancti Ignatii Residentiæ Monasteriensis Societatis Jesu, celebrante et admittente R. P. Clemente Faller, Præposito Provinciæ Germaniæ. — Friedrichsburgi prope Monasterium, Die 2 Februarii 1871.

Ego Guillelmus Petri, Guestphalus, statis temporibus examinatus, emisi vota Scholasticorum approbatorum juxta formulam consuetam Societatis JESU, die 10 Octobris 1861 Friedrichsburgi prope Monasterium, in sacello domus probationis Societatis JESU, celebrante R. P. Gerhardo Steinle; et clare intellexi, his verbis: promitto eandem Societatem me ingressurum, contineri quartum votum quo me obligavi ad acceptandum quemcunque gradum, Coadjutoris formati vel Professi, prout Præposito Generali ad majus DEI obsequium videbitur. Friedrichsburgi prope Monasterium die et anno prædicto.

ARTICULUS TERTIUS.

DE NATURA VOTORUM SCHOLASTICORUM.

1. — Vota prima post biennium novitiatus emittenda, sc. pauper- 466
tatis, castitatis et obedientiæ perpetuæ, sunt vota simplicia. — Sic Gregorius XIII. „Quanto fructuosius" 1 Febr. 1583, et præcipue in „Ascendente" 25 Maii 1884: „tria substantialia vota simplicia... paupertatis, castitatis et obedientiæ in eadam Societate, ex Apostolico indulto, ac juxta vivendi formulam in eisdem Constitutionibus expressam, emittunt; ac secundum illas promittunt se eandem Societatem ingressuros, hoc est ulteriorem aliquem illius gradum, prout Præposito videbitur Generali." — Quartum igitur votum tribus præcedentibus accedit.

Ex c. 1. §. 10: „hi autem, ut Scholastici Societatis approbati censeantur, post experimenta et probationes, eadem tria vota simplicia, paupertatis castitatis et obedientiæ cum promissione ingrediendi Societatem in altero prius dictorum modorum (ut in Constitutionibus videbitur) ad majorem DEI gloriam emittent." — Ex. c. 4. §. 41. — Ex c. 7. §. 1: „antequam ad studia se conferant, vel dum in eisdem manebunt, ob suum majus meritum ac stabilitatem, vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiæ, ac promissionem, quod studiis absolutis in Societatem ingredientur, DEO ac Domino nostro facient;.... et exinde Scholastici approbati Societatis censeantur."

2. — Ista verba: „promitto eandem Societatem me ingressurum", 467
efficiunt quartum quoddam votum, a tribus prioribus distinctorum. — C. 5. D. 4. et D. 50. — Item C. 5. D. 5: „Congregatio declaravit, prædictam promissionem vere et proprie fuisse, et esse, et ab omnibus censeri debere votum peculiare, a tribus aliis in eadem formula contentis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum, vel Coadjutorum formatorum, prout Præposito ad majus DEI obsequium fore videbitur." — Explicatur accuratius:

a. — Objectum igitur hujus voti est, quod vult observare vota tria prædicta *in Societate Jesu,* et quidem in eo Societatis gradu, quem Superior constituerit, ad quem acceptandum voto se obstringit. — Quod fieri potest; nam acceptare gradum non solum est simpliciter bonum, sed etiam bonum melius; tum ipsi voventi, qui vovendo arctius se Societati conjungit novasque et salutares obligationes subit; tum Societati, quæ accipit instrumenta sibi intime conjuncta, quibus ad suos fines prosequendos optime utatur. — C. 7. D. 32: „censuit Congregatio, omnes vi quarti voti teneri, Superiori certum gradum imponenti obedire; ita tamen, ut rationes Provinciali ac Patri nostro, consueto Societatis more proponere possint; quas scripto censuit proponendas. Verum Superiori illis examinatis in sententia perseveranti, et certum gradum absolute statuenti, licet non addat obedientiæ præceptum, teneri unumquemque obedire imperatumque gradum suscipere; ut, si non fuerit obsecutus, censendus sit in malo statu esse, atque a sacramentorum usu et administratione excludendus."

468 *b.* — Prohibetur igitur hoc voto, ne quis gradum, vel altiorem gradum ambiat, quod sæpissime in Constitutionibus declaratur.

Ex. c. 6. §. 5: „sic vacare debet rebus spiritualibus... ut in posterum, directe vel indirecte, per se vel alium, innovare, aut mutationem aliquam a sua vocatione in aliam... tentare non debeat; sed cum omni humilitate atque obedientia incedere ac progredi eadem via, quæ ipsi ab eo, qui nescit mutationem, et in quem illa non cadit, ostensa est." — Idem §. 7. — Etiam c. 8. §. 1. — P. 5. c. 4. §. 5: „postquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet: sed in suo perfici, et obsequio Dei et gloriæ sese impendere; ac Superiori, qui scilicet Christi Domini nostri vices gerit, curam aliorum omnium relinquere."

c. — Non tamen esset contra hoc votum, Superiorem simpliciter de sua re monere. — P. 5. c. 4. F: „proponere quæ in animo versantur, quæque occurrunt, licitum est: nihilominus, ut in Examine dicitur, omnino paratum esse oportebit, ut id melius esse existimet, quod Superiori suo melius videbitur." — Ex. c. 8. A: „cum tamen aliquid constanter eis sese offerret, quod ad majorem Dei gloriam fore judicarent, post orationem simpliciter Superiori proponere poterunt, ipsius judicio omnino rem committentes, nihil amplius procurando. — P. 3. c. 2. §. 1.

469 *d.* — Obligatio autem habendæ indifferentiæ quoad gradum suscipiendum non intelligitur, nisi quoad gradum in eadem classe. Nam de Scholasticis dicitur P. 5. c. 4. E: „promissio ingrediendi Societatem

est de votis Professorum solemnibus, vel Coadjutorum formatorum, prout Præposito ad majus DEI obsequium fore videbitur, emittendis."

Quanquam hic et alibi etiam dicitur simpliciter: „Coadjutorum," intelliguntur tamen solum Coadjutores spirituales, ita ut Scholasticus vi voti quarti, quod emittit, non obligetur ad acceptandum gradum Coadjutoris temporalis formati. — P. Mutius Angliæ 13 Maii 1641: „cum votum quartum ingrediendi Societatem in Scholasticis non inducat ex vi Constitutionum indifferentiam ad gradum Coadjutorum etiam temporalium, ad eum admittendum non est cogendus Scholasticus vi voti hujus." — Cons. Rom. 24 Febr. 1641: „votum quartum in formula votorum simplicium non obligat Scholasticos ad acceptandum gradum Coadjutorum temporalium. Fundatur hæc resolutio in D. 52. et Can. 2. Cong^is^ 4., et in reg. Prov. 67., et Ex c. 1. §. 10., et c. 7. §. 1., et in intentione Societatis, quæ est admittere hoc votum determinate ad gradum sui ordinis." — Resp. Flandr. 17 Junii 1638: „Scholasticus, deprehensa imbecillitate ingenii, non potest ullo modo cogi, ut ex gradu Scholasticorum, pro quo admissus est, descendat ad gradum Coadjutorum temporalium." — Demum ex Assistentia Germ. 1640: „quamvis studium majoris perfectionis indifferentiam ad acceptandum gradum Coadjutorum etiam temporalium a Scholasticis approbatis requirat, ex Ex. c. 1. §. 11., obligatio tamen quarti voti in formula votorum simplicium ad illum se non extendit. Quod clarum est post C. 4., quæ D. 52. et Can 2. vetuit, ullum manere indifferentem finito biennio; quod etiam habetur in Reg. Prov. 67." — Ubi nota, perfectionis majoris studium posse et debere hanc indifferentiam persuadere Scholasticis nostris: clara enim sunt verba Examinis l. c.: „ex parte sua omnes, ut dictum est, eadem animi dispositione ingredi oportet" [qua ingrediuntur indifferentes ex sua et Societatis parte.] Itaque ad liberam virtutem et laudem, non ad obligationem spectat hæc dispositio.

Ad hanc quæstionem habet Suarez tr. 10 l. 4. c. 17. §§. 9. et 10: „de præcisa obligatione hujus voti magis dubia mihi res est, velimque potius declarari ab his, qui potestatem habent, quam meum judicium proferre: magis tamen in eam partem propensus sum per se loquendo et exclusis accidentariis excusationibus, votum hoc totam hanc materiam et obligationem comprehendere." — „Quamvis autem hoc in rigore speculativo verum videatur, vix potest moraliter venire in usum, nisi quando fortasse res a principio est dubia, et persona sub illa expressa et specifica conditione recipitur, et sub eadem studiis applicatur, ut experimento constare possit, quid expediat; tunc enim res

est manifesta. Extra hunc vero casum moraliter non potest ea necessitas accidere; et ita non est in usu, quia revera est res humano modo difficilis, et potest semper alio suaviori modo componi; et ideo quidquid sit de absoluta potestate, ex vi voti juxta primævam institutionem Constitutionum, usus et consuetudo moderata esse videtur hanc obligationem, ut solum intelligatur esse intra gradus ejusdem ordinis, quando a principio aliud in particulari non declaratur." — Hæc Suaresii sententia ex declarationibus Generalium supra allatis eliminata est.

470 *e.* — Cum Fratres laici etiam in prima nuncupatione hoc quartum votum emittant, quamvis unum eundemque gradum in ultimis votis subeundum habeant, quæri potest, quidnam sit objectum hujus voti in iis. Constitutiones ipsæ nihil de hac re continent, ne in locis quidem citatis. C. 5. D. 50. et Can. 2. Quapropter non miramur, si Resp. Flandr. 1610 sic habet: „promissio illa C. 5. Can. 2. videtur ad solos Scholasticos pertinere, in quibus solis locum habet illa graduum differentia præscripta. Ex. c. 1. §. 11. et Reg. Mag. Nov. 83." — Sed contrarium deinde C. 7. D. 39. decrevit: „ad illud quod propositum fuerat, utrum promissio Societatem ingrediendi, quæ simplicium votorum formula continetur, peculiarisque voti vim habet, etiam ad Coadjutores temporales extendatur: censuit Congregatio extendi." — Indifferentia igitur et obligatio ex hoc voto iis imposita in eo est, ut se dignos reddant ad gradum accipiendum eumque accipiant eo tempore, quo Superioribus videbitur. — Rescr. in Galliam: „emittunt tamen Coadjutores temporales etiam quartum votum simplex intrandi Societatem, i. e. acceptandi gradum, quando Societati videbitur, juxta C. 7. D. 39., in quo Coadjutores æquiparuntur Scholasticis; nam et hi suo voto, præter indifferentiam ipsis propriam, obligant se ad gradum acceptandum et ultima vota publica edenda; de qua re habetur D. 32. C. 7."

471 *f.* — Quæri demum potest, utrum Coadjutor spiritualis formatus vi hujus voti teneatur accipere gradum Professi, si ita a Superioribus injungatur. — Suarez tr. 10. l. 4. c. 17. §§. 11. et 12. utramque sententiam probabilem esse putat, tum negativam, tum affirmativam: „quia successu temporis potest vel ipse homo magis proficere in litteris et spiritu, vel talentum et capacitas ejus experimento magis cognosci, et judicari utilis Societati in illo ulteriori gradu. Ergo convenienter potest id fieri [ut Coadjutor spiritualis admittatur ad professionem]. Consequenter igitur probabile censeo habere tunc locum obligationem hujus voti; ita ut teneatur quis acceptare gradum Professorum." Nam quamvis ille priorem promissionem ingrediendi Societatem impleverit

emittendo vota Coadjutoris spiritualis formati, et proin illa obligatio exstincta esse videatur; tamen „non videtur exstincta, ... sed manere hoc jus apud Superiorem, quia subditus absolute promisit ingredi Societatem, in quocunque gradu Superior vellet. Ergo sicut a principio teneretur emittere professionem solemnem, si ad illam immediate fuisset admissus, ita etiam postea. Nam alius gradus interpositus non abstulit jus Superioris, neque adæquate (ut sic dicam) explevit obligationem, sed solum quamdiu aliquid majus non exigitur. Et ideo quando promissio illa ingrediendi Societatem exponitur de acceptando gradu, quem Superior designaverit, non ita intelligitur, ut designato uno, non possit Superior ulteriorem, si expedierit, designare et exigere. Hæc enim limitatio nec rationabilis apparet, neque in illa declaratione insinuatur, quæ melius intelligitur absolute de ingressu ad quemcunque gradum." Et ita pro utraque sententia rationes militant. — Ergo practice non aderit obligatio ex voto. Imo dicendum: qui ultima vota quæcunque emisit, *ingressus est* Societatem et sic implevit votum; et proin nulla ulterior obligatio voti.

ARTICULUS QUARTUS.

DE EFFECTIBUS HORUM VOTORUM.

1. — His votis primis simplicibus homo fit vere et proprie „religiosus," 472
et desinit esse novitius. — Gregorius XIII. „Quanto fructuosius" 1 Febr. 1573: „statuimus ac etiam decernimus, non modo eos, qui in Coadjutorum formatorum, sive spiritualium sive temporalium gradus et ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes, et quoscunque, qui in ipsa Societate admissi, biennio probationis a quocunque peracto, tria vota prædicta, tametsi simplicia, emiserint emittentque in futurum, vere et proprie religiosos fuisse et esse, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, ac si in Professorum prædictorum numerum adscripti fuissent." — In „Ascendente" 25 Maii 1584: „quo biennio expleto, tria substantialia vota simplicia emittunt ... quibus emissis novitii esse desinunt, et in Societatis corpus... ut Scholares approbati, alii vero ut Coadjutores temporales nondum formati, cooptantur." — „Statuimus atque decernimus... quoscunque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia prædicta tametsi simplicia emiserint aut emittent in futurum, vere et proprie religiosos fuisse et esse ac fore, et ubique, semper et ab omnibus censeri et nominari debere, non secus atque ipsos tum

Societatis tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Professos." — Ad quæ verba Suarez dicit, tr. 10. l. 3. c. 3. §. 2. „ea esse tam clara, ut sine magna temeritate negari non possint."

Et revera in emittendis his votis omnia adsunt, quæ substantiam status religiosi efficiunt; nam:

a. — Hæc vota clare vocantur „substantialia religionis," uti Papa scribit: „statuimus atque decernimus, tria vota hujusmodi, etsi simplicia, ex hujus Sedis institutione ac Nostra etiam declaratione et confirmatione esse vere substantialia religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in religione approbata per Sedem eandem fuisse admissa et esse."

His verbis recte colligitur, Scholasticos nostros non tantum a tempore hujus Bullæ 1 Febr. 1583, sed etiam antea et ab initio vere religiosa vota emisisse et vere religiosos factos esse. Et ita recte dicitur, hanc partem Bullæ non esse factivam sive constitutivam, sed declarativam. — Quare vere dicit Suarez ad hunc locum, l. 3. c. 4. §. 2: „ubi attente considerandum est, institutionem Sedi, declarationem autem sibi Gregorium tribuere, quia ipse revera non instituit, neque primum probavit hunc modum religiosi status, sed prædecessores ejus rem ipsam instituerunt. Ipse autem expresse declaravit, quod in re illa jam constituta continebatur."

Idem elucet ex Bullis priorum Pontificum. Jam Paulus III. „Injunctum nobis" 14 Martii 1543, concedit auctoritate Apostolica: „ut (per hæc vota) Scholares possint admitti in Societatem et Societati aggregari." — In „Licet debitum" 18 oct. 1549 vetantur Scholastici „ad alium ordinem transire," utique quia jam in ordine sunt. — Pius V. „Æquum reputamus" 17 Jan. 1566 (quæ Bulla jam ab ipsius prædecessore Pio IV. confecta, ab ipso dein publicata fuit) facit Scholasticos incapaces ad emittendam professionem in alio ordine, ad quem eos vetat transire. Quod facere non potuit, nisi eos veros jam et perfectos religiosos esse supponeret. Eadem ex causa apostatæ a Papis vocantur, qui post hæc vota emissa Societatem relinquunt, imponendo iis apostatarum etiam pœnas. — Demum Pius V. „Dum indefessæ" 7 Julii 1571 definivit, Societatem esse ordinem mendicantem, quoad omnia ejus membra: „Præpositum *ac singulas personas ejus* (Societatis) vere et non ficte mendicantes fuisse, esse et fore, et inter aliorum Fratrum et religiosorum mendicantium ordines connumerari debere."

473 *b.* — Dein, quod in aliis votis religiosis emittendis obtinet, est etiam in his Scholasticorum votis: fit traditio ad Societatem et ab hac accipitur. — Gregorius XIII. „Ascendente": „quippe qui per ea ipsa (vota) se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio

in ea mancipant"; proin: „illa emittentes in statu religioso constituuntur." Quodsi vero in ipsis votis emittendis hæc vox: „se tradere," non inveniatur, res ipsa tamen in aliis verbis continetur: „promitto, voveo in Societate JESU," quæ sunt eadem verba, quibus utuntur alii ordines ad hanc traditionem significandam.

Idem eruitur ex effectu, quem habent hæc vota juxta Constitutiones in vovente quoad Societatem; in „Ascendente," et P. 5. c. 1. §. 1: „modo interiori in corpus Societatis cooptantur;" vel: „tanquam membra admittuntur." Ad quæ habet Suarez l. 3. c. 3. § 9: „patet ergo, ex parte horum religiosorum esse sufficientem traditionem, ab ipsa religione satis etiam acceptatam, ut ex hac parte nihil revera desit ad verum religiosum statum."

Non minus ipse modus emittendi hæc vota eandem traditionem significat. Fit enim semper coram aliquo, qui ex parte Societatis facultatem habet, vota hæc accipiendi. Et quum uterque, vovens et excipiens vota, in ipso actu intentionem habeat, tum hanc traditionem in Societatem faciendi, tum eam acceptandi et voventem in Societatem cooptandi, utrumque etiam re ipsa fit et satis etiam symbolizatur, eo modo quo fit.

Nota. — Huic obstare videtur, quod expresse dicitur in P. 5. c. 4. § 3: »non in manibus cujusquam vota sua emittunt;« et in Decl. D: »ut hoc votum soli DEO offeratur et non homini, ita nemo id admittit; propterea in nullius manibus fieri dicitur.« — Ad hæc scribit Suarez l. 3. c. 1. §. 7. distinguendo: hæc vota non fiunt homini admittenti illa, admissione reciproca, h. e. cum mutua obligatione Societatis ad ea semper in suo valore retinenda et conservanda, concedo; admissione simplici, i. e. sine mutua illa obligatione, nego. Quo nomine multum differunt hæc vota a votis novitiorum devotionalibus quæ nullo modo admittuntur a Societate.

Inde etiam est, quod in his votis emittendis, ad significandam admissionem in Societatem, non eadem verba adhibentur, quæ suut in formula votorum Coadjutorum formatorum, quia revera in illis Societas non tam stricte et absolute obligatur. — De qua re loquitur C. 9. D. 39. §. 5: »verum hoc loco ideo dicuntur vota Scholasticorum soli DEO offerri, et non homini, et in nullius manibus emitti, atque a nemine admitti, quia in illorum formula nulla fit hominis mentio, sed ad solum DEUM tota promissio dirigitur. Non tamen inde sequitur, Scholasticos edentes vota illa in Societatem ipsam non admitti, seu non incorporari, nec ei obstringi; uti patet ex titulo ejusdem capitis, qui est: De admittendis Coadjutoribus formatis et Scholasticis; et ex titulo totius illius Partis, qui est: De iis, quæ ad admittendum in corpus Societatis pertinent; et mox ex c. 1. §. 1. ubi dicuntur Scholastici approbati cooptari in corpus Societatis; aliisque locis Constitutionum. Præterea ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: Ascendente Domino, ubi dicuntur similiter Scholastici cooptari in corpus Societatis, eique ex parte

ipsorum perpetuo obligati esse etc., Societati per ea ipsa vota se dedicare, atque actu tradere etc., Societatem in eos ex vi votorum jus acquirere, et similia.«

Sed objicies: Societas ne Coadjutoribus formatis quidem se obligat, quandoquidem in eorum votis intelligitur tacita illa conditio: si Societas eos tenere volet; quod etiam dicitur in P. 5. c. 4. B ubi additur: »quamvis enim illi, quod in ipsis est, se obligent in perpetuum suæ devotionis et stabilitatis gratia; liberum tamen erit Societati, eos dimittere.« Nihilominus tamen dicitur de iis l. c. §. 1: »In manibus ejus, qui admissurus sit, votum suum emittent.« Ergo illud; »in nullius manibus,« quod de Scholasticorum votis pronuntiat P. 5. c. 4. D, non bene explicatur per hanc conditionem et non mutuam obligationem.

Respondeo cum Suarez l. 3. c. 5. §. 8: licet tam Scholastici quam Coadjutores formati cooptentur in Societatem conditionate et non mutua admissione, hoc tamen non fieri omnino eadem ratione, sed diversa; et ideo Coadjutores dici vota sua edere »in manibus,« non item Scholares. Discrimen autem est, quod, licet Coadjutores vota solemnia non emittant, constituuntur tamen jam in termino neque ultra progrediuntur in statu seu gradu Societatis; ac proinde majori vinculo morali cum Societate conjunguntur, extra omne genus probationis constituti. Atque ipsa Societas obligatur arctius ad eos retinendos perpetuo, nisi per crimina et contumaciam ea redduntur indigni. Et hæc causa est, cur illi etiam expresse se obligant ac tradunt admittenti per verbum »promitto«; sic enim formula eorum incipit: »ego NN. promitto Deo Omnipotenti.... et tibi Reverendo Patri,« et ipse eos admittit; ideoque dicuntur in manibus ejus edere vota. Jam vero Scholastici, tametsi et ipsi incorporentur Societati, non tamen ita, ut in eodem gradu semper persistant, sed ut sic incorporati amplius probentur. Et ideo licet Societas debeat eos retinere, quamdiu rationabilis causa eos dimittendi non subest, tamen ad hoc judicandum liberior est, et minor causa sufficit; atque ad eam explorandam probatio ordinatur. Ad hanc igitur libertatem Societatis significandam dicuntur vota Scholasticorum non fieri in manibus Prælati, sed soli Deo, scilicet, quantum ad expressam formam promittendi; quamvis implicite et in actu exercito talis obligatio ex ipsa traditione et incorporatione contrahatur.

474 *c.* — Inde est, quod hæc incorporatio Scholasticorum in corpus Societatis per ista vota simplicia vero sensu „professio religiosa" vocari potest, etsi non sensu pleno. „Si enim nomine professionis religiosæ intelligatur traditio omnino absoluta et votis solemnibus firmata, atque adeo indissolubilis per potestatem intrinsecam religionis, sic dicendum est, hanc admissionem non esse professionem ... Si vero (professio religiosa) accipiatur pro quacunque firma ac stabili unione cum religione approbata per traditionem et vota substantialia religionis per legitimam potestatem eccl. publice admissam, hanc constat Scholarium admissionem in Societatem esse veram professionem. Sic enim generaliter pro quocumque tempore verum est, per omnem professionem hujusmodi, et per solam illam verum ac proprium statum religiosum constitui." — Suarez l. 3. c. 5. §§. 1. et 2.

Ab hac re ita intellecta multa pendent, cum in jure communi quoad privilegia, jura, onera de professione et de Professis sermo infertur. Nam quamvis hæc non omnia et sine discrimine ad Scholasticos, uti Profesos religiosos, transferri fas sit, tamen clarum est, multa, quæ in jure de Professis dicuntur, sine dubio etiam de Scholasticis nostris valere. Regula aliqua, quæ tamen cum discretione applicanda est, fortasse hæc sit: Scholastici dici possunt Professi quoad firmitatem status et conjunctionis cum DEO et cum Societate; quoad privilegia et jura tantum in favorabilibus. Quantum vero ad onera et jura, distinguendum est: quoad ea, quæ sunt ordinis, affirmative; quæ suut gradus, negative. Idem negative quoad odiosa.

2. — Alter effectus horum votorum: ea emittentes vere et proprie 475
Societati incorporantur, fiuntque proin vere et proprie ejusdem membra.

Gregorius XIII.: „desinunt esse novitii; admittuntur, cooptantur in corpus Societatis; etc." — P. 5. c. 1. A: „ex his tribus partibus, Professis, Coadjutoribus et Scholasticis, seu membris Societatis corpus constat." — c. 1. §. 1: „Scholastici in corpus Societatis cooptantur." — C. 9. D. 39. §. 5. et pluries. — Inde sequitur:

a. — Participes fiunt omnium privilegiorum, non secus, atque ipsi 476
Professi. — Gregorius XIII. „Quanto fructuosius" 1 Febr. 1583: „qui post biennium novitiatus emensum dicta tria vota simplicia, sicut ab hac Sede probata sunt, emittentes et extra novitiorum numerum habiti ac in corpus ipsius Societatis cooptati, illiusque meritorum et privilegiorum participes effecti non secus atque ipsi Professi, ex prædictæ Societatis dispositione etc. etc." — In ejusdem Papæ Bullæ „Ascendente" eodem omnino verba repetuntur; et dein additur: „denique ut omnium Societatis privilegiorum juxta Generalis Præpositi dispositionem sunt participes." — P. 5. c. 1. A: capax est communicationis gratiarum spiritualium, quas Præpositus Generalis juxta Constitutionem Sedis Apostolicæ potest concedere. — S. Cong. Episc et Reg. 12 Junii 1858: „Professi votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus Professi votorum solemnium utuntur, fruuntur et gaudent." — Ord. Prædic. nobis communic.

b. — Exempti fiunt a jurisdictione episcoporum. — Gregorius XIII. 477
„Ascendente": „esse huic Sedi immediate subjectos, et a quorumvis Ordinariorum et Delegatorum seu aliorum judicum jurisdictione omnino exemptos, prout Nos etiam vigore præsentium eximimus." — Ben. XIV. de syn. l. 9. c. 15. §. 4.

c. — Hæc vota solvuntur per legitimam ex Societate dimissionem. 478

— C. 9. D. 39. §. 3: „tertius locus est ex. c. 7. Ex §. 1: „libera tamen manebit Societas nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem nec in Coadjutores formatos. Et tunc ipsi etiam suis votis soluti erunt." Sensus hujus loci non est, istos sola non admissione ad gradum ulteriorum suis votis exsolvi, ut satis patet ex pluribus Examinis, Constitutionum et Bullarum locis. Sed quia Societas, quos judicat non esse unquam admittendos ad professionem vel vota Coadjutorum formatorum, dimittit; per dimissionem, non vero per nonadmissionem illi suis votis soluti dicuntur."

d. — Scholastici Societatem deserentes vere apostatæ a religione sunt, apostatarumque pœnis subjacent. — Pius V. „Æquum reputamus" 17 Jan. 1565: „pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, a qua sic innodatus, præterquam in mortis articulo, ab alio quam Romano Pontifice vel Superiore Societatis absolvi non posset." Etiam: „tamquam apostatas, etiam per auxilii sæcularis brachii invocationem, summarie et sine figura judicii revocari." —

479 *e.* — Matrimonium valide contrahere non possunt. — Gregorius XIII. „Ascendente": „nec matrimonium contrahere posse; quinimo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujusmodi nullos et irritos esse, prout irritos facimus et annullamus." — Hoc tamen valet tantum a tempore hujus Bullæ emissæ, non de tempore eam præcedente. Quod eruitur e C. 1. D. 94. et C. 2. D. 63.

f. — Vota prius facta suspenduntur pro tempore, quo in Societate manent. — C. 1. D. 132: „responsum fuit, in nostra Societate suspensa esse alia vota, etiamsi per professionem non tollantur; et sic obligationem eorum cessare, dum in Societate manent."

g. — Possunt dispensari ab irregularitatibus quoad Ordines suscipiendos a Generali et de ejus licentia a Provinciali, præterquam ex causa homicidii voluntarii, bigamiæ et mutilationis membrorum; irregularitas ex defectu natalium eo ipso emissis votis cessat. — Paulus III. „Licet debitum" 18 Oct. 1549.

h. — Possunt lucrari indulgentiam plenariam, quo die, finito novitiatu, prima vota emittunt; sicuti etiam novitii in ingressu Societatis. — Sic Paulus V. „Romanus Pontifex" 23 Maii 1606.

ARTICULUS QUINTUS.

DE INDIFFERENTIA HABENDA QUOAD GRADUM.

480 Postquam de diversitate votorum graduumque jam egimus, convenit quædam addere de animi dispositione, quam requirunt Constitutiones,

tum ad hæc vel ista vota emittenda, tum ad hunc vel alium gradum suscipiendum, tum demum ad altiorem gradum adipiscendum.

Habetur in P. 5. c. 4. §. 5: „postquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet, sed in suo perfici et obsequio DEI et gloriæ sese impendere; ac Superiori, qui scilicet CHRISTI Domini nostri vices gerit, curam aliorum omnium relinquere." — Eadem verba repetuntur in ipso Summario regularum.

1. — Proprie et per se hæc verba intelliguntur de certo et definito gradu: Coadjutorum spiritualium, Coadjutorum temporalium, Professorum, quem quis jam tenet, vel certo tenebit ex dispositione Superiorum. Sic enim est in Ex. c. 6. §. 5: „si quis instructus et examinatus fuerit, ut sit futurus spiritualis Coadjutor, sic vacare debet rebus spiritualibus, quæ cum sua prima vocatione proprie sunt conjunctæ, ut in posterum directe vel indirecte, per se vel alium, innovare aut mutationem aliquam a sua vocatione in aliam.... tentare non debeat, sed cum omni humilitate atque obedientia incedere ac progredi eadem via, quæ ipsi ab eo, qui nescit mutationem et in quem illa non cadit, ostensa est."

2. Attamen etiam in Scholasticis et Fratribus Coadj. sit hæc indifferentia necesse est, imo etiam in novitiis; non solum juxta internum vocationis spiritum, sed etiam juxta expressa et clara verba Constitutionum, uti supra jam expositum fuit, Art. 3. n° 2. Nam ex C. 5. D. 5. promittens ingredi Societatem in primis suis votis: „se obligat ad acceptandum gradum Professorum vel Coadjutorum formatorum, prout Præposito ad majus DEI obsequium fore videbitur." — In C. 7. D. 39. Fratres laici vi hujus voti tenentur suum gradum accipere, quando et quomodo Superiori videbitur. Novitii ipsi sæpius et expressis verbis de hac indifferentia monendi sunt; imo declarare debent, se bene intelligere sensum hujus voti et obligationem ejus. — C. 5. D. 50. n° 1.

3. — Quæ indifferentia cum sit tanti momenti pro bono statu 481
Societatis singularumque personarum, non erit abs re, fusius considerare motiva, quibus ad eam habendam omnes impellimur. — Legatur Instr. ad Super. c. 6: „de difficultate in gradibus acceptandis."

a. — Agitur enim non de re nobis libera, sed de obligatione religionis ex voto emisso suscepta, quo DEO ipsi, cui vovimus, obstricti sumus. Similiter non est nobis res nova et hucusque incognita, sed

de qua ab initio ingressus iterum iterumque edocti fuimus; imo quam bene nos intellexisse sæpius propria manu scriptis significavimus.

b. — Sed si etiam abstraheremus a formali hac nostra obligatione in hac materia, nemo nescit, quanti habeatur in Societate hæc mentis dispositio, quantumque ea necessaria sit sub multiplici respectu, quo eam exercere adigimur.

α. — Hic est enim præcise Constitutionum spiritus nostræque in Societatem vocationis natura, ut proprium velle et nolle omnino excludatur propriæque voluntatis electio non admittatur. Omnes scimus, qua cura et sollicitudine statim ab initio ingressus, theoretice et practice, omni data occasione hæc doctrina nobis infundatur.

β. — Imo in fundamento exercitiorum, ubi consideratur de recto usu creaturarum ad finem ultimum consequendum, hæc indifferentia circa res creatas omnes inducitur tamquam dispositio voluntatis necessaria, ut desideret homo et eligat, quæ magis eum conducunt ad finem ob quem creatus est.

γ. — Ob eam causam quoque interrogatur Societatis candidatus, Ex. c. 8. §. 2: „an se omnino sentiat indifferentem, quietum et paratum ad inserviendum Creatori ac Domino suo in quovis officio vel ministerio, quod ei Societas vel ejus Superior commiserit." — Nam si non sit indifferens, fieri non potest, ut in Societatem recipiatur in eaque degat.

δ. — Nec mirum; nam in quovis exercitu talem obedientiam indifferentem necesse est requiri, maxime quoad ejus internam structuram et formam, ut sit firmitas in eo et vigor ad militandum.

ε. — Et advertamus animum ad hoc, quod Superioribus in distribuendis gradibus non licet agere pro arbitrio, sed cum maxima et cauta diligentia, secundum normas sibi præscriptas, a quibus recedere non est eis liberum, nec sine culpa.

ζ. — In fine: tales homines discoli, qui non acquiescunt divinæ circa ipsos providentiæ, non solum sibi ipsis sunt oneri cum detrimento vocationis exercendæ, sed perturbant ut plurimum domum communitatemque totam, cum pacis et concordiæ omnimoda jactura.

c. — Abstractione facta a propria nostra obligatione in hac re, nemo non videt, esse jam christianæ humilitatis in genere, non ambire locos præcellentes sedesque superiores.

α. — Unde est, quod recte postulant Constitutiones, ut simus contenti, imo læti, si quæ viliora sunt et magis despecta, nobis tribuuntur, imo sponte talia desideremus et eligamus.

β. — Et negari non potest, plerumque et ordinarie eos, qui inferioris sunt gradus, plura et majora operari in Dei gloriam et proxi-

morum salutem, quam ceteri, qui ratione gradus sui immediate applicantur muneribus internis et domesticis.

d. — Demum nostra ipsorum felicitas paxque interna conservanda postulant hanc indifferentiam:

α. — ambitiosi se dignos reddunt, qui irrideantur.

β. — probant facto, se altiore gradu esse indignos.

γ. — se ipsos sentiunt infelices et incapaces.

δ. — spernunt divinam circa se providentiam.

ε. — semper falluntur in propria æstimatione.

Hæc omnia revera satis nos movere possunt, ut horreamus a perniciosa ista peste ambitionis. — Instr. ad Sup. c. 6.

Sexta Pars Constitutionum.

De cooptatis in Societatis corpus; quod ad ipsorum personas pertinet.

Postquam quis per ultima vota in corpus Societatis definitive cooptatus est, docetur a sancto Ignatio quidnam ipsi observandum sit, et quidem quoad propriam ipsius personam in hac parte sexta; in septima vero quoad proximum; demum in parte octava quoad Societatem ipsam. — Nostra Pars sexta continet duplicem materiam: primam de votorum obligationibus, cc. 1. et 2; secundam de iis, quæ ex parte Societatis bona omnibus membris offeruntur, cc. 3., 4. et 5. — Præmittimus quædam generalia, tanquam fundamentum, quo cetera nituntur.

PRÆLIMINARIA QUÆDAM.

De statu religioso in genere.

482 Definitur hic status: „stabile vitæ institutum, ab Ecclesia approbatum, pro fidelibus, qui tendere volunt ad perfectionem, per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ, et quidem sub certa regula et communitur vivendo." — Explicemus singula hujus definitionis membra.

1. — „Stabile vitæ institutuum." — Recte enim loquimur de *statu* religioso; nam is qui est in hac conditione vitæ, retinetur in ea (ea enim est status natura) per causam ipsum obligantem, quam nullatenus tollere potest. Hæc causa obligans et indissolubilis sunt ipsa vota religiosa emissa, quæ ideo vocantur substantialia religionis: homo omnino liber est ad ea emittenda aut non emittenda; sed postquam libere ea emisit, ligatur iis indissolubiliter, saltem ex sua parte, ad manendum in hac vitæ conditione; quare ponitur in *statu* religioso.

2. — „Ab Ecclesia approbatum." — Ad substantiam status religiosi requiritur approbatio facta ab auctoritate ecclesiastica; quod sic ostenditur.

a. — Status religiosus non potest esse vagum quid et indefinitum; sed prout est ipsius finis et sunt ipsius accidentia, habet formam valde concretam et accurate circumscriptam, variam quidem secundum varietatem finium diversorum, quos singulæ religiones prosequuntur. Summi autem momenti est, ut non ipsis fidelibus definitive permittatur in hac gravissima materia, pro suo sensu et arbitrio omnia et singula ordinis statuere, ne ex imbecillitate humana in errores incidant statuantque, quæ nociva potius sint, quam utilia. Unde est, ut omnia hæc subjiciantur judicio Ecclesiæ.

b. — Sed etiam communi bono conducit, ne pro arbitrio fidelium nimis multa et varia Instituta religiosa oriantur. Jure igitur competit auctoritati ecclesiasticæ, circumspicere et definire, an præter plurimas religiones jam exstantes novæ quædam addantur in utilitatem Ecclesiæ universalis. Unde factum est, ut in Concilio Lateranensi IV., quod est œcumenicum XII., sub Innocentio III. 1215. Sedi Apostolicæ approbationes religionum reservarentur, quæ prius episcopis competebant. Accedit hæc ratio: eo ipso, quod status religiosus non subdatur auctoritati ecclesiasticæ, desinit esse status perfectionis, quum jam non sit sub potestate a Deo ordinata.

c. — Quivis ordo est congregatio sive communitas in ipsa Dei Ecclesia existens, ratione quidem sibi propria; unde requiritur, ut etiam jurisdictio ecclesiastica ad eum pertingat suo proprio modo. Quum vero omnis jurisdictio in Ecclesia oriatur ab ipsis Ecclesiæ prælatis atque ab ipsa summa Sede Apostolica, recte infertur, præcipue ex hac ratione approbationem ecclesiasticam accedere debere, ut religio quævis gubernetur ea potestate eaque auctoritate, quæ a Deo in tota Ecclesia constituta est. — Sunt autem diversæ approbationes: *a)* solemnis et definitiva. *b)* commendatitia. *c)* permissiva. *d)* episcopalis. Verba ipsa rem explicant.

3. — „Pro fidelibus, qui tendere volunt ad perfectionem." — Non intelligitur hic perfectio communis et omnibus omnino necessaria ad salutem, i. e. ut sint in gratia et observent mandata; sed est altior iste perfectionis sive altior charitatis gradus, quo non contenti servare quæ mandata sunt, addunt etiam opera supererogationis, præcipue in observandis consiliis evangelicis. Est autem religio status perfectionis *acquirendæ*, et hanc magis magisque, mediis adhibitis necessariis, attingere religiosus adstringitur.

483 4. — „Per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ," quæ revera substantiam religionis constituunt. Etenim:

a. — vota removent obstacula tum interna, tum externa, quæ impedire nos possunt, quominus DEO totos nos tradamus, in quo est essentia religionis.

b. — liberant nos a curis et sollicitudine circa familiam et res temporales, quæ ceteroquin homines detinent, quominus ad altiora se accingant.

c. — sunt in se perfectissimum rerum omnium sacrificium, circa res externas, corpus et animam; ergo etiam perfectissima in DEUM traditio.

5. — „Communiter vivendo." — Vita communis non est per se de substantia religionis; sed requiritur nunc ex jure positivo et universali Ecclesiæ praxi, cum non approbetur religio, nisi quæ habeat vitam communem sub uno capite.

484 6. — „Sub certa regula." — Regula, quam sequitur quævis religio, est quasi ipse ordo in concreto, secundum suam propriam formam, in qua ab Ecclesia approbatus fuit. Complectitur igitur regula ipsum finem ordinis, non solum generalem, sed maxime etiam specialem et proprium, simulque media appropriata ad hunc finem assequendum. Per regulam igitur dirigitur adjuvaturque religiosus ad finem perfectionis assequendum, modo suo ordini appropriato et maxime conducenti.

Antiquitus regula vocabatur brevis ista norma breviaque præscripta, a fundatoribus concinnata, secundum quæ religiosi vitam instituere tenebantur pro perfectione assequenda juxta finem ordinis. Erant tunc celeberrimæ istæ quatuor regulæ, a fundatoribus nomen gerentes: sancti Basilii, sancti Augustini, sancti Benedicti et sancti Francisci, qui vocabantur patriarchæ religiosi. Hæ regulæ breves, tum a fundatoribus ipsis, tum a legitima succedente auctoritate, fusius illustrabantur et explicabantur per editas Constitutiones, quæ vocantur. Ita in istis familiis religiosis regula ipsa a Constitutionibus additis distinguebatur. — In Societate nostra contrarium obtinet: normæ originariæ et primitivæ ab ipso Sancto Ignatio conscriptæ Constitutiones vocantur; explanatio autem harum Constitutionum earumque applicatio magis particularis et pro diversis classibus et muneribus accommodata regulæ vocantur. Attamen hic, ubi de statu religioso in genere disserimus, comprehendimus, dum de regula et de regulis loquimur, omnia ista, tum generalia

tum specialia, secundum quæ in singulis religionibus religiosi juxta varietatem sui ordinis, vitam suam componere et ordinare tenentur. De regula, si ita intelligitur, hæc tenenda sunt:

a. — Regula quamdiu ab Ecclesia non est approbata, habet solum vim directivam; postquam approbata est, supposito voto, habet naturam et vim legis, i. e. obligat in conscientia, sive ad culpam sive ad pœnam. Et quidem quoad culpam potest regulæ obligatio esse vel gravis, vel levis; quoad pœnam vero vel ipso facto incurrendam, facta transgressione regulæ, vel suscipiendam in conscientia, si a Superiore pro læsione regulæ imponitur.

b. — Quomodo autem obliget regula, et quæ sit qualitas obligationis, 485
gravis levisne, ex tota actione ejusque circumstantiis dijudicari debet. Itaque:

— α) ex tenore verborum. Sic obligat per se graviter præceptum proprie dictum, quod fit: in virtute obedientiæ; sub pœna excommunicationis; præcipimus; mandamus. — β) ex materia ipsa, si præceptum proprie dictum læditur. Tunc fit aut peccatum grave, aut leve, prout materia est aut gravis aut levis. — γ) ex intentione fundatoris, si vult et statuit, ut quævis regula in se inducat obligatiouem sub culpa in conscientia. Tunc pendet gravitas culpæ in transgressione regulæ a gravitate vel levitate materiæ vel regulæ ipsius. — δ) ex modo, quo læditur regula. Nam etiam tunc, quando regula in se non obligat sub culpa, sæpissime tamen in ea lædenda fit peccatum aliunde, v. g. ex motivo peccaminoso iræ, superbiæ etc.; vel ex circumstantiis v. g. ex scandalo inde orto, et ejusmodi. — ε) ex nexu, quem habet regula cum votis. Nam cum vota obligent sub culpa, regula præscribens materiam in voto contentam similiter obligat sub culpa, vel gravi vel levi, pro diversitate materiæ. — ζ) potest etiam esse, ut in materia gravi non adsit nisi levis obligatio, si ita est intentio fundatoris.

Nota. — In Societate regula non obligat sub culpa, quod habetur in P. 6. c. 5. §. 1: »nullas Constitutiones, Declarationes vel ordinem ullum vivendi, posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere, nisi Superior ea in nomine Domini Nostri Jesu Christi vel in virtute obedientiæ juberet.« — Applicanda tamen etiam in Societate manent, quæ dicta sunt modo sub litt. δ) et ε).

Coroll. 1. — Quum religio sit status perfectionis acquirendæ, nemo 486
non videt, religiosum teneri, ad hunc finem mediis convenientibus tendere. Quæritur, qualis sit hæc obligatio.

a. — Religiosus sub gravi obligatur uti mediis supererogatoriis in tendendo ad perfectionem, i. c. exercendo opera, ad quæ alias obligatus

non fuit; qualia sunt, quæ continentur in votis, vel Constitutionibus sui ordinis. Nam in his est substantia status religiosi; unusquisque autem tenetur sequi obligationes sui status.

b. — At religiosus non tenetur sub gravi omnibus uti mediis supererogationis, præsertim iis, quæ non sunt præscripta in suo ordine et ad quæ tenenda proin ipse se non obligavit. Aliud enim est, nolle ullis mediis supererogatoriis uti; aliud, nolle aliquibus his mediis uti, præsertim si agitur de rebus, quæ per se non inducunt obligationem, sed indifferentes sunt. — Ad summum (juxta nonnullos contra communem) posset talis per accidens graviter peccare contra obligationem tendendi ad perfectionem, quatenus haberet propositum virtuale, deficiendi etiam in necessariis, sive exponendi se periculo graviter peccandi. Tunc emin in eo adest potius voluntas non progrediendi; ad quod tamen vi status sui obligatur.

487 *c.* — Velle in religione tantum ea adimplere, ad quæ sub peccato gravi quis tenetur, juxta communiorem et probabiliorem sententiam non est grave peccatum. Nam religiosus observans ea, ad quæ sub gravi tenetur, de facto tendit ad perfectionem, ponens opera supererogatoria, i. e. opera, quæ in aliis non sunt de obligatione, sed de consilio tantum; ipsius vero tota obligatio ad ea ponenda oritur tantum ex substantia status, quem libere omnino elegit.

d. — Agere contra præceptum vel regulam ex formali contemptu sive personæ imperantis, sive regulæ obligantis, etiam est peccatum grave, utpote contemptus legitimæ auctoritatis. Aliud esset, si contemptus fieret circa rem tanquam inutilem, nocivam, parvi momenti.

488 *Coroll.* 2. — Votum et virtus voto analoga, v. g. votum paupertatis et virtus paupertatis, habent alia communia, alia in quibus differunt; et multum interest scire, quæ sit inter utrumque conjunctio sive relatio.

a. — Virtus est finis voti attingendus; i. e. votum quis emittit observatque, ut ad virtutem perveniat eamque perficiat. Votum enim removet externa obstacula, quibus internus affectus impeditur, v. g. in paupertate: abjicit religiosus per votum paupertatis bona externa, ut facilius affectum cordis ab iis abstrahat. Sub hoc respectu igitur virtus eminet præ voto, utpote finis præeminet mediis.

b. — Virtus ampliorem tenet ambitum objecti sui, quum præter externa attingat etiam internum affectum, imo complectatur altissimam quoque perfectionem. Econtra votum arctioribus circumscribitur terminis, et immediate et proxime prohibet tantum actus externos.

c. — Sequitur inde, posse fieri læsionem virtutis, et tamen non lædi votum. Sic religiosus, qui retinet vel fovet affectum inordinatum ad res temporales, v. g. tristando de earum carentia vel desiderando eas recuperare, peccat contra virtutem paupertatis, non contra votum.

d. — Attamen virtus, quamvis sub hoc respectu præeminens sit præ voto, tuetur tamen et adjuvat quoque votum servandum: et ita se habet etiam per modum medii. Quamdiu enim quis virtutis exercendæ studiosus est, votum non periclitatur; econtra defectus repetiti contra virtutem necessario etiam parant voto periculum.

e. — Item votum emissum corroborat servatque virtutem, quum removeat præcipue obstacula virtutis exercendæ. Præterea votum reddit virtutem nobiliorem et magis meritoriam, cum tribuat ei motivum religionis ejusque meritum.

Nota. — Ex his, quæ diximus de mutua inter votum et virtutem relatione, apparet clare, quam longe absit a status sui indole et spiritu ille religiosus, qui satis esse putat abstinere ab externis contra vota offensionibus, neque studet virtuti perfectionique acquirendæ: id est viam ingredi, sed nolle progredi ad terminum. Et hæc ipsa negligentia est ratio, quod sæpe homines religiosi longe superantur ab hominibus sæcularibus in via ad finem ultimum assequendum, dum hi cum energia et perseverantia sæpius tendunt ad altiora.

CAPUT PRIMUM.

De voto Castitatis.

SANCTUS Ignatius statim in initio hujus Partis sextæ, c. 1. §. 1. loquitur de voto castitatis, sed quasi per transennam tantum: »quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfecte observanda, nempe enitendo, angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostræ munditia". — Revera hujus voti obligationes eædem prorsus sunt in omnibus religionibus; quare ad ea possumus remittere, quæ juris communis sunt et a theologis moralistis proponi solent; accedunt solum ea, quae Constitutiones nostrae habent, maxime de mediis servandae hujus virtutis. — Ut materiam tamen huc spectantem totam complectamur, agemus, quamvis breviter, de his: — *a*) quid sit castitas, et quae sint ejus obligationes; — *b*) quae media ad eam servandam colendamque.

SECTIO PRIMA.

De natura et obligatione Castitatis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA ET ESSENTIA CASTITATIS.

489 Castitas est pars virtutis temperantiæ, quæ est una ex cardinalibus et refrænat affectum ab iis, quæ ipsum alliciunt contra præscriptum rationis. Strictiori sensu temperantia vocatur virtus, refrænans sensualem appetitum in iis, quæ maxime hominem alliciunt, i. e. aut in delectationibus gustus et potus, et tunc vocatur vel abstinentia vel sobrietas; aut in delectationibus carnalibus sive venereis, et tunc est castitas. Est igitur castitas virtus ordinans appetitus carnales secundum legem rationis. Et hoc potest fieri in triplici hominis conditione, ita ut tres castitatis species oriantur:

1. — Castitas communis, seu propria status cujuscunque. Hæc non admittit ullam inordinationem affectus carnalis in suo vitæ statu, quin tamen renuntiet privilegio seu juribus sui status, v. g. status conjugalis. Castitas ita accepta est virtus castitatis generalis, præscripta omnibus vi sexti mandati, tum solutis, tum conjugatis, tum viduatis. — Castitas hæc sic generaliter sumpta jam est virtus una ex nobilissimis, et altissimis, ignota fere antiquis, solique religioni christianæ propria, quæ de ea gloriatur, uti victrix fortissima de hoste quam maxime atroci pertinacique.

2. — Castitas virginalis seu virginitas, flos amœnissimus ævi christiani, complectens tria: — *a)* integritatem corporis tanquam suam materiam; — *b)* integritatem mentis, seu propositum immutatum servandi intactum corpus et animam; et hæc est pars formalis castitatis; — *c)* ad quæ accedit motivum supernaturale, h. e. servandi ista ex amore virtutis et spe bonorum æternorum. — Hæc virginitas, maxime quando in Ecclesia pro speciali vitæ statu accipitur, statim ab initio in ea uti res coram DEO pretiosissima summis laudibus celebrabatur privilegiisque singularibus ornabatur. Summo jure quidem, quum eam in sanctissima Virgine et Matre DEI, imo et in ipso Salvatore, summa reverentia summaque humilitate amplectamur.

3. — Castitas religiosa addit votum, et est virginitas DEO per votum oblata. Hæc facit virginitatem quasi instrumentum cultus divini, cum

ei addat qualitatem religionis ejusque meritum, sanctificans totum corpus animanque in sacrificium purum et acceptum in conspectu divinæ Majestatis. Non potest igitur esse in homine quidquam altius nobiliusque; unde etiam hæc castitas religiosa requiritur in eo statu hominum, qui est in Ecclesia DEI et altissimus et nobilissimus, nimirum in sacerdotibus et apostolis.

Nota. — Dum agemus de iis, ad quæ servanda vel evitanda obligat castitas, distinguamus oportet inter ea, ad quæ obligat votum castitatis, et ea. ad quæ virtus; in duobus articulis.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBLIGATIONIBUS VOTI CASTITATIS.

Pro fundamento ponendum est, materiam hujus voti eandem esse 490
atque virginitatis, seu castitatis in statu hominis soluto. Itaque:

1. — Votum castitatis prohibet quamvis delectationem carnalem voluntariam, tum externam, tum internam, etiamsi eadem in alio statu, v. g. in statu matrimoniali licita sit.

2. — Tum prohibet indirecte omnia interna et externa, quæ periculum peccandi involvunt; quæ sunt libertas sensuum externorum nimia et non necessaria, phantasiæ quoque, conversationis cum aliis, maxime cum altero sexu, pruritus legendi curiosa et sensualia, similiaque.

3. — Vetat dein votum privatum castitatis inire matrimonium, nisi fiat ex condicto utriusque partis propositum non consummandi matrimonium servandique omnino virginitatem in statu conjugali. Quod v. g. potest esse, si voluntas adsit solvere hoc matrimonium ratum per vota in religione emittenda.

Nota. — In Societate JESU votum castitatis simplex, quod emittitur in fine 491
novitiatus, est dirimens impedimentum matrimonii subsequentis, a tempore Bullæ »Ascendente« 1584, quæ reddit inhabiles ad valide contrahendum matrimonium non solum eos qui deinceps emittunt in Societate hoc votum, sed etiam qui id jam emiserunt.

4. — Ad judicandum de gravitate vel levitate obligationis, quæ inest in voto castitatis, tenenda est hæc regula: votum castitatis ratione religionis in eadem mensura obligat, ac virginitas ratione castitatis; aliis verbis: quod grave vel leve est contra castitatem in statu soluto, est etiam grave vel leve contra religionem in eo, qui emisit votum castitatis.

492 5. — Motiva, quibus impellimur sollicite servare votum castitatis, imprimis derivantur ex gravitate hujus obligationis sub multiplici respectu:

a. — ex materia ipsa; nimirum ex natura castitatis. Quam gravis sit obligatio servandi eam, apparet luculentissime ex fœditate et pernicie vitii oppositi: luxuriæ, quæ corrumpit hominis et corpus et animam eumque inferiorem reddit ipsis brutis animalibus. Unde etiam jure vocatur vitium bestiale.

b. — ex sanctitate voti, cujus violatio, sive interna sive externa, sacrilegium constituit.

c. — ex amore, quem debemus tum Societati, tum Ecclesiæ, cujus famam et honorem servare nostrum est.

d. — ex duplici nostri status conditione, qua non solum religiosi, sed etiam apostoli nominamur et sumus. Etenim:

α. — religiosi hominis est, removere a se quam longissime omnia, quibus impeditur ad intimam cum DEO unionem pervenire. In quo studio nihil fortius obstat, quam quæ carnalia vocamus; secundum quod dicitur: quia caro et sanguis regnum DEI possidere non possunt; et animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus.

β. — qua apostoli constituimus militiam CHRISTI, cujus milites vocamur et sumus. Militem vero expeditum esse oportet, liberum a curis et a sollicitudine, quibus paterfamilias implicatur; unde in statu virginitatis permanet apostolus ex institutione Ecclesiæ. — Positus dein a Spiritu sancto pascere gregem fidelium, uti bonus pastor semper paratus esse debet ad ponendam animam pro ovibus suis; quomodo hoc fieri posset, si detineretur vinculis et obligationibus terrenis et domesticis! — Mediator porro constitutus inter DEUM et homines, offert orationes et sacrificia nomine Ecclesiæ et pro Ecclesia tum militante tum patiente. Unde ad tantam sublimitatem et dignitatem haurire posset energiam et virtutem, nisi ex robore virginitatis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PERFECTIONE CASTITATIS.

493 Præter ea, ad quæ in castitate servanda sub pœna peccati obligamur, multa sunt, quibus castitas et colitur et perficitur, tum in quantum est simpliciter virtus, tum etiam in quantum est DEO per votum oblata.

1. — Perfectio enim castitatis continet non solum ea, quæ præcepta

sunt nec sine peccato possunt omitti vel committi; sed prorsus ea omnia, quibus castitas defenditur, custoditur, elevatur, nobilitatur. Unde eo perfectior est hominis castitas, quo magis comprehendit totum hominem, externum et internum cum omnibus animi facultatibus et operationibus. Manifestatur autem hæc castitatis perfectio in externa modestia, decentia, mansuetudine; necnon in interna puritate, nobilitate, elevatione phantasiæ, intellectus, cordis. Homo castus apparet quasi lumine quodam perfusus, spiritualique unctione roboratus, quibus probatur, ipsum ascendisse gradum quendam altiorem a communi vita remotum.

2. — In Societate nostra perfectio castitatis ostenditur verbis sancti Ignatii sat notis: „imitari angelicam puritatem et corporis et mentis munditia."

a. — Quæ verba non sunt novum quid et inauditum; sed probantur per ipsam Scripturam sanctosque Patres. — Matth., 22, 30: „non nubent neque nubentur, sed erunt sicuti angeli DEI in cœlo." — Et Patres passim de castitate: „portio angelica; cognata angelis; aliquid non carnis in carne;" et similia.

b. — Probantur ista verba etiam ex natura et officiis Angelorum. Sunt enim hi spiritus puri, rationales; repræsentant typice ea, quæ sunt sine carne et macula. Et quamvis ipsi sine corpore, tamen ex ordinatione divina agunt in mundum corporalem et materialem. Recte igitur hi spiritus a materia abstracti et tamen in materialia influentes typum gerunt eorum, qui et ipsi mente super terrena elevati in homines terrestres agere debent pro fine supernaturali exsequendo. Qui sunt apostoli omnesque salutem proximi procurantes.

3. — Sunt autem hujus virtutis quatuor gradus, qui a scriptoribus 494
spiritualibus passim enumerantur:

a. — Liberum se servare ab omni contra castitatem peccato, tum externo, tum interno, etsi incitamenta sint crebra vehementiaque.

b. — In consuetis et ordinariis vitæ conditionibus naturam suam sic compescere, ut non excitetur, imo pacata et tranquilla permaneat.

c. — Eandem hanc pacem tranquillitatemque custodire, quamvis circumstantiæ ejusmodi sint, quæ vehementius per se libidinem excitent.

d. — Summus gradus est, esse in corpore sine corpore, ita nimirum, ut affectus carnalis omnino sopitus appareat, nullosque pravos motus excitet.

Nota 1. — Hic gradus quartus elevatus et summus non est insolitum quid et rarissimum in Societate; nam legimus, multos fuisse in ea omnino immunes ab

omni infestatione et commotione carnali. Atque de sancto Ignatio constat, ipsum jam in exordio vitæ suæ novæ habuisse lumbos præcinctos prorsusque per totum vitæ spatium nescivisse affectum carnalem. — Ad tertium vero gradum ascendere eumque firmiter tenere, i. e. etiam in circumstantiis per se excitantibus et periculosis immunem persistere a tentatione et commotione, proprium studium est omnium in Societate degentium, quum vocationis nostræ sit, etiam cum sceleratissimis et maxime perditis hominibus conversari pro salute eorum procuranda. Quodsi ex officio quasi cogimur exponere nos periculis pro re DEI agenda, non est temerarium, specialem quoque divinæ providentiæ gratiam sperare, modo non desinamus armare nos iis remediis, quibus etiam hunc hostem infestissimum superari novimus. — Quod verum esse historia testatur. Quot enim Societatis homines, adolescentes pariter et ætate provectiores, legimus in ipsis principum aulis, ubi blandimenta sensualitatis quasi obtruduntur, puros non solum ab omni labe, sed pacatos etiam imperturbatosque per annos et annos vixisse, ita ut ipsi aulici hominesque sæculares vehementer mirarentur de virtute tantopere firma et illibata. Tantum valet timor DEI castus et tener.

495 *Nota.* 2. – Quum simus filii Societatis JESU, cujus finis est nobilissimus, gravissimis rationibus urgemur, ne simus in hac parte contenti ordinario castitatis gradu, sed ut enitamur omnibus viribus ad summum etiam ascendere.

a. — Angelicam puritatem imitari, compellimur jam ipsa regula, quæ ex natura sua est norma agendi communis pro omnibus, nec proponit insolitum quid et ad quod provectiores tantum et magis fervidi tendere conentur. Supponitur igitur omnis JESU socius, in munditie cordis et corporis perficienda habere studium quodammodo ideale et cœleste.

b. — Jure etiam dicitur, in hac virtute colenda facilius esse, ad altiorem gradum se protendere, quam contentum manere necessaria quadam mensura, qua quis peccati quidem evitandi habet voluntatem, energiam autem removendi periculosa et adhibendi ardua non habet. Unde evenit, ut fluctuet continuo inter dubia et anxietates, firma autem cordis pace non gaudeat. Quantopere talis homo impeditur in exercendo ministerio fortiter et laetanter.

c. — Vi Constitutionum adstringimur, vere spirituales esse et intimam cum DEO familiaritatem habere. Quod cum sit finis noster omnino attingendus, nemo non videt, quantopere absint oporteat a nobis omnia sensualia et carnalia, iis omnino contraria. Quæ enim conventio CHRISTI ad Belial.

d. — Maxime vero vita nostra, quam profitemur Apostolica, exigit secundum naturam suam puritatem summam quam possimus attingere mentis et corporis. Etenim :

α. — Apostoli constituuntur, ut manifestent hominibus DEUM ipsum purissimum, sanctissimum, amantissimum. Quod dum prædicando verbis faciunt, eo magis stimulantur etiam opere monstrare et facto, dum ipsi se omnium oculis exhibent puros, sanctos, amantes. Si desint facta, quid sola verba efficient. Verba movent, exempla trahunt, maxime in hac re.

β. — Angeli, spiritus puri, in œconomia salutis semper erant administratorii spiritus, in ministerium missi eorum, qui hæreditatem capient salutis. Acceperunt Israëlitæ legem in dispositione Angelorum; mittuntur sæpissime Angeli ad adjuvandos, eripiendos, salvandos homines tempore testamenti veteris. Præcipue vero in plenitudine temporis, cum misit DEUS Filium suum, apparent Angeli in

omnibus fere incarnationis mysteriis: Angelus annuntiat jam nativitatem præcursoris, dein Salvatoris ipsius; concinunt Angeli DEI laudem in nativitate ipsa; ministrant ipsi post tentationem, cum incepturus esset prædicationem; confortant eum ad suscipiendam passionem; custodiunt corpus sepultum; annuntiant gaudentes ejus resurrectionem; comitantur ascendentem Dominum in jubilatione et voce tubæ; et demum comitabuntur eum, quando veniet in majestate cum Angelis judicare vivos et mortuos. Unde hæc omnia? Quia puri spiritus digni sunt participes fieri mysteriorum istorum sanctorum, quibus DEUS ipse salutem hominis operatus est. — Nonne jure merito inferre debemus, etiam eos, qui participant in mysteriis salutis singulorum perficiendæ, necessario futuros esse puros, sanctos, immaculatos, castos, angelos? Quodsi jam in lege vetere Sacerdotes, dum vacabant sancto servitio, abstinere jubebantur ab omni commercio carnali, quantopere decet novæ legis Sacerdotes abhorrere a carnalibus et sensualibus, quum quotidie intrent in Sancta Sanctorum, offerentes Agnum purum et immaculatum, in conspectu purissimæ divinæ Majestatis totiusque curiæ cœlestis.

γ. — Et hæc omnia eo magis, quum ratione nostræ vocationis exercendæ pericula nobis immineant undique, quæ declinare nobis fas non est. Jam ab annis studiorum cogimur picem tangere, et nihilominus oportet non fœdari: in studiis, in confessionali, in visitatione ægrotorum, in conversatione cum hominibus necessaria: ubique adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Cui resistamus fortes in fide et casto DEI timore.

SECTIO SECUNDA.

De mediis servandæ Castitatis.

In iis, ad quæ ex voto castitatis emisso tenentur religiosi, non differunt singuli ordines inter se; in mediis vero parandis, quibus castitas defenditur perficiturque, utique inter se diversi sunt, alii alia, minus magisque efficacia suis Sociis exhibentes. Dividemus hæc media, quibus utimur in Societate, tripliciter: media interna, media externa, media ab ipsa Societate specialiter exhibita; quibus addemus quarto loco eam legem, scilicet clausuræ, quam Ecclesia omnibus religiosis imponit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MEDIIS INTERNIS COLENDÆ CASTITATIS.

1. — Primo loco, quasi pro lapide fundamentali, ponimus genuinam 496
efficacemque spiritualitatem, qua excludatur omnis sensus carnalis et mundanus; nam quo magis confortatur spiritus, eo magis etiam debilitatur caro. Sed hanc spiritualitatem non intelligimus affectuosam quandam, sed realem et facto probatam, seu eam, quæ utitur veris mediis ad unionem cum DEO perficiendam. Hoc loco venit præprimis usus ora-

tionis modo nostro solido exercendæ; nam constat ex innumeris exemplis, jacturam castitatis originem duxisse ex jactura orationis faciendæ. Ad confessionem, sacram communionem et alia media in Ecclesia præparata eodem modo recurrendum esse, per se patet. Nemo negabit: quantum in illis, tantum etiam in castitate, ex natura rerum.

2. — Cum oratione pro castitate colenda venit abnegatio, plena et perfecta, maxime interna; nimirum:

a. — Refrænare phantasiam, volubilem hanc et indomitam animi facultatem. Forti omnino manu hic utendum est, ut omnia inutilia, frivola, periculosa procul arceantur; nam vix dici potest, quousque effrænis hæc et violenta animi facultas hominem abripere possit, si non continuo quasi cum violentia ei imperet domineturque.

b. — Refrænare intellectum, et „sapere ad sobrietatem". Quousque tandem abripit nos inordinatus quidam pruritus investigandi et indomita cupido cognoscendi. Nonne carnalis ista curiositas pestis est corrumpens animos fere omnium juvenum tempore studiorum? Cauti simus nos quoqua semper; sæpissime enim fit etiam in hominibus religiosis, ut postquam indulserint huic pruritui, v. g. in legendo, intelligant tandem, quantopere sibi ipsi in via spirituali nocuerint.

c. — Refrænare cordis affectum, ne inhæreat ulli rei naturaliter tantum, ne dicam inordinate. Ex cordis inclinatione parum custodita oriuntur istæ inordinationes, quibus sat frequenter videmus homines ceterum optimos misere immersos abreptosque in stultitias et peccata, a quibus, dum adhuc sanæ mentis erant, ipsi quam maxime abhorrebant. Hæc plane est via, qua diabolus etiam homines sanctos in abyssum detrahebat, detrahitque nunc, non raro cum scandalo proximorum perniciosissimo.

3. — Fortissimum demum castitatis servandæ propugnaculum nominamus sinceram animi humilitatem suique diffidentiam. Nonne obtruduntur oculis nostris, omni fere tempore, homines initio superbia spirituali inflati, demersi tandem in fœdissimas carnis spurcitias? Vides ipsos sacerdotes, prædicatores, religiosos imo, propter inflexibilem capitis duritiem, qua a sensis suis retrahi nolebant, tandem in carne finire, dum in spiritu bene cœperant. Unde necesse est:

a. — Sit nobis quam intime persuasum, portare nos thesaurum castitatis in vase quam maxime fragili, neque tutos nos esse, quantumvis putemus nos armatos contra ejus impugnatores, quia neque ætas, neque

sapientia, neque ipsa sanctitas securos nos reddere possunt. Quod videre est in rege Salomone.

b. — Teneamus proin etiam facto et re humilitatis actus et praxes: non exponere nos licet periculo sine necessitate; persistere debemus in sancto timore, quo firmiter DEO adhæreamus; contemnere neminem nec ullum condemnare; nec clausam habere conscientiam coram Superioribus, imo effundere coram ipsis etiam maxime arcana. Incedentes in hac via etiam diabolo erimus terribiles.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MEDIIS EXTERNIS COLENDÆ CASTITATIS.

Ad media interna necesse est accedant externa, non solum, quia hæc ex istis quasi per se promanant eorumque sunt effectus; sed maxime ea de causa, quia priora ista juvant eisque efficaciam addunt.

1. — Abnegatio sensuum externorum. — P. 3. c. 1. §. 4: „omnes 497
diligentissime curent, portas sensuum suorum (oculorum præcipue, aurium et linguæ) ab omni inordinatione custodire, ac se in pace et vera humilitate interna conservare, et eam in silentio, cum id observandum est, cum autem loquendum, in circumspectione et ædificatione verborum et modestia vultus ac maturitate incessus motuumque omnium, sine ullo impatientiæ aut superbiæ signo, exhibere; etc." — Hæc regula pingit nobis hominem externum, qualem Constitutionum nostrarum spiritus eum requirit, qualemque in ipso fundatore nostro nobis exhibitum fuisse bene novimus. Nam qui ejus vitam scripserunt, testantur, in eo omnia tam composita et ordinata fuisse, ut ne minimus quidem membrorum motus sensuumque usus fieret, qui non esset indicium eorum, quæ sancta et supernaturalia in anima sentiebat.

Ne miremur, similem omnino modestiam ab omnibus nobis requiri; ita enim — *a)* postulat regula, quæ cum emphasi nobis omnibus injungit: „diligentissime;" — *b)* postulat sanctitas sensuum membrorumque nostrorum, quæ data sunt nobis uti instrumenta, quibus DEUM honoremus colamusque; — *c)* postulat etiam debilitas cordis voluntatisque nostræ, quæ ab iis, quæ per sensus intrant, tantopere moventur; — *d)* postulat demum reverentia DEI omnipræsentis, in cujus conspectu et vivimus et movemur et sumus. Quantopere nostris Patribus semper cordi fuerit hæc externa modestia, testatur jam a renata Societate statim Congregatio prima, quæ est C. 20. D. 17: „nemo nescit,

quantum cordi fuerit Sancto Patri nostro, regulas modestiæ a se datas ab omnibus suis filiis quam accuratissime observari, quamque sollicite ab antiquis Patribus nostris fuerint observatæ. Ut hac in parte Societas renascens antiquæ minime cedat, vehementer exoptans Congregatio, prædictarum regularum exactissimam observationem omnibus commendat, et Superiores monet, ne negligentes sint in re, quam Sanctus Pater noster tanti momenti esse existimavit." — Idem C. 22. D. 44. §. 7.

2. — Quod de modestia sensuum motuumque corporis dictum est, suo modo valet de toto corpore: in omnibus corpori necessariis, in edendo, bibendo, dormiendo providendum est quidem necessitati ad reficiendas vires; sed ut indulgeamus in iis sensualitati, lex sancta prohibet. Sunt qui corpus nominent hostem nostrum domesticum, a quo quam maxime cavendum sit; tractemus igitur corpus uti hostem, vigilando et caute prospiciendo, ne passum quidem ei cedamus, quando vult recalcitrare contra ea, quibus hunc hostem domare statuimus. In primis igitur constantes simus in consuetis corporis pœnitentiis et castigationibus, ne unquam eas omittamus sine causa gravissima, v. g. malæ valetudinis, defatigationis nimiæ et hujusmodi. Mirum est, quantopere constantia in iis perficiendis spiritum vegetet et alacrem reddat. Ne indulgeamus dein otio inordinato: otium malorum omnium origo. Ora et labora! — Et labora serio omnino, non curiose deflectendo ad ea, quæ naturæ arrident potiusque delectant phantasiam, quam nutriant intellectum roborentque voluntatem. Est enim sedulitas quædam operosa, quæ hominem semper occupatum tenet, sed rebus superfluis, inutilibus, periculosis. Longe absit a religioso talis activitas.

3. — Ne periclitetur castitas, maxima cautio est adhibenda, ne in conversatione cum hominibus, imo cum nostris Sociis in religione, amicitia quædam naturalis, quæ plerumque degenerare solet in familiaritatem nocivam, sensim irrepat. Caveamus propterea, habere quandam prædilectionem unius vel alterius, cui externa quædam præ aliis amicitiæ signa exhibeamus, quocum libentius una simus, vel soli colloquamur, cui interna nostra, sinistra quadam confidentia, aperiamus; et similia. Quot homines religiosi in hanc viam declinantes e vocatione sua sancta tandem exciderunt miserique per totam reliquam vitam facti sunt.

ARTICULUS TERTIUS

DE MEDIIS IN RELIGIONE PRÆPARATIS.

Clarum est, vitam, qua religiosi vivunt abstracti a mundo ejusque 498 illecebris et periculis simulque suffulti tot mediis spiritualibus, per se jam esse murum et propugnaculum castitatis colendæ. Attamen recensebimus hic potius ea, quæ in Constitutionibus nostris in hac parte provisa et ordinata sunt, tum in Superioribus, quorum cura nos circumdat, tum in nobis, ut eorum sollicitudini cooperemur.

1. — Præprimis huc venit Instr. ad Superiores c. 5. per totum; ubi Superiores monentur: „providere, ut subditi vere spirituales sint, procedantque cum omni sinceritate et desiderio perfectionis, atque ut auxiliis, quæ diximus (in §. præcedente) rite fructuoseque utantur. — Amputent (Superiores) occasiones, quantumvis ægre futurum subditis sentiant, quasi vel parum ipsis fidatur vel nota aliqua inuri videatur. Si quid unquam accidat, quamvis id leve sit, quod minus rectum videatur, non prætermittant officium Superiores, ut commonefaciant, corrigant et remedium statim admoveant. — Doceantur confessarii, ne ex pia quadam opinione, quam habent de Nostris, venialia omnia aut levia, aut extra periculum esse ducant" etc.

2. — Superiorum vigilantia dirigitur in nonnulla, quæ sensim casti- 499
tati nocere possint.

a. — In litteris scribendis. — P. 3. c. 1. B: „si aliquis ex iis, qui domi sunt, cuiquam scriberet, nonnisi obtenta facultate, litteris ei ostensis, quem Superior destinaverit, id faciet. Si ad eundem litteræ mitterentur, ei primo reddentur, qui a Superiore fuerit constitutus; qui eas lectas reddet aut non reddet illi, ad quem sunt destinatæ, prout in Domino expedire ad melius ipsius bonum et DEI gloriam existimabit." — Ex. c. 4. §. 6. — Mulieribus scribere, reg. Præp. 72. et Rect. 70: „mulieres invisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus, Nostros non sinat; nec hoc quidem permittat, nisi viris valde probatis et prudentibus." — De modo scribendi habent Monita generalia, n° 4: „quin etiam formæ quædam scribendi et figuræ locutionesque, sæcularem et aulicam consuetudinem olentes, inania officia et affectatæ assentatiunculæ, et id genus alia, quæ haud parum dedecent, vitentur. Sed potius ita a nobis scribatur, ut non res solum, sed ipse etiam scribendi modus ædificationi sit legenti." — Scripta manent; quare in iis major etiam cautio, quam in loquendo adhibenda.

b. — Inutilia, vana, frivola a domibus nostris arceantur. — P. 3. c. 1. §. 14: „et arma nulla nec instrumenta rerum vanarum domi haberi [convenit]; sed tantum ea, quæ faciunt ad finem illum divini servitii et laudis, quem sibi præfixit Societas." — Decl. M: „cujusmodi essent instrumenta ad ludendum vel ad rem musicam, libri etiam profani, et alia id genus." — Eadem ex causa P. Beckx 12 Martii 1861 censuit, ludos scenicos non promovendos, sed potius eliminandos esse.

500 *c.* — Statuitur regula tactus quam vocamus. — Reg. Com. 34: „ut ea, quæ religiosos decet, gravitas et modestia retineatur, nemo alium etiam joco tangat, præterquam in signum charitatis amplexando, cum quis aut abit aut redit peregre." — Decentia in vestitu, reg. 13: „nemo cubiculo egrediatur, nisi decenter vestitus."

Et P. 3. c. 2. C: „in vestitu habenda est ratio ejus finis, qui est, ab injuria frigoris et ab indecoro defendi. Ceterum convenit, ut qui probantur, vestitus ratione, ad mortificationem et abnegationem sui, et ad mundum ejusque vanitatem sub pedibus conculcandam juventur. Et id quidem, quantum considerata natura, consuetudo, officium et aliæ personarum circumstantiæ patientur."

Nota. — Majori ratione tangere externos prohibetur. — S. Franc. Borgias 1570. — etiam super vestes. — 1585. — Nequidem manum osculandam feminis ac puellis porrigere decet. — 1596. — Id igitur vitandum est, quantum mos patriæ permittit. — 1629. — Sanctus Ignatius non judicabat esse contra hanc regulam, manum porrigere more Germanorum. — De joco cum canibus et felibus cf. Nigronius in reg. com. 36. (n. 6. in fine).

501 3. — In audiendis mulierum confessionibus plura sapientissime in regulis statuta sunt, quum ex natura rei in iis cor hominis cum periculo castitatis circumstringi possit.

a. — Ne nimis juvenes Patres tali operi applicentur. — Ord. c. 1. §. 8: „recens promoti Sacerdotes per duos saltem annos ut ordinarii operarii in ministeriis cum proximis non occupentur; atque intra hoc biennium et post illud, antequam ad mulierum confessiones exponantur, virorum confessionibus audiendis exerceantur." — Dicitur hic „ordinarii"; nam est Responsum in Sardin. 1607: „confessiones ante biennium sacerdotii expletum audire mulierum, dum versantur in missionibus, non est contra Instructionem pro sacerdotibus confessariis; nec contra rationem peragendi tertium annum." — Instr. 3. §. 1: idem; dein additur: „tum ut majoribus laboribus assuescant et fructuosius ac latius occupentur; tum ut experiatur Societas, ecquid in hoc ministerio valeant; tum demum, ut hoc modo maturiores fiant nec imparati accedant."

b. — In audiendis mulieribus desideratur omnimoda maturitas, maxime maturitas spiritus. — Reg. Prov. 100: „det operam, ut confessarii maturi sint ætate, quantum fieri potest, ac multo magis spiritu et moribus, præsertim qui ad confessiones mulierum audiendas mittuntur." — Instr. 3. §. 1: „id in primis curandum, ut multo major ratio maturitatis habeatur in spiritu, moribus et ædificatione; alioqui ætas, quæ conciliare etiam solet auctoritatem, non multum proderit."

c. — Hæc maturitas, imo severitas, in toto cum mulieribus agendi modo in confessionali appareat. — Reg. Sac. 16: „in audiendis confessionibus, fœminarum præsertim, severos potius se quam familiares exhibeant; in universum tamen paterna quædam et spiritualis gravitas in eis eluceat."

d. — Locus, tempus, modus, omnia prorsus talia sint, ut sanctitas hujus operis exigit. — Instr. 3. §. 2: „regula 15. Sacerdotum omnino ita servetur, ut ad crates mulieres audiantur, etiam in summa frequentia; neque excusationes admittantur, etiamsi sint puellulæ." — §. 3: colloquia non fiant, nisi in loco patenti. — §. 5: sub oculis syndici. — Confessiones ne protrahantur in noctem. — Satis luminis adsit, etc.

4. — In visitandis mulieribus, etiam si ægrotant, Nostri parci sint 502
modumque nobis præscriptum teneant.

a. — Omittantur istæ visitationes, nisi necessitas quædam urgeat. — Ord. c. 1. §. 9: „ad resecandas mulierum superfluas visitationes, quæ magna temporis ac spiritus jactura fieri solent, Provincialis, cum singula loca visitat, diligenter, an ulli sint excessus, investiget, ac præter eas, quibus ob dignitatem vel merita in Societatem id officii genus negari sine offensione non possit, ceteras omnes hujusmodi visitationes prohibeat."

b. — Clare enumerantur conditiones, sub quibus mulierum visitationes permitti possint. — Instr. 3. §. 9: — „primum, ut sit persona nobilis et primaria; neque enim omnibus devotis cujuscunque gradus id officii par est præstare, cum satis possint in nostris ecclesiis, et confessionibus et piis colloquiis, et juvari et instrui; — secundo, ut sit bene merita, non vulgariter, de Societate; — tertio, ut in domo illa marito, cognatis vel hujusmodi id officii gratum potius, quam odiosum esse credatur." — Ita quoad personas visitandas; quoad Nostros, qui visitant, hæc valent:

c. — „Nostri, qui id facere [visitare mulieres] possunt, videntur eligendi quam paucissimi; nimirum Superior, qui quasi publico nomine pro Collegio id exhibeat (ita tamen, ut valde moderate et circumspecte

id faciat, ut aliis exemplo præluceat) et confessarius, cum quo tanquam patre spirituali personæ, quæ visitandæ sunt, confidenter agere possint, qui si prohiberetur, maxime offenderentur."

503 *d.* — Semper visitanti socius adsit. — Reg. Sac. 18: „quando quis a Superiore mittetur ad confessiones fœminarum audiendas, vel alia de causa eos adierit, socius, quem Superior ipsi designabit, quamdiu cum fœminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit, unde videre eos, sed non, quæ secreta esse oportet, audire possit, quantum loci dispositio patietur; quodsi non pateretur, curet omnino Sacerdos, ne ostium sit clausum, nec locus obscurus." — Item C. 6. D. 43.

Hæc, quæ ex regula præscribuntur, lege decentiæ religiosæ jam imperantur. Unde tenendum est: — *a*) nemini detur licentia generalis exeundi sine socio. — *b*) si quis dispensatus est a stricta forma regulæ servandæ, eo magis regulæ finem prosequi studeat, ut integer et sine minima labe ullius suspicionis coram hominibus versetur, quod decet hominem Societatis. — *c*) declinemus stricte sumere cibum vel potum cum hominibus externis; et quando omnino necesse fuit connivere externis in hac re, ne tardemus rem cum Superiore sincere communicare.

Nota 1. — Hujus regulæ observatio post restitutam Societatem vehementissime commendata fuit. — 1835. 1836. — et sæpius a P. Anderledy in suis epistolis. — Ne adsint Nostri in prandiis quæ a nostris quondam discipulis celebrantur apud cauponem. — 1874. — Etiam in itineribus saltem longioribus adsit socius. — 1874. — Si quis mittitur ad suos, adjungatur ei socius itineris. — Adjungatur socius etiam iis, qui vehiculis per urbem utuntur; nam non obest paupertati, quod ad virtutis præsidium penditur. — Anderledy 1891.

504 *Nota* 2. — De sociis visitantium habetur Reg. Coadj. temp. 5: »noverint, debere se, cum domum redierint, ultro Superiorem admonere, etiamsi ab ipso non rogentur, si quid in eo genere contra hanc regulam commissum sit.« — Imo pœnæ statuuntur in eos, qui in hac parte offendunt. — Instr. 3. §. 7. — Instr. 15. c. 2. §. 3. — Ord. c. 4. §. 3.

505 *Nota* 3. — Quodsi jam in conversatione externa cum mulieribus cauti esse adigimur, cautiores etiam oportet nos esse in litteris ad eas mittendis et ab iis accipiendis. Litteræ nostræ semper tales sint, tum quoad ea, quæ continent, tum ad modum dicendi, ut ab omnibus possint cum ædificatione legi. — Litteræ sub inscriptione: »sub sigillo confessionis«, sive »res conscientiæ«, non nisi rarissime gravissimisque ex causis permittantur. Nam — *a*) per se prudentia communis jam postulat, ne tales res graves incertæ sorti litterarum committantur; — *b*) potest esse contra spiritum regulæ socii, qua intenditur, ut quam maxime fieri potest, omnes res nostræ Superiori pateant; — *c*) nam facile per hunc modum communicandi inter pœnitentem et confessarium utrique paratur tentatio scribendi etiam de iis, quæ non pertinent ad sigillum confessionis. — *d*) unde evenire potest, ut Superior jure suo interdicat et accipere et mittere tales litteras, adhibitis

prius convenientibus cautelis. — *e*) quæ dicta sunt, illustrantur Responsis. — Rectori Dilling. 1654: »Litteræ, quæ mittuntur ad Nostros cum hac intrinsecus inscriptione »conscientiam concernentia", vel: »ad confessionem spectantia«, non debent legi a Superioribus, ut nec responsiones ad illas, nisi certo constaret de scribentium fraude aut dolo. In dubio autem serio moneri debent illi, ad quos mittuntur tales litteræ; et significari potest, futurum, ut deinceps ipsis non reddantur. Ceterum pertinet ad industriam Superioris judicare de suis, an bona fide videantur agere.« — Rectori Gandiæ 1656: »rescriptum meum de schedulis aut litteris pœnitentium ad suos confessarios non legendis a Superioribus, quando continent arcana ad conscientiam pertinentia, ita intelligendum est, ut Superiori prudenter constare debeat, dictas litteras esse de hujusmodi arcanis. Quodsi de eo prudenter dubitat, potest uti jure a regula sibi concesso legendi suorum litteras. Ad securitatem expedit, ut prius moneat confessarium, de quibus litteris dubitat, legendas a se, quascunque ille scribet vel accipiet a suis pœnitentibus litteras vel schedulas, ut scilicet prævia tali monitione occurratur incommodis.« — Quod in hoc responso additur: »ad securitatem«, non est consilium, sed obligatio. Solum si monitio facta est scribenti de eoque certo constat, aliquando censeri potest Superior habere facultatem legendi litteras tales.

ARTICULUS QUARTUS.

DE LEGE CLAUSURÆ OBSERVANDÆ.

Clausuræ lex jure communi vocatur præscriptum, quo tenentur 506 religiosi et moniales, ne ex claustris sive monasteriis egrediantur, et ne homines sæculares in ea admittantur. Ex altera parte præceptum, quo tenentur sæculares, ne in claustra et monasteria ingrediantur. Ratio hujus legis latæ ab Ecclesia est sollicitudo et cura, quam gerit pro servanda vita religiosa integra, et maxime pro defendenda et custodienda in religiosis castitate. Nam etsi abstrahere velimus a periculis paratis ex hac parte per nimium inordinatumque commercium inter religiosos et sæculares, nemo non videt, per hanc præscriptam seclusionem et separationem religiosorum arceri a claustris spiritum mundanum et vanum, qui tantopere obstat recollectioni, orationi, fervori; foveri autem regularitatem disciplinæ, quæ est fautrix maxima vitæ religiosæ. — In præcepto non egrediendi e monasterio differunt inter se religiones, pro varietate finis, quem prosequuntur. Sunt religiones, quarum socii frequentissime egredi debent, juxta finem suum subveniendi proximis in eorum necessitatibus, sive corporalibus sive spiritualibus. Aliis raro tantum permittitur egressus, scilicet in casu extraordinario ad gerenda negotia communitatis necessaria. Aliæ demum strictissime suos socios retinent intra muros, pro fine suo contemplativo prosequendo. — Nostra Societas referenda est potissimum ad primam

classem, quum vocationis nostræ præcipue sit, subvenire hominibus in variis necessitatibus, maxime in spiritualibus. — Dividamus hanc materiam in tres numeros: de præcepto non egrediendi e monasterio; de prohibitione admittendi mulieres in domus virorum religiosas; de iis, quæ Constitutiones nostræ de hac re habent.

I. DE PRÆCEPTO NON EGREDIENDI.

507 Non agimus hic de egressu e monasterio, qui fit ex intentione deserendæ religionis subducendique se per fugam ab obedientia Superiorum. Hoc per se patet. Sed sermo est de exitu per se non illicito, nisi fiat vetitus et illicitus hic et nunc, ex ratione violatæ legis divinæ vel humanæ.

1. — Non vetantur religiosi exire e claustro cum licentia Superioris. — Suarez de rel. (gen) t. 4. tr. 8. l. 1. c. 6. nº 4: „hanc clausuram non esse ita præceptam monachis seu religiosis, ut nulla ratione eis liceat extra claustrum exire. Nam de licentia legitimi prælati exire licet, ut supponunt omnes regulæ religiosorum, et jus commune non repugnat, communisque consuetudo confirmat."

2. — Itaque prohibentur tantum religiosi exire sine licentia Superioris. Nam radicale fundamentum hujus prohibitionis est jus Superioris ad gubernandum et custodiendum subditum, quod graviter læditur per hujusmodi exitus. Subditus enim ita esse debet sub potestate Superioris, ut ab illo possit et gubernari et custodiri; a qua subjectione multum subtrahitur per suum discessum a monasterio, invito vel nescio prælato.

508 3. — Accedit jus positivum Ecclesiæ, Trid. sess. 25. de regul. c. 4: „nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint." — Dein Clemens VIII. Const. „Nullus": „nemo religiosorum audeat egredi e monasterio, nisi ex causa et cum socio, et de licentia singulis vicibus impetrata a Superiore, qui non aliter eam concedet, nisi causa probata, sociumque exitus adjunget, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius; licentiæ vero generales exeundi nulli concedantur."

4. — Juxta Suarez violatio hujus præcepti est peccatum mortale ex genere suo; fieri tamen potest veniale ex levitate materiæ. Sic leve vocat, si duo religiosi simul per communem januam exirent, paulo post reversuri; modo non adsit intentio mala. Communiter etiam admittitur, egressum sine prævia licentia Superioris factum non esse grave..., si semel vel iterum fiat, supposito, non fieri cum contemptu

Superioris, vel cum scandalo aliorum, nec tempore nocturno. Econtra tenendum esse grave, si religiosus exeat e monasterio eo animo, ut diutius maneat extra domum, quamvis sine intentione deserendæ religionis. Item si quis nocte et furtive relinquat monasterium, quamvis non habeat malam intentionem; vel etiam in die, cum intentione pernoctandi extra domum. Omnes hæ transgressiones graviter puniri solent; unde infertur, eas habendas etiam ut graves defectus. Attamen, utrum sint peccata mortalia pendet ex adjunctis.

Nota 1. — Omnia, quæ dicta sunt, jure communi statuuntur; sed præter hoc attendendum est ad statuta et regulas uniuscujusque religionis. Sic, v. g., si ex Constitutionibus Superior non posset dare licentiam exeundi, nisi »ex justa causa,« et ita quidem, ut regula obligaret sub culpa vel gravi vel levi, religiosus peccaret vel graviter vel leviter, si exiret sine justa causa, etiamsi Superior licentiam exeundi dedisset. — Suarez, tom. 4. tr. 8. l. 1. c. 6. n° 4. seqq.

Nota 2. — Sicut Superior subditis facultatem dare potest exeundi, sic etiam ipse hac eadem uti potest egrediendi; modo parcus sit in ejus usu, ne offendantur subditi.

II. DE PRÆCEPTO NON ADMITTENDI FŒMINAS.

1. — Ex lege naturæ nihil obstat, quominus fœminæ in monasteria 509
virorum admittantur, et viri in monasteria fœminarum, modo absit periculum peccandi et scandalum aliorum; quod si obtinet, ex hac causa vetitum est.

2. — Cum agatur tamen de re gravissima et maximi momenti ex omni parte, non solum ecclesiastica auctoritas, sed etiam religiones ipsæ positive quædam statuebant, ut abusus et pericula abessent.

a. — In corpore juris et ante Pium V. 1566-72 non invenitur lex ulla generalis, qua fœminæ vetantur ingredi in domos religiosorum virorum. Unde recte concluditur, tunc temporis hanc rem gravissimam ordinatam fuisse tum ex præscriptis legis naturalis, uti supra dictum est, tum ex Constitutionibus et regulis, quas singulæ religiones de hac re in utilitatem suorum condere satagebant.

b. — Nimirum religiones ipsæ Constitutionibus suis vetare solent, ne fœminæ ingrediantur in domus virorum religiosorum; quod factum esse etiam in nostra Societate, omnes norunt. Nec desunt religiones, in quibus ex privilegio ab Ecclesia concesso in transgressores excommunicatio fertur.

c. — Fiebat autem, ut matronæ nobiles et benefactrices ab auctoritate ecclesiastica, ut ita dicam, exemptionem ab isto privilegio obtinerent, qua censuram per talem ingressum non incurrerent.

3. — Pius V. vero Constitutione „Regularium personarum" 1566, irritas reddebat omnes tales licentias speciales, pluraque positiva constituebat, quæ ex tunc juris communis essent omnesque religiosos obligarent. Nimirum:

a. — excommunicationem ipso facto incurrendam inflixit in fœminas, quæ prætextu privilegiorum in monasteria virorum intrarent.

b. — contra viros religiosos, qui fœminas in suas domus admitterent, statuit pœnam: „privationem officiorum, inhabilitatem ad officia et suspensionem ipso facto incurrendam."

c. — Idem Pontifex in Constitutione: „Decet Romanum" 16 Junii 1570, declaravit, in Bulla ista prius edita non solum comprehendi fœminas „sub prætextu privilegiorum ingredientes," sed generaliter fœminas ingredientes.

d. — Gregorius vero XIII. 1572-1585 in Bulla: „Ubi gratia" excommunicationis pœnam statuit in ipsos religiosos, qui fœminas sub prætextu licentiarum in claustra sua reciperent. Et ex declaratione Sacræ Congr. Episc. et Regul. hæc pœna incurritur absolute in omni casu, quo fœminæ admittantur, etiam non „sub prætextu licentiæ."

4. — Tandem Benedictus XIV. 1740-1758 edidit Bullam: „Regularis disciplinæ" 3 Jan. 1742, in hunc sensum: revocat quæcunque privilegia admittendi fœminas intra clausuram conventuum, quacunque de causa, etiam devotionis, associandi processiones aut ss. Sacramentum, prohibetque quibuscunque etiam Cardinalibus, sive singulis sive eorum Cardinalium Congregationibus, ne facultates et licentias ingrediendi clausuram conventuum religiosorum fœminis ullo modo concedant, et concessas omnino invalidas declarat. — Attamen non omnino derogat privilegiis fœminarum nobilium, modo verificentur conditiones ibi præscriptæ. — Venit demum Bulla Pii IX: „Apostolicæ Sedis," ad quam nunc attendendum est.

510 5. — Omnibus his positis et explicatis, lex ecclesiastica communis qua etiam Societas stringitur, hæc præcepta pœnasque adjunctas continet.

a. — Regula generalis est, fœminas religiosorum clausuram ingredientes, sive sub prætextu privilegiorum, sive sine illo, incurrere excommunicationem Papæ reservatam. — Ex decr. Congr. Episc. et Regul.

b. — In prædictis Bullis non comprehenduntur imperatrices et reginæ earumque filiæ, et aliæ fœminæ, quæcunque eas comitantur.

c. — Excipiuntur item fœminæ tum fundatrices, tum insigniter bene-

factrices, tum consanguineæ et affines eorum, qui sunt domini regionis, — dummodo tamen hanc facultatem sub forma Brevis ab Apostolica Sede impetratam Ordinariis locorum constare fecerint; et etiam tunc nonnisi pietatis causa. Attamen post Const. Pii IX. videtur excommunicatio non incurri, modo licentia adsit, quamvis non in scripto. — cf. Lehmkuhl, tom. 2. n° 955.

d. — A prohibitione non excipiuntur ducissæ, fundatrices, benefac- 511
trices, aliæque, nisi privilegium Pontificium habeant. — Dicit tamen Ferraris praxin esse contrariam quoad ducissas et fundatrices; utrum „legitime," non est omnino clarum.

e. — Infantulas introducere utrum liceat, similiter non est prorsus clarum. Attamen decisum est pluries, non licere puellulas intromittere in monialium claustra; ergo a fortiori non in religiosorum domus. Dicit Ferraris, praxin pluribus in locis esse contrariam; unde saltem videtur, in iis locis religiosos non incurrere pœnas prædictas, si puellulas in claustra intromittant.

f. — Religiosi ipsi, fœminas introducentes seu admittentes, incurrunt ipso facto privationem officiorum, inhabilitatem ad ea et suspensionem a divinis. Incurrunt etiam excommunicationem Papæ reservatam, quando istæ fœminæ ingrediuntur, „prætextu privilegiorum." Et ex declaratione Cong. Episc. et Regul. supra citata etiam alias.

g. — „Admittentes" esse censentur omnes active cooperantes vel influentes: invitantes, januam aperientes, consulentes, hortantes, recipientes, reducentes, etc.

h. — Nomine „clausuræ" intelligitur totum illud spatium, quod intra septa monasterii continetur: claustra, cellæ, officinæ, cœnaculum, dormitorium, infirmeria, coquina, et ejusmodi. Item horti, viridaria, prata, si sunt conjuncta conventui; secus si clavi et muro separata sunt. Quæ omnia loca muro alioque modo circumscribi ordinarie solent; at si penitus vallata non sint, nihilominus clausuræ nomine veniunt: de Angelis, præl jur. can. l. 3. tit. 35. n. 7.

Hæc sunt juris communis, quibus omnes religiones omnino tenentur.

III. QUAE HABENT CONSTITUTIONES DE CLAUSURA.

Quum leges, quas Ecclesia de clausura observanda edidit, nostris Constitutionibus a sancto Ignatio conscriptis posteriores sint, multum interest proponere quæ jam in Instituto nostro de hac re continentur, quæque variis temporibus occasione data, in Societate edita sunt.

1. — Habent Const. P. 3. c. 1. §. 14: „præterea honestatis et 512

decentiæ ratione convenit, fœminas non ingredi domos nostras nec Collegia, sed tantum ecclesias." — Et decl. I: „ut fœminæ non ingrediantur domos nec Collegia Societatis, fere semper debet observari. Sed si illæ eximia caritate, vel auctoritate simul cum charitate essent conspicuæ, prudentia Superioris justas ob causas, ut illæ (si id optarent) videndi gratia ingrederentur, posset dispensare." — Reg. Præp. dom. prof. 74. et reg. Ract: 71. iisdem verbis: „non permittat, fœminas domus nostras [Collegium nostrum] ingredi." — C. 24. D. 20. n° 3: „cum tanta sit miserrimorum, in quæ incidimus, temporum iniquitas, Congregatio, Apostolicas Constitutiones præ oculis habens, tum etiam Societatis nostræ vestigiis ac Præpositorum Generalium Responsis insistens in eorumque sensu plenissime abundans, A. R. Patri Nostro enixe commendandum censuit, ut clausuram canonicam exacte observari curet in domibus nostris. Quodsi quæ fuerint, in quibus sive ob insitam earum conditionem, sive ob temporum et locorum adjuncta plene observari nequeat, servetur quantum fieri possit ad normam, quam A. R. P. Beckx pro convictibus statuit die 31 Augusti 1866. — Vide infra n° 4. — Hac in materia clausuræ regitur Societas jure canonico communi; quod sedulo inculcat P. Anderledy (21 Nov, 1891).

2. — De „fundatricibus" habentur nonnulla Responsa. — Rect. Avenion. 15 Maji 1590: „si fundatrix velit domum nostram ingredi, idque existimetur ad Dei gloriam fore, poterit ei concedi, quia habemus hoc privilegium pro partibus transalpinis, quando nulla offensio timetur sed speratur potius ædificatio; quam etiam ob causam curandum est, ut comitatus sit honestus." Attamen hoc valet tantum de domibus ab ipsis fundatis. — Prov. Bohem. 20 Nov. 1640.

3. — Fundatricis nomine non venit simpliciter uxor fundatoris, nec ejus soror. — Prov. Aquitan. 1652: „uxor fundatoris potest dici fundatrix, adeoque illo titulo potest illi permitti ingressus in Collegium vel domum, quoties voluerit, non tamen in quodcunque Collegium, sed in illud duntaxat, cujus est fundatrix."

Prov. Rhen. Sup. 9 Aprilis 1634: „miror, quo fundamento nitantur illi, quos scribit Rª Vª existimare, etiam sororibus fundatorum licere, ingredi Collegia nostra, maxime post Constitutionem Pii V. et Gregorii XIII., ingressum istum tam severe prohibentem. Quamvis enim non ignorem, a doctoribus quibusdam tradi, Gregorium XIII. declarasse, prohibitione illa sua non includi reginas et fundatrices, istud tamen privilegium extendi etiam ad sorores fundatorum, hactenus non audivi."

4. — De convictibus nostris scribit P. Beckx, 21 Aug. 1866: „cum in aliquibus nostris convictibus vix ulla separatio Nostros inter et Convictores reperiatur, inde evenit, ut si quando mulieres ad invisendos alumnos admittantur, per varias ædium partes, ubi Nostri permixti cum alumnis commorantur, transire debeant, et proinde canonica clausura non servetur: tali incommodo omni possibili modo occurrendum est. Videant ergo omnes, quorum interest, qua ratione stabiliri possit debita separatio in convictibus jam exstructis, in quibus hucusque locum non habet. Ubi autem de ædibus nondum ex omni parte ædificatis agitur, res ita ordinari debent, ut Nostrorum habitationi pars aliqua reservetur, in quam mulieres nullatenus admittantur, et in qua debita clausura servetur. Hoc punctum zelo Ræ Næ valde commendo." 513

5. — Ubi habitamus in domibus alienis, v. g. in Hollandia, rescripsit P. Beckx Provinciali Germaniæ, 3 Febr. 1873: „de clausura in domibus alienis nobis commodatis: circa clausuram non est possibile ejus strictam observantiam exigere. Versamur enim in domo aliena et adjunctis nos accommodare debemus. Quare proprietarii cum amicis et cognatis, quos forte secum ducunt, prohibendi non sunt, quominus sacellum adeant et domum propriam visitent. In ceteris autem casibus lex clausuræ servetur". 514

6. — De domus partibus, in quibus clausuræ lex non obtinet. — Resp. Aquitan. 1575: „ubi dicitur in Bulla, scholas nostras non posse ingredi mulieres, declaratum est a Pontifice, id non intelligi de atrio primo." — Aquitan. 1576: „atrium scholarum non est intra clausuram prohibitam fœminis ex declaratione Pontificis. Monendæ tamen sunt fœminæ, ne ingrediantur." — Austr. 2 Junii 1638: „quoad ingressum fœminarum in convictorium aut etiam porticum Collegii ad spectandas actiones, spectandum est, quid mos illarum regionum permittat." — Prov. Neapol. 1576: „in atrium prædiorum fœminæ non intrent." — Ballerini-Palmieri, *Theol. mor. tr.* 9. c. 1. n° 160: „monet Sanchez (l. 6. c. 17. n° 11.), legem sermonem facere de *monasteriis*, quæ et appellat *domus:* idcirco ex lege non comprehendi prædia et domus rusticas cum suis hortis, quæ in dominio sunt conventuum et ad quæ subinde religiosi se conferunt animi relaxandi gratia. Decet tamen, et ibi fœminas non admittere, cum ibi versantur religiosi." 515

7. — De allocutoriis fœminarum, quæ extra clausuram esse patet, habetur Resp. Flandriæ 23 Aprilis 1650: „allocutoria fœminarum prope 516

portas Collegiorum claudantur semper in tenebris, tum matutinis, quam vespertinis; nec ullæ fœminæ recipiantur in villis, prædiis ac scholis nostris. Nec devotas comitentur Nostri in itineribus, nec puellas instruant pro actiunculis."

Nota. — Etiam post restitutam Societatem locutorii pro mulieribus prope januam usus, utpote priscæ Societati prorsus ignotus, reprobatus primo fuit. — 1. Martii 1836. — At propter temporum necessitates multis in locis usus ille inolevit. Imo P. Generalis Martin litteris suis 10 Nov. 1892 recommendavit, ut »in domibus quas Nostri incolunt, habeatur certus aliquis locus excipiendis feminis, quæ Nostros conveniant, deputatus januæ proximus et janitori patens.« — Mens tamen Societatis in utroque casu satis claret eadem. — Clausura primum esse debet, quod appareat, cum sedem novam figimus, ultimum quod desinat, cum sedem deserere adigimur. — P. Anderledy 1891.

517 8. — Nuper, 10 Nov. 1893, A. R. Pater Ludovicus Martin, insistens in decreto Congregationis ultimæ et referens ad epist. P[is] Beckx, hæc inquirenda Superioribus mandavit:

„Primo quidem in domibus probandorum, in Collegiis Nostrorum, in majoribus operariorum residentiis ad religiosam formam exactis, videant diligenter, utrumne tota domus ita claudatur, ut in nullam ejusdem partem, quam jus non excipit, aliqua unquam fœmina ingredi valeat.

Deinde vero in convictibus alumnorum, in minoribus operariorum residentiis, aliisque id genus domibus, quæ ad religiosam formam exigi vix possunt, sedulo inspiciant (Superiores), num illa domus pars, ubi Nostri fere habitant, ita interclaudatur ac facile a quovis discernatur, ut in eam nullo unquam tempore fœminæ ingredi possint. In ceteras autem domus partes, quæ clausura canonica sepiri nequeunt, si qua rationabili de causa aditus fœminis aliquando permittatur, caveant summopere, ne unquam id fiat, nisi comitante aliquo e Nostris ætate ac virtute maturo.

Tum demum non minori cura ac diligentia videant, utrum in omnibus domibus, quas Nostri incolunt, habeatur certus aliquis locus excipiendis audiendisque fœminis quæ nostros conveniant, deputatus, januæ proximus ac janitori patens."

ARTICULUS QUINTUS.

MONITA QUÆDAM DE TUENDA CASTITATE.

518 Postquam disseruimus de mediis pro colenda castitate, præcipue in

Societate ordinatis, non erit abs re, addere etiam quædam, quibus animemur ad maximam in hac re exhibendam sollicitudinem.

1. — Quum Superiores nostri toties moneantur, ut in explicandis et applicandis Constitutionibus et regulis quoad castitatem servandam potius severi quam indulgentes sint, eo fortius monemur et nos ipsi, ut eadem severitate et sollicitudine utamur in ordinanda vita nostra ex præscriptis regulæ et Constitutionum. Audiamus, quæ habet Instr. de Spir. c. 5. de castitate §. 3. pro confessariis Nostrorum: „doceantur confessarii, ne ex pia quadam opinione, quam habent de Nostris, venialia omnia aut levia atque extra periculum esse ducant; sed considerantes, quonam tandem res istæ, quæ parvæ videntur, evadere quoque exitu terminari possint, nimis liberas conscientias exstimulent, ruinas et præcipitia, in quæ ferri imprudentes possunt, ostendant: hoc unum esse, quod dæmon technis suis fraudibusque moliatur. Dent operam, ut pestiferas quasdam et nimis laxas opiniones penitus evellant: hoc illudve non esse mortale, magni momenti non esse, necessariam non esse, ut distincte confitendo explicetur. Meminerint denique, sic terram paulatim alluvione consumi; et cujusmodi puritas in Societate requiratur, ut omni cura invigilent et mala prævertant." — In mente semper ferant confessarii, feramus semper et nos ipsi, esse peccatum externum grave reservatum. — C. 5. D. 51: „quidquid est contra votum castitatis, quod quidem in actum externum prodeat."

Dein præceptum P. Mutii 24 Aprilis 1614: „præcipitur, ne quis in 519
Societate publice vel privatim non modo ut veram, sed ne ut tolerabilem quidem, ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt, in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberate quæsitam propter levitatem materiæ excusari a mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium det. Itemque, si quis aliquem ex Nostris contra prædicta deliquisse noverit, tenetur in virtute sanctæ obedientiæ aperire." — Idem præceptum extenditur ad delectationem veneream deliberate admissam; C. 9. D. 24. Omnia ista „in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis, et privationis lecturæ, vocis activæ et passivæ, nec non inhabilitatis ad quælibet officia aliisque pœnis arbitrio Præpositi Generalis infligendis." (cf. P. Claud Aquav. 24 Apr. 1612) — Num potest cum majori instantia lex et regula urgeri? Urgeamus igitur etiam nos ejus executionem cum æquali semper instantia, tum in nobismet ipsis, tum in aliis.

2. — Sed non satis sit nobis, quam maxime cautos esse ipsos et

sollicitos; sed adjuvemus sincere Superiores nostros in exercenda cura et vigilantia circa subditos, ut hos servent integros totiusque Societatis famam et auctoritatem tueantur. Quare necesse est, cum Superioribus communicare ea omnia, quæ contigisse noverimus inordinata vel periculosa, et quidem satis tempestive, ut his providere possint damnumque avertere. Faciamus tamen ista cum mente sincera rectaque intentione, ex amore scilicet virtutis zeloque animarum, ut Societatis socii omnes sint tales, quales Constitutiones requirunt, qualesque oportet eos esse, ut ex fine religionis nostræ fructuose in animarum salutem operentur. Hic quoque est sensus regulæ „de Sociis exeuntium", ut quam sanctissime observare nos ipsi, observarique ab omnibus aliis eam studiose satagamus.

520 3. — Proprium est nostri Instituti, quod, dum in mediis externis ad tuendam castitatem tantopere insistit, pressius etiam urget media interna adhibenda. Quod facile explicatur ex natura vocationis nostræ. Potest enim evenire sæpiusque evenit, ut, cum laborandum sit pro salute proximorum, regulam quoad litteram observare non possimus, v. g. regulam Socii, quam vocamus. Num inde ab hac regula observanda dispensati sumus? Minime quidem. Sed quod ex littera regulæ nobis deest, id eo diligentius ex spiritu et fine regulæ suppleamus oportet; i. e. socii nostri sint reverentia et timor Dei omnipræsentis omniaque videntis; reverentia item et obedientia Angeli nobis adstantis; conscientia dignitatis nostræ sacerdotalis et religiosæ: his similibusque sociis muniti omnia pericula facile vincere, omnia obstacula facile superare poterimus. His conjungamus tenerum amorem humilitatis exercitiumque continuæ orationis, quo nobis ipsis diffidentes eo robustiores evadamus ex intima cum Deo omnipotente unione.

521 *Nota.* — Ex Instituto legenda: — *a*) Instr. Sup. c. 5. — *b*) Mutii Vitell.: »de cautela confessariis necessaria ad puritatem servandam.« 30 Apr. 1622. — *c*) Industr. c. 8. — *d*) Claudii (ep. sel.) »de iis, qui in religione ficte procedunt« 1596. — *e*) Petri Beckx: »de custodia castitatis.« 12 Martii 1861.

CAPUT SECUNDUM.

De voto Obedientiæ.

TRACTATUR in hoc capite: — *a)* de obedientia et de voto obedientiæ in genere. — *b)* de voto obedientiæ in Societate JESU. — *c)* de virtute obedientiae in Societate.

— *d)* de ratione conscientiae, quae est medium ad promovendam virtutem.

SECTIO PRIMA.

Definitio et Principia generalia.

Ut clare proponamus, quæ a nobis in religione Societatis circa obedientiam tenenda sunt, initium sumamus necesse est a definitionibus et principiis generalibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OBEDIENTIA IN GENERE.

1. — Definitur obedientia „virtus inclinans voluntatem nostram ad 522
voluntatem legitimi Superioris." — Est proinde virtus non theologica, sed moralis; virtus voluntatis, non intellectualis; et hoc quidem non solum sensu generali, quo quævis virtus a voluntate imperatur (quod etiam in ipsa fide est), sed sensu speciali, quo hæc virtus est habitus proprius voluntati. Pertinet autem ad virtutem cardinalem justitiæ, quæ reddit cuique debita: proin etiam Superiori, quæ ipsi debentur: subjectionem ad ejus voluntatem in quantum DEI locum tenet ejusque voluntatem nobis manifestat.

2. — Objectum obedientiæ distinguimus duplex, remotum objectum alterum, alterum proximum.

a. — Remotum objectum obedientiæ est ipse Superior, cui nos subjicimus propter DEUM. Superior utique non est DEUS nec divinum quid directe, sed est homo et humanum quid. At obedimus isti homini, quia dedit ei Deus, qui est vere Dominus solus, potestatem, ut sua voluntate, suis præceptis, suis legibus nomine DEI nos regat et ad ultimum finem perducat. Hæc potestas, quam veneramur in Superiore tanquam a DEO ei communicatam, diversa esse potest, ex diversa origine immediata, qua fluit; quæ diversitas originis afficit etiam ejus jura et facultates diversas:

α. — Potestas jurisdictionis, quæ est potestas seu facultas regendi nos loco DEI ipsius, tum quoad naturalem, tum quoad supernaturalem finem nostrum. Hujus potestatis est, leges condere, eas interpretari, de iis dispensare, earum transgressionem punire. Hæc potestas jurisdictionis a DEO est, tum in republica civili quoad finem nostrum

naturalem, et tunc est jurisdictio temporalis; tum in Ecclesia DEI quoad finem supernaturalem, et tunc est jurisdictio spiritualis, quæ residet in summo Pontifice et in aliis Ecclesiæ prælatis, juxta ordinem vel amplior vel restrictior.

β. — Potestas dominativa est facultas imperandi, originem trahens ex natura conditionis, in qua quis constitutus est relate ad alium, sive ex ordinatione divina, qualis est filius ad patrem, sive ex propria electione, qualis est servus ad dominum, discipulus ad magistrum. Habent potestatem dominativam: pater in filium, dominus in servum, magister in discipulum, diversam quidem pro diversitate dependentiæ, qua talis subditus pendet a suo respectivo Superiore. Idem est in religione inter subditum et Superiorem: hic habet potestatem dominativam in illum, ortam ex eo, quod quis libera sua electione communitati religiosæ se aggregat ejusque membrum fit, et proin eo ipso etiam subditus capiti hujus corporationis sive ejus Superiori.

Nota. — Ex utraque hac potestate, sive jurisdictione, sive dominatione, Superior facultatem habet imperandi vel præcipiendi exigendique obedientiam erga sua præcepta et imperata. Ergo tenemur obedientiam Superiori præstare; sicuti etiam obstricti sumus, amorem et reverentiam ei exhibere.

b. — Objectum proximum obedientiæ sunt ipsa Superioris præcepta; et hæc ex natura sua sunt obligantia, sive sub culpa sive sub pœna. Attamen non quævis manifestatio voluntatis suæ a Superiore facta est verum præceptum; sed ad hoc necesse est, ut sit in Superiore jubente non tantum voluntas operis faciendi a subdito, sed etiam voluntas obligandi eum ad opus faciendum. Et tunc solum, si hoc obtinet, exsecutio operis injuncti ex parte subditi est actus obedientiæ stricto sensu.

Nihilominus latiori, sed vero tamen sensu, subditus in exsequendis iis, quæ vult Superior, obedientiam exercere potest ejusque meritum acquirere. Primo per reductionem, ut ita dicam; nimirum, si subditus, faciens quæ Superior vult vel desiderat, eo ipso facto intendit, disponere voluntatem suam ad obedientiam Superiori præstandam tunc, quando formaliter præcepturus est. Dein etiam, quando subditus in exsequendis, quæ vult et desiderat Superior, simul etiam pro motivo impellente apprehendit auctoritatem Superioris qua talis. Semper igitur in actionibus subditi, ut sint actus obedientiæ, oportet adesse respectus ad Superiorem qua talem, sive ad ejus potestatem imperandi.

523 *c.* — Forma præcepti dein potest esse duplex: præceptum actuale, quando Superior hic et nunc edicit, quæ vult sub obligatione obediendi

nobis imponere; præceptum habituale et fixum quando manifestatur voluntas Superioris obligans per regulam sive legem stabilem. Nam in utroque casu obtinet potestas legitima vere et formaliter nos obligans. Nimirum:

α. — In præcepto actuali potestas Superioris imperantis directe et immediate se manifestat; quare adest etiam immediate occasio imo obligatio obediendi. Eo magis, quia per præcepta actualia in quavis communitate ordo et quies servatur, legesque stabiles interpretationem nanciscuntur.

β. — Sed non minus Superiores voluntatem suam obligantem etiam per leges stabiles præscriptaque stabilia manifestant obedientiamque requirunt. Nam clarum est, non posse Superiores semper et ubique et in omni eventu adesse, ut in actu ordinent et jubeant. Hoc faciunt potius habituali quodam modo, prospiciendo per regulas et leges in singulis circumstantiis obligantes. Unde est, quod dicatur: „voveo obedientiam secundum regulam;" et „præceptum in virtute obedientiæ."

Nota 1. — Ad quæ obligatio obediendi se extendere possit, sive quæ nobis 524
imperari possint vel per mandatum vel per regulam, hoc pendet ex natura et fine potestatis præcipientis. In qua re dici debet, posse præcipi externa et interna, levia et gravia, vel per jussionem actualem vel per regulam constantem. Imo posse etiam desideria Superiorum sensu vero per obedientiam comprehendi, supra explicatum est, cum obedientia sit virtus, quæ perfici potest et perfici debet. — Quod vero etiam actus interni præcipi possint et ita fieri objectum obedientiæ, inde eruitur, quod sæpe necessarii sunt aut ad periculum removendum aut ad medium adhibendum pro fine ex obedientia nobis imposito obtinendo.

Nota 2. — Sunt tamen limites, extra quos potestas præcipiendi et proin neces- 525
sitas obediendi non se extendit.

a. — Non possunt imperari, nisi quæ moraliter bona vel saltem licita sunt; nam ad mala et illicita non posse esse obligationem, per se clarum est. DEUS enim non potest auctoritatem suam communicare alteri contra se ipsum; quod fieret, si nomine ipsius moraliter mala præcipi ab hoc possent. Nec possunt moraliter mala esse in bonum sive personale, sive commune; qui tamen est finis necessarius cujusvis legis vel mandati. In dubio autem, an sint licita, quæ imperantur, necne, prævalet per se auctoritas Superioris obedientiam requirentis.

b. — Dein requiritur, ut quod imponitur ex obedientia, sit moraliter possibile hic et nunc, tum quoad personam, quæ obedientiæ subest, tum quoad omnia adjuncta, in quibus agere jubetur. Ad ea, quæ vires superant, moraliter loquendo, et quæ heroica passim vocantur, generatim saltem obligatio esse non potest, quia alias lex esset nocumentum, non adjumentum libertatis. Nec est intentio. v. g. voventis in religione, eo modo se obligare. Attamen non excluditur, quod possit etiam ad actus heroicos obligatio esse in religione; sicut in Societate JESU quis potest obligari ad eundum in regiones ethnicorum et hæreticorum, cum evidenti vitæ periculo.

c. — Dein præcepta Superiorum coarctantur inter limites legum, i. e. in religionibus inter limites Constitutionum sive regulæ; Religiosus enim vovet »obedientiam juxta regulam«; et Superioris proin potestas jubendi per regulam circumscribitur. Itaque:

α. — Superior non potest præcipere contra regulam, cum etiam ipse regulæ subsit. Potest quidem esse, ut habeat potestatem dispensandi a regula; sed tunc, quod præcipit non est jam contra regulam. Præcipere contra regulam esset etiam evidenter in nocumentum, tum personæ religiosæ, tum religionis ipsius, cum firmitas et vigor ordinis præcise in eo sit, ne quid fiat contra regulam.

β. — Nec potest præcipere Superior ea quæ sunt super regulam; nam religiosus non vovet facere quæcunque bona, sed ea, quæ juxta suam regulam ipsi bona sunt. Excipitur, si quid sit medium necessarium ad vitandum peccatum grave in particulari quodam casu; vel si quis contra expressam regulam offenderit. In utroque casu licet Superiori, in præcipiendo aliquantulum supra regulam excedere.

526 3. — Obligatio obediendi in subdito semper adest, si Superior vere et proprie præcipit, sive facit hoc vi potestatis jurisdictionis, sive potestatis dominativæ. Hoc ultimo modo plerumque Superiorum præcepta emanant; et in religionibus fœminarum aliter fieri non potest, cum mulieres Superiores non possint habere proprie jurisdictionem. — Quæ sit autem gravitas præcepti et consequenter gravitas obligationis parendi, cognoscitur:

a. — ex ipsis verbis, quibus mandatum datur; ex objecto ipso actionis imperatæ; ex aliis circumstantiis simul sumptis, uti supra jam ex parte dictum est.

b. — attamen potest gravis obligatio etiam aliunde per accidens oriri; v. g. si ex neglecto mandato magnum alteri damnum accresceret; vel si transgressio fieret ex contemptu auctoritatis. Hic contemptus manifestatur plerumque per signa et verba insurrectionis, per despicientiam regulæ satis formaliter expressam; per excitationem aliorum contra Superiorem vel regulas; et ejusmodi alia.

527 4. — Ut sit actio quædam formaliter etiam actus obedientiæ, requiritur ut sit in obediente etiam voluntas obedientiam præstandi, sive motivum obedientiæ; nam in hoc præcise est ejus ratio formalis,

a. — Est nimirum obedientia quædam generalis, quæ præcepta exsequitur ex motivo qualicunque, in quo tamen non adest directio voluntatis obedientis in voluntatem præcipientis. Talis obedientia mere externa et generalis sufficit quidem, ut quis non dicatur transgressor præcepti; v. g. qui jejunat secundum legem, sed ex motivo avaritiæ; audit Missam, nesciens hodie esse præceptum audiendi; facit imperata, ne puniatur.

b. — Ut autem adsit formaliter et specifice obedientia in agente,

requiritur, ut agentis voluntas dirigatur in præceptum, sive ut agens exsequatur præceptum, quia præceptum est. Aliis verbis, necesse est adsit internus actus obedientiæ in agente: „volo hic et nunc obedire." Hæc intentio præcise constituit essentiam virtutis obedientiæ ejusque meritum habet.

5. — Motiva demum præstandæ obedientiæ derivantur, tum ex ejus 528
necessitate, tum ex præstantia ejus.

a.. — Necessitas obediendi est ex auctoritate DEI, summi et unici Domini, qui statuit hunc ordinem, ut homines hominibus præsint eisque imperent suo nomine. Inde etiam est, ut ad obediendum legitimis Superioribus in conscientia obligemur.

α. — Nimirum DEUS, dum vult nos perducere ad finem nostrum, non vult efficere hoc per immediatam et personalem actionem in nos; sed utitur aliis tanquam suum locum tenentibus, per quos ille nexus inter Dominum supremum et ipsius servos persistat; i. e. DEUS vult regere creaturas per creaturas. Ita statutum fuit in omni ordine a DEO constituto, tum in invisibili, tum in visibili; in angelis et hominibus; in familia, in re publica civili, in ipsa Ecclesia. Ubique invenitur lex obediendi, quum velit DEUS creaturas regere per creaturas.

β. — Ex hac divina ordinatione nascitur obligatio in conscientia, ut subditi Superioribus obedire teneantur sub peccato. Quod tam luculenter describitur a sancto Paulo; Rom. 13, 1-2: „omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a DEO; quæ autem sunt, a DEO ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt." — DEUS ordinavit, ut qui ipsius vices gerunt, suo ipsius loco habeantur, eisque honor et reverentia ipsi debita præstetur. Quare etiam injuriam inobedientiamque erga ipsos tanquam sibi factam pœnis castigat, ut videre est in exemplis innumeris in sacris paginis enarratis. Imo pluries apparet DEUS magis exasperatus ex inobedientia hominum erga ejus locum tenentes, quam si erga ipsum inobedientes facti fuerint.

b. — Quam sit vero pretiosa et nobilis obedientiæ virtus, quamque meritoria, sic ostenditur:

α. — quia in obediendo offertur DEO præstantissimum hominis bonum, facultas animi altissima. Hæc est propria voluntas, qua homo insignitus est præ omnibus aliis visibilibus creaturis, quaque earum dominus et moderator constituitur. Nihil majoris pretii æstimamus, quam libertatem nostræ voluntatis; hanc si sacrificamus propter DEUM, revera nos ipsos totos sacrificamus.

β. — ostenditur dein ex eo, quod exercendo obedientiam omnes fere alias virtutes exercemus: fidem, humilitatem, charitatem, abnegationem. Hæ enim virtutes et aliæ vel sunt fundamentum obedientiæ, vel fructus ex ea ultro provenientes. Unde etiam vir obediens recte dicitur vir perfectus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VOTO OBEDIENTIÆ SIVE DE OBEDIENTIA RELIGIOSA.

29 1. — Obedientia religiosa est ea, qua subditus obstringitur erga Superiorem vi voti emissi, seu etiam cum respectu ad votum emissum. De modo, quo vovens Superiori obligatur, sive de promissione quam facit ei, exstant duæ sententiæ.

a. — Secundum s. Thomam, is qui vovet obedientiam, duas edit promissiones, 2. 2. quæst. 88. a. 5. ad 3: „votum soli Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini; et ipsa promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub voto. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vovet aliquid.... prælatis, ut ipsa promissio facta prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo, se impleturum, quod prælatis promittit." — Duæ igitur promissiones: altera homini, altera Deo per votum; et duplex proin obligatio.

b. — Soto econtra unam tantum in voto promissionem admittit; de justitia, l. 7. q. 2. a. 3. ad 1: „haud obedientiam prælatis voves, sed Deo voves, quod eris prælatis obediens." — Affert similitudinem: si quis vovet Deo se eleemosynam daturum, non fit homini promissio, sed soli Deo Itaque si qui vovit, postea non dat eleemosynam, solum offendit contra religionem, non contra justitiam vel fidelitatem homini debitam, quia homini se non obstrinxit.

c. — Suarez dicit, pendere ab intentione voventis, utrum votum fiat altero an altero modo; in religione tamen fieri sensu sancti Thomæ: „quatenus quæstio hæc est tantum de humano facto, quod pendet ex libera intentione operantis, nihil firmum in ea statui potest, sed ad voventis intentionem est recurrendum; et ubi de illa satis non constiterit, conjecturis est utendum. Quatenus vero hoc non solum ex facto, sed etiam ex jure pendere potest, ita ut ex jure ipso (sub quo consuetudinem comprehendo) factum colligatur, probabilior est D. Thomæ sententia. Nam votum obedientiæ fieri potest aut in religione aliqua, aut privatim extra religionem; de priori loquitur specialiter D. Thomas; et de illo probabilius est, tale votum adjunctam habere promissionem

homini factam, quia et ex jure et ex consuetudine id satis colligitur, et ex fine seu effectu, quia ex vi talis voti potest vovens cogi a prælato ad observantiam regularum." — Aliter est, si privatim fiat votum, puta: si pœnitens vovet DEO, se confessario obtemperaturum; vel si novitius vovet obedientiam erga Superiorem; in utroque casu non fit homini promissio. — Suarez de rel. l. 10. c. 2. n° 4., 5. et 13.

Nota. — Ex dictis eruitur, obedientiam religiosam ab obedientia in genere sumpta in eo differre, quod in illa extensio fiat eorum, quæ huc spectant: — *a*) quoad personas; nam vovens in religione subditur hominibus, prius sibi omnino alienis; — *b*) quoad obligationem; accedit obligatio religionis, quæ est strictissima et obstringit ad acquirendam perfectionem; — *c*) quoad objectum, quum præter mandata etiam consilia tenenda sint. 530

2. — Objectum remotum obedientiæ religiosæ sunt Superiores, qui habent potestatem jurisdictionis, in quantum sunt prælati Ecclesiæ; potestatem dominativam, in quantum sunt caput corporationis, cui subditus se dedit. Fundatur autem hæc duplex præcipiendi potestas in ipso voto, quod facit religiosus, præstandi obedientiam legitimo Superiori. Sic enim vovendo religiosus transfert in Superiorem jus sibi imperandi, quod ex ipsa obligatione, quam sibi vovens imponit, necessario sequitur. Obligatur igitur religiosus ex duplici radice, ex justitia et ex religione, contra quas virtutes simul offendit, quando præceptis inobediens existit. 531

Superiores vero, qui vi voti præcipere possunt, et quibus proin religiosus dicto modo obedire obligatus est, sunt Superiores proprie dicti, plerumque hi, qui jurisdictionem ordinariam habent in religionibus virorum, non vero qui vocantur Superiores subordinati. — Summus Pontifex vero religionum omnium Superior est supremus, tum eo sensu, quod ab ipso omnis jurisdictio ecclesiastica, etiam in religiosos emanat, tum quia alii Superiores nomine Papæ religiosorum vota admittunt; quare Papa etiam vi voti his præcipere potest.

3. — Objectum obedientiæ proximum apparet ex voto ipso, quod est: explere quod Superior jubet. 532

a. — Proin hoc objectum proximum constituunt actualia Superioris præcepta; item præcepta habitualia formalia, sive leges stabiles sub forma: „præcipitur in virtute obedientiæ": vel: „sub pœna excommunicationis"; regulæ vero et Constitutiones tunc demum, quando præscribunt ea, quæ sunt materia votorum, vel quando aliunde habent vim obligandi sub præcepto. Ratio est, quia dicitur: „voveo obedientiam secundum regulam"; regulæ igitur, quæ non obligant sub

peccato, per se non sunt materia obedientiæ religiosæ stricto sensu.

b. — Gravitas vero obligationis etiam in religiosa obedientia derivatur ex variis rationibus: ex intentione præcipientis, ex materia præcepta, etc., quod supra de obedientia in genere jam explicatum est. Sed addendum, quodcunque peccatum grave externum contra obedientiam esse etiam graviter contra votum; fierique tunc duplicem offensionem, et justitiæ et religionis.

533 *Nota.* — Si in aliqua religione a pristino rigore relaxatio facta est modo legitimo, v. g. per summum Pontificem, vel per auctoritatem legiferam ipsius religionis, vel per usum legitime præscriptum, religiosus tuta conscientia hanc relaxatam regulam sequi potest, etiamsi tempore, quo fecit professionem, ad majorem rigorem se obstrinxit. Contra, si quædam religio justis ex causis et modo legitimo ex relaxata disciplina ad pristinum rigorem redire vult, vel præsentem rigorem augere, quia necessarium apparet ad substantiam vitæ religiosæ vel finis peculiaris ordinis salvandam, tunc religiosus tenetur hanc reformationem amplecti, quum vota emittens eo ipso implicite saltem promiserit, servare quæ ad ea tenenda futura sint necessaria. Extra hunc casum necessitatis recte tenetur, solius majoris perfectionis causa arctiorem disciplinam non posse præcipi reluctantibus; et nihil relinquitur, nisi ut ii, qui de novo admittantur, ad strictiorem regulam obligentur. — Attamen P. Lehmkuhl bene distinguit: »si agitur de obligationibus imponendis, ut jejunandi, vigilandi, etc., recte tenetur, quod dictum est hactenus. At si agitur de licentiis retrahendis, quæ in usu quidem plane erant, sed quæ ex natura sua arbitrio Superioris debebant esse subjectæ, id ubique fieri posse, dubitari nequit.« — Theol. mor. t. 1. n⁰ 538. — De facto plerumque in reformatione relaxatæ disciplinæ media quædam via eligitur; nimirum permittuntur debiliores viribus et ætate provectiores modo vivendi consueto pergere, in monasterio quodam separato uniti, dum alii collecti in unum alibi reformationem sequuntur.

534 4. — Motivum vero obedientiæ religiosæ jam non est ipsum præceptum, sed religio; illud enim fit materia ejus. Proin ratio formalis obedientiæ religiosæ, qua votum est, est fidelitas Deo debita ex promissione ipsi facta. — Quare sanctus Thomas 2. 2. q. 186 a. 5. ad 5: „et ideo, quia necessitati aliqua faciendi, quæ secundum se non placent, per votum obedientiæ homo se subjicit propter Deum, ex hoc ipso ea, quæ facit, sunt Deo magis accepta.... quia nihil majus potest homo Deo dare, quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subjiciat.

Motivum vero voti obedientiæ non cadit sub votum, cujus obligatio est tantum ad materiam voti, non ad ejus motivum. Unde ne quis dicatur peccare contra votum, sufficit facere, quæ quis vovit; nec requiritur, habere formaliter motivum obediendi; et quævis bona intentio facit talem actionem meritoriam secundum hanc suam speciem. Atta-

men ad faciendum actum formalem obedientiæ religiosæ et ad habendum obedientiæ religiosæ meritum, requiritur in agente etiam motivum religionis saltem implicitum, i. e. faciendi, quia DEO promisit.

Nota. — Ergo melius est, præcipere Superiores formaliter, in virtute obedientiæ, 535
ut habeant subditi eo securius meritum obediendi? — Hoc pendet a qualitate personarum, tum præcipientis, tum obedientis; et ex aliis circumstantiis pluribus. Notum est, sanctum Franciscum Xaverium sæpius suis subditis præcepta formalia imposuisse, ut ipsi perfectius haberent meritum obedientiæ; quod testantur ejus litteræ pluribus in locis.

5. — Forma, qua fit obedientiæ votum religiosum duplex est; distinguitur votum simplex et votum solemne, quæ tamen in genere voti non differunt. In quo differant ex constitutione Ecclesiæ, supra in P. 5. explicatum est, nimirum quoad firmitatem obligationis, qua religiosus, resp. professus se obstringere potest. — n° 405.

Coroll. — Num votum obedientiæ unum idemque est atque traditio 536
qua vovens se dedicat DEO et religioni?

a. — Quum status religiosus sit status servitutis relate ad DEUM (quod verbum „religio" jam aliquatenus denotat), necesse est, ut religiosus desinat esse sui juris dominiumque sui transferat in DEUM, i. e. se ipsi DEO tradat actu; nam sola promissio DEO facta ad hoc non sufficit. Præterea necesse est, ut hæc donatio DEO facta, ab ipsa Ecclesia nomine DEI accipiatur, cum status religiosus sit status Ecclesiæ. Ex intentione vero tum voventis religiosi, tum acceptantis Ecclesiæ, hæc traditio fit et accipitur eo ipso, quo quis in religione obedientiam vovet; de facto et actu igitur coincidunt votum obedientiæ et traditio religiosi.

b. — Attamen in se differunt; nam votum est promissio de futuro, seu de eo, quod quis facturus est; traditio vero est donatio de præsenti, et actualis translatio dominii sui. Dein votum fit directe et immediate DEO, cui vovens directe se obstringit; traditio autem directe fit ad Superiorem ordinis, qui eam in foro Ecclesiæ et nomine DEI acceptat.

SECTIO SECUNDA.

De voto obedientiæ in Societate Jesu.

Per se obedientia religiosa, sive votum obedientiæ quod fit in religione ab Ecclesia approbata, in omnibus religionibus idem est eademque a religioso tenenda exquirit. Sunt tamen quædem in nostris Constitutionibus particularia.

ARTICULUS PRIMUS.

QUANTI FIAT OBEDIENTIA IN SOCIETATE.

537 1. — Notissimum est, in Societate JESU obedientiam in summo pretio esse, præ aliis, quæ in ejus Sociis adesse supponuntur. — P. 3. c. 1. §. 23: „expedit imprimis ad profectum et valde necessarium est, ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant, Superiorem (quicunque ille sit) loco CHRISTI Domini nostri agnoscentes, et interna reverentia et amore eum prosequentes; nec solum in exsecutione externa eorum, quæ injungit, integre, prompte, fortiter et cum humilitate debita, sine excusationibus et obmurmurationibus obediant, licet difficilia et secundum sensualitatem repugnantia jubeat; verum etiam conentur interius resignationem et veram abnegationem propriæ voluntatis et judicii habere, voluntatem ac judicium suum cum eo, quod Superior vult et sentit, in omnibus rebus (ubi peccatum non cerneretur) omnino conformantes, proposita sibi voluntate ac judicio Superioris pro regula suæ voluntatis et judicii, quo exactius conformentur primæ ac summæ regulæ omnis bonæ voluntatis et judicii, quæ est æterna bonitas et sapientia." — P. 6. c. 1. §. 1: „[obedientiam] omnes plurimum observare et in ea excellere studeant, nec solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet nihil aliud quam signum voluntatis Superioris sine ullo expresso præcepto videretur. Versari autem debet ob oculos DEUS Creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia præstatur; et ut in spiritu amoris et non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est." — Obedientia mater omnium virtutum. St. Ignatii Ep. de obed. n. 2: „hæc obedientia sola virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Hæc dum floruerit, florebunt procul dubio reliquæ, edentque fructus, quales et ego in animis vestris exopto et suo jure postulat is, qui humanum genus neglectæ obedientiæ scelere afflictum ac perditum salutari ipsemet obedientia reparavit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis." etc.

2. — Quorum omnium ratio, quia obedientia vigor vitalis est in omnibus corporationibus, maxime in Congregationibus religiosis et a fortiore in religionibus apostolicis. Hæ religiones sunt quasi exercitus spiritualis destinatus ad pugnanda prælia Domini contra potestates infernales; et quo accuratius in hoc agmine per obedientiam disciplina regularis costoditur, eo expeditiores sunt singulæ turmæ ad congrediendum cum hostibus, et eo securior est spes omnium reportandi victoriam super inimicos infestissimos.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBJECTO OBEDIENTIAE RELIGIOSAE IN SOC. JESU.

Hoc idem est, quod supra dicebatur de objecto obedientiæ in genere; 538
attamen nonnulla addenda.

1. — Objectum remotum obedientiæ religiosæ sunt ipsi Superiores. Unde tenetur religiosus Societatis vi voti obedire omnibus Superioribus proprie dictis, i. e. qui jurisdictionem ordinariam habent vi muneris quo funguntur. Fit igitur peccatum contra votum obedientiæ, quando subditus contra formale præceptum Superioris proprie dicti offendit. Idem autem esset, quando negligit mandatum Superioris subordinati, si hic est tantum internuntius inter subditum et Superiorem proprie dictum, referens subdito formale præceptum illius Superioris.

Coroll. — Quum Minister non sit proprie Superior nec possit proin 539
vi voti imperare, expedit ea hic referre, quæ de Ministro jubente habent Constitutiones, ad ejus auctoritatem firmandam.

In Societate Jesu est casus reservatus, si quis Ministro formaliter se opponit. — C. 7. D. 45: „cum propositum fuisset, standumne esset ordinationi P. N. Claudii dicentis, reservatum casum esse, si quis Fratrum diceret Ministro aliquid jubenti, licet non præcepto: „nolo facere"; censuit Congregatio, huic P. N. Claudii ordinationi vel declarationi standum esse, relicta tamen loci hujus explicatione prudentiæ Patris Nostri." — Et Ord. c. 2. §. 18: „etsi autem Minister, quamvis Superior sit, in virtute sanctæ obedientiæ præcipere non potest, Coadjutores tamen sive alii, qui Ministro clare dicunt: „nolo facere", incurrunt in quartum casum reservatum inobedientiæ expressæ."

Sunt quædam Responsa, quæ explicant rem ex formali auctoritatis mandantis contemptu, qui utique semper est peccatum grave. — Mediolan. 1620: „tametsi Constitutiones et regulæ non obligent sub peccato, nisi adsit præceptum, est tamen casus reservatus, si quis dicat Ministro: „nolo facere", licet nullum sit præceptum; eo quod ex vi voti et obedientiæ obbligemur, etiam excluso præcepto, ne Superiorem vel obedientiam contemnamus; quod in proposito accidit."

Idem Respons. Germ. 1628, et Aquitan. 1633, cum addito: licet Minister non possit imperare in virtute obedientiæ, quia contemptus Superioris semper est grave peccatum, qui involvitur in verbo: „nolo." — Posset etiam sic concludi: quum Constitutiones ipsæ moneant, ne

quis tam indecenter Ministro respondeat, eo ipso virtualiter saltem statuunt præceptum; cujus violatio proin esset offensio gravis contra votum obedientiæ, et qua „inobedientia expressa" etiam casus reservatus. Prior tamen modus explicandi magis aptus apparet. — Ad explicandum accuratius hunc casum, quæ sequuntur juvant.

540 *a.* — Si est casus reservatus dicere Ministro: „nolo facere", a fortiore, si dicas hæc Superiori domus. — Resp. Tolos. 1685: „qui Rectori, vel Regenti Seminarii, aut Superiori Residentiæ respondent: „nolo", incurrit in casum reservatum". — Econtra, Resp. Neapol. 1585: „qui non vult parere Snbministro, non incurrit in casum reservatum, licet hic sit Superior Fratrum"

b. — Quamvis „Fratres" tantum nominentur, qui incurrunt hunc casum, tamen intelligendi sunt omnes omnino subditi. — Responsum German. 2 Nov 1682: „complectitur etiam Sacerdotes, licet D. 45. C. 7. tantum meminerit Fratrum." — Prov. Austr. 20 Junii 1643: „casus quartus reservatus inobedientiæ etiam complectitur Sacerdotes dicentes Patri Ministro: „nolo facere"; cum et D. 45. C. 7., dum meminit Fratrum, non excludat Patres; et Ord. Gen. c. 2. §. 18, et alias indefinite exprimat, et Minister sit etiam Superior Patrum seu Sacerdotum, uti ibi supponitur."

c. — „Casus reservatus est dicere: „nolo facere", etiam in re levi, quia hic peccatum non tam ex gravitate materiæ intenditur, quam ex contemptu, qui involvitur in verbo: „nolo". — Tolos, 1625,

d. — Attamen restringendus est casus ad ista verba: „nolo facere" sive: „nolo parere." — Paris 30. Mart. 1617: „quamvis graviter peccet, qui jubenti Superiori dicat, se non facturum, non videtur tamen incidere in casum reservatum, cum non clare dicat: „nolo facere", aut: „nolo parere", qui solus intelligitur expresse reservatus in Ord. c. 2. §. 18." — Attamen Provinc. Bohem. 1652: „per verba illa: „non faciam", si sensu idem sonant, quod: „nolo facere", incurritur reservatio; si denotent idem ac: „non possum facere", non videtur casus reservatus." — Hæc de Ministro.

541 2. — Objectum proximum voti obedientiæ in Societate, uti in aliis religionibus, sunt Superiorum præcepta actualia, et regulæ, quæ ex quacunque causa sub gravi obligant. — Præcipuæ vero regulæ sive mandata stabilia, quæ sub gravi obligant, continentur in „Catalogo præceptorum et censurarum"; de quo habet C. 8. D. 23: „cum rogata esset Congregatio, ut juberet confici imprimique Catalogum eorum, quæ in Societate sub gravi culpa vel pœna præcipiuntur vel prohibentur

ut saltem semel in anno prælegatur in mensa, censuit, utrique postulato annuendum. Statimque jussit a Patribus ad Ordinationes impressas Deputatis ejusmodi Catalogum confici, a Congregatione, priusquam dissolvatur, recognoscendum." — Confirmatur in C. 9. D. 24. cum nonnullis additis; et item in C. 10. D. 18. — Dein in C. 17. D. 15: „annuens Congregatio postulato plurium provinciarum permisit, ut typis mandaretur elenchus omnium præceptorum totam Societatem obligantium; ita ut intelligantur, quæcunque alia ejusmodi præcepta totam Societatem obligantia in eo non contenta aut nunquam exstitisse, aut hoc ipso esse abrogata." — Postremo C. 20. D. 24: „de præceptis vero et censuris, censuit Congregatio, retinenda esse, quæ continentur sive in Constitutionibus nostris, sive in Decretis Congregationum. Ea vero, quæ continentur in Bullis summorum Pontificum in nostra non sunt potestate; neque eis vim addere aut adimere poterat Congregatio."

3. — Peculiare est Societatis JESU quod actus etiam heroici regula 542
comprehenduntur et etiam vi voti imperari possunt. Quod in ipsis jam Pontificum Bullis satis exprimitur et dein in Constitutionibus exhibetur; nimirum, eundum esse ad ethnicos et hæreticos, cum evidenti vitæ periculo. — P. 3. c. 1. § 23: „obediant, licet difficilia et secundum sensualitatem repugnantia jubeat." Quod evolvitur in decl. V: „conferet, ut Superiores aliquando occasionem præbeant iis, qui probantur, exercendi obedientiæ et paupertatis virtutem eosdem tentando, ad majorem ipsorum utilitatem spiritualem, eo modo, quo Dominus Abraham tentavit, ut specimen virtutis suæ præbeant et in eadem crescant." — Clarius etiam in P. 6. c. 1. §. 1: „ita ut omnibus in rebus, ad quas potest cum charitate se obedientia extendere, ad ejus [Superioris] vocem, perinde ac si a CHRISTO Domino egrederetur... quam promptissimi simus." — Et in decl. B: „hujusmodi sunt illæ omnes in quibus nullum manifestum est peccatum." — Ergo præter peccatum in iis, quæ præcipi possunt, nihil eximitur, licet quam maxime difficilia, imo periculosa sint. Peccatum non posse imperari per se intelligitur. Sed etiam in iis, quæ quam maxime ardua jubentur, clarum est, nihil posse imponi, nisi quod faciat ad finem Societatis peculiarem.

4. — Inde igitur est, quod in Societate JESU obedientia per solum ejus finem circumscribitur. Quod jam est in Bullis. — Paulus III. 27 Sept. 1540 „Regimini": „subditi vero, tum propter ingentes ordinis utilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum

exercitium Præposito in omnibus ad Institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, et in illo CHRISTUM veluti præsentem agnoscant et quantum decet venerentur."

P. 9. c. 3. §. 9: „idem Generalis in missionibus omnem habebit potestatem... Mittere ergo poterit omnes sibi subditos, sive professionem emiserint sive non emiserint (quos mittendos judicaverit), ad quaslibet mundi partes, ad quodvis tempus vel definitum vel indefinitum, prout ei videbitur; ad quamvis actionem ex iis, quibus uti ad proximorum auxilium Societas solet, exercendam. Poterit etiam missos revocare, et in omnibus denique, ut ad majoram DEI gloriam fore senserit, procedere." — §. 20: „generatim loquendo, in rebus omnibus, quæ ad propositum Societati finem: perfectionis et auxilii proximorum ad gloriam DEI faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute possit [Præpositus Generalis"]. — P. 6. c. 1. §. 1: „et id quidem in omnibus, quæ a Superiore disponuntur."

543 *Nota.* — Rectissime igitur diximus, obedientiam in Societate JESU comprehendere etiam actus heroicos, v. g. mitti inter infideles et hæreticos ad propagandam vel defendendam fidem cum evidenti vitæ periculo; ad quod quivis potest sub peccato obligari. Attamen tantus semper fuit ardor promovendæ DEI gloriæ in Sociis JESU, ut nunquam necesse fuerit compellere invitos ad suscipienda opera ista laboriosa et periculosa; ultro semper se offerebant centeni et centeni, qui gloriabantur in hac sorte sibi faustissima, exponendi vitam spargendique sanguinem pro Rege suo dilectissimo bonoque Pastore, qui prius animam suam posuit pro ovibus suis. Quot martyres numerat Societas JESU, multos ab ipsa Ecclesia ad Beatorum Sanctorumque honores elevatos, plurimos vero, quorum nomina in libro vitæ scripta manent, exempla simul heroicæ charitatis sinceræque humilitatis. Ne degeneremus ab excelsis cogitationibus istorum virorum præclarorum.

SECTIO TERTIA.

De virtute Obedientiae in Soc. Jesu.

Notissimum est quod dicit sanctus Ignatius, vera ac perfecta obedientia, abdicationeque voluntatis atque judicii debere esse conspicuos, quicunque in Societate JESU DEO Domino nostro deserviunt; ejusdemque Societatis veram germanamque sobolem hac quasi nota distingui. Ne miremur igitur, quod Constitutiones perfectionem obedientiæ urgeant in omnibus ejus partibus: quoad subjectionem Superioribus debitam, quoad materiam, quoad modum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUPERIORIBUS, QUIBUS OBEDIRE TENEMUR.

Monemur, ut non solum Superioribus proprie dictis obedientiam 544
exhibeamus, sed etiam iis, qui subordinati Superiores vel officiales dicuntur. — Ex. c. 4. §. 29: „cum aliquis ad ministeria culinæ obeunda ingredietur vel ad eum juvandum, qui coquus est, eidem obedire cum magna humilitate in rebus omnibus ad ipsius officium pertinentibus debet. Si enim ei integram obedientiam non præstet, nec ulli ex Superioribus, ut videtur, præstaret; quandoquidem vera obedientia non considerat personam, cui fiat, sed propter quem fiat; et si propter solum Creatorem et Dominum nostrum fiat, eidem omnium Domino obedietur." — Et §. 31: „hoc ipsum in aliis humilibus officiis intelligatur, quando aliquis in eis ministerium suum impendit; atque eodem modo accipiatur in officialibus subordinatis, qui accepta a Superiore auctoritate domum gubernant." — P. 3. c. 1. §. 24: „convenit atque etiam valde necessarium est, ut non solum Superiori Societatis vel domus, sed etiam subordinatis officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, in iis omnibus, in quibus super ipsos potestatem habent, obediant." — P. 4. c. 10. §. 8: „curet Rector, ut in suo officio cuique integram obedientiam collegiales præstent, et alii officiales Ministro... Illud in universum admonuisse convenit, eos qui curam aliorum suæ obedientiæ subditorum habent, præire iisdem exemplo obedientiæ, quam suis Superioribus CHRISTI loco ipsimet præstent, oportere." — P. 6. c. 1. §. 1. — Qui sunt isti officiales subordinati?

1. — Subordinati officiales vocantur, qui adjuvantes Superiorem in regenda domo, ab ipso auctoritatem acceperunt. Non habent quidem jurisdictionem ordinariam, qua possint vi voti jubere; sunt tamen Superiores eo sensu, quo subditos regente Superiore, dirigere debent.

2. — Quum tamen hi officiales subordinati auctoritatem non habeant, nisi in rebus ad ipsorum officium pertinentibus, etiam in his tantum obedientia iis præstanda est. Item quum etiam ipsi sint subordinati Superioribus altioribus ab iisque pendeant, horum jussa prævalent ipsorum jussis et præ iis sequenda sunt.

3. — Rationes autem, cur etiam his subordinatis officialibus parendum 545
sit, plures exstant:

a. — Sunt revera Superiores, quorum ordinationibus reliqui dirigendi sunt. Quum enim Superiores altiores non possint ubique adesse, neque omnia suis oculis inspicere, partem aliquam suæ sollicitudinis et auctoritatis

in alios transferunt; in quibus proin Superiorum auctoritatem veneramur, quibusque propter CHRISTUM nos subjicimus in vera obedientia.

b. — In hac obedientia exercenda plus perfectionis inest et speciale quoddam meritum; non quidem per se, cum idem motivum obediendi subsit; sed per accidens, ex majori abnegatione necessaria, dum auctoritas formalis non tam immediate percipitur, nec voluntas tam facile se inclinat.

c. — Impellimur demum ad hanc obedientiæ speciem exercendam ex nostra ipsorum utilitate; nam per officiales subordinatos facilior modus cognoscendi voluntatem DEI nobis suggeritur, dum per eos statim audimus, quæ invenire alias non semper tam facile est.

4. — Hæc obedientiæ subjectio ad subordinatos officiales magna imprimis cum humilitate facienda est et cum prompta alacritate. Non datur enim occasio facilior et frequentior ad hanc virtutem nobilissimam et maxime necessariam exercendam, quam cum propter DEUM prompte nos inclinamus ad voluntatem eorum, quos de cætero nobis pares atque adeo inferiores apprehendimus. Hic præ oculis habendum est exemplum ipsius Salvatoris nostri, qui per tot annos suis etiam creaturis obediebat!

546 *Nota.* — Quum hic sit sermo de variis Superioribus altioribus et inferioribus, occasio præbetur monendi, ut in adeundis Superioribus et in agendo cum ipsis de nostris rebus is ordo servetur, quem recta ratio suggerit. Adeamus semper illum ex Superioribus, ad cujus officium res nostræ componendæ immediate spectant, ne præterito inferiore, ad altiorem Superiorem statim recurramus. Quod si re coram DEO considerata, necessarium putamus, etiam ad mediatum recurrere, servetur stricte Reg. Com. 23: »si cui a Superiore denegatum aliquid fuerit, alium Superiorem ne adeat super ea re, quin ei aperiat, quid sibi ab alio fuerit responsum, et quas ob causas negatum.« — Ex altera parte quam maxime commendatur, ut Superiores ipsi tum cum Provinciali tum cum Generali in regendis subditis conspirent ad exsecutionem urgendam ita ut omnes intelligant, unum eundemque in Societate animum esse, neque recursum ad Superiores mediatos in hac parte prodesse. Eandemque conspirationem in quolibet Collegio aut domo esse oportebit in Superiore cum suo Ministro, suis Consultoribus, Admonitore et Præfecto spiritus aliisque, qui promovere possunt exsecutionem, ita ut idem sentiant et idem dicant omnes. Quodsi antiquiores aliquos obloqui contigerit, monendi serio et coercendi sunt, si necesse fuerit, etiam publicis pœnitentiis, ne alios turbent minusque suavem exsecutionem reddant. — Instr. 18. n⁰ 12.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REBUS, IN QUIBUS OBEDIENDUM EST.

547 1. — Vix dici debet, in rebus, quæ cum peccato conjunctæ sint, obedientiam non modo non requiri posse, sed peccari, si præstetur.

Unde expresse etiam excluduntur, — P. 3. c. 1. §. 23: „voluntatem ac judicium suum cum eo, quod Superior vult et sentit, in omnibus rebus (ubi peccatum non cerneretur) omnino conformantes." — P. 6. c. 1. §. 1: „ubi definiri non possit... aliquod peccati genus intercedere."

Nota. — In P. 6. c. 5. legitur: »nullas Constitutiones, Declarationes vel ordinem ullum vivendi posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere, nisi Superior ea in nomine Domini nostri JESU CHRISTI vel in virtute obedientiæ juberet.« — Ex. c. 3. Decl. A: »obligatio vera dicendi in examine ad peccatum esse debet.« — Ex his verbis: »obligatio ad peccatum« Societatis adversarii ansam arripiebant et etiam nunc arripiunt, accusandi eam, quod Superiores possint subditos obstringere in conscientia ad actum peccaminosum ponendum, ad illicita. Eo usque abripit furor odii et inimicitiæ homines, qui gloriantur se esse eruditos et etiam in rebus theologicis bene versatos, ut non videant, quantopere risum movere debeat, accusare Jesuitas, quos ipsi supponunt esse doctos et prudentes, de tanta stultitia et insana arrogantia. Nam »obligare *ad* peccatum« nihil aliud est, atque »obligare *sub* peccato«, sive jubere subditos ea facere, ad quæ facienda ipsi ultro se obstrinxerunt. Sæpissime occurrunt hoc sensu: Notissimum est, »obligare ad peccatum« apud auctores medii aevi (secundum analogiam autorum veterum) sæpissime significare »usque ad peccatum,« vel »sub peccato.« Ita præcipue apud fundatores religionum, SS. Franciscum et Dominicum. Sanctus Thomas in uno eodemque articulo, 2. 2. q. 186. a. 9. hæc ipsa verba septies sensu explicato adhibet. — *b*) imo etiam auctores profani. Sic dicit Erasmus: Pontificum leges omnes »obligare ad pœnam gehennæ.« — Et Forcellini dicit: »ad« est etiam pro »usque ad« (sino a), et dicitur de loco, *parte seu mensura*, et de tempore. — Et revera si quis sit sanæ mentis, jam per se intelligit, nullam humanam legem fieri posse contra legem DEI præcipientis vel prohibentis. — *c*) Unde non miramur, quod etiam plures protestantes ultro agnoscant, hanc calumniam Jesuitarum inanem esse et frivolam. — Ranke, Geschichte der Päpste· Fischer, Aburtheilung in der Jesuitenfrage. 548

2. — Exceptis peccaminosis, monemur in omnibus aliis rebus obedire, etsi Superior non præcipiat, sed voluntatem suam desiderando tantum vel petendo manifestet. — P. 6. c. 1. §. 1: „non solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet nihil aliud quam signum voluntatis Superioris, sine ullo expresso præcepto, videretur."

Bene exponit rem S. Thomas. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 3. distinguens tripliciter de obediendo: „dicendum quod religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem secundum quam suis Prælatis subduntur; et ideo quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere; et hæc est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non sint contra DEUM, aut contra professionem regulæ, quia talis obedientia esset illicita." — „Sic ergo potest triplex obedientia distingui: una sufficiens

ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur; alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis; alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit."

ARTICULUS TERTIUS.

DE MODO, QUO OBEDIENDUM EST.

Sermo est de modo externo et interno, sive de obedientiæ qualitatibus tum externis, tum internis.

I. — QUALITATES OBEDIENTÆ EXTERNÆ.

549 1. — Obedientia sit perfecta in exsequendis rebus injunctis, ita ut non differamus facere, quæ jubentur, neque omittamus ullam partem operis præstandi. — P. 6. c. 1. §, 1: „nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus, in absoluta omnium Constitutionum observatione nostrique Instituti particulari ratione adimplenda, prætermittamus..., ita ut omnibus in rebus, ad quas potest cum charitate se obedientia extendere... quam promptissimi simus, re quavis, atque adeo littera a nobis inchoata necdum perfecta relicta." — P. 4. c. 10. §. 9. — Nonne miles, audito vix verbo mandantis ducis, quam celerrimus est ad exsequendum, ita ut mandatum ducis et exsecutio militis fere unum momentum esse videantur? Quanto magis miles JESU CHRISTI, audita ipsius summi Ducis voce in mandato Superioris, properare debet sine ulla hæsitatione ad facienda ea quæ jubentur. Eo magis, quia prompta hæc voluntas ad incipiendum jam statim ab initio spem certam reddit, fore ut opus incœptum etiam felicem nanciscatur exitum. Et hoc non tantum ex naturali quadam decentia et fortitudine, sed magis etiam, quia DEUS hanc expeditam promptitudinem singulari favore prosequitur sicque agenti copiosum gratiæ adjuvantis auxilium præstat. Quod innumeris exemplis probatur, et adagio confirmatur: „Frisch gewagt ist halb gewonnen."

2. — Alia obedientiæ externa qualitas est quodammodo negativa. — P. 3. c. 1. §. 23: „sine excusationibus et obmurmurationibus obediant, licet difficilia et secundum sensualitatem repugnantia jubeat [Superior]." — P. 4. c. 10. §. 5: „non repugnando, non contradicendo, nec ulla ratione judicium proprium ipsius [Superioris] judicio contrarium demonstrando." — Certum est, posse etiam grave peccatum fieri contradicendo; v. g. si agatur de speciali gravi mandato; vel de exsequendo opere vi quarti voti Professorum; vel si rationes allatæ ad excusandum falsæ sint.

Nota. — Licet tamen, imo potest quis esse obligatus, Superiori mandanti rationes contrarias aperire. — Ex. c. 8. A: »cum tamen aliquid constanter eis sese offerret, quod ad majorem DEI gloriam fore judicarent, post orationem simpliciter Superiori proponere poterunt, ipsius judicio omnino rem committentes, nihil amplius procurando.« — P. 3. c. 2. §. 1. — P. 5. c. 4. F. — P. 7. c. 2. I: his non repugnat, proponere motus animi aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, subjiciendo tamen suum sentire et velle ei, quod Superior CHRISTI Domini nostri loco sentit ac vult. Revera, excepto rarissimo casu necessitatis vel majoris boni, istæ oblocutiones nihil sunt nisi motus naturæ inordinati eruptionesque passionis indomitæ, quarum pudendum est hominem religiosum, qui spiritu divino regi supponitur.

3. — In exsequendo mandato Superioris monemur esse *perseverantes;* et hæc in exsequendo constantia sæpe est de substantia operis injuncti. — P. 6. c. 1. §. 1: „cum magna celeritate, spirituali gaudio et *perseverantia,* quidquid nobis injunctum fuerit, obeundo." — Et: „omnes constanti animo incumbamus etc." — Admonet Apostolos suos Salvator ipse: „in patientia vestra possidebitis animas vestras." Et omnes omnino: „qui mittit manum suam ad aratrum et respicit retro, non est aptus ad regnum DEI." — Imo despondere animo in bene cœptis non est gratiæ, sed naturæ corruptæ.

II. — QUALITATES OBEDIENTIÆ INTERNÆ.

Hæ sunt tum in voluntate, tum in intellectu; utraque enim facultas 550
animi desideratur, ut totius hominis interni subjectio perficiatur.

1. — Voluntatem non debere nihil agere in exercenda obedientia, per se patet, quia alias non fieret actus humanus, nedum moralis. Et perfectio obedientiæ in eo est, quod in homine interno agitur. Teneamus igitur hæc:

a. — Imprimis agere debet voluntas, ut fortiter reprimat repugnantiam illam naturalem, et sæpe peccaminosam, quam quisque sentit in relinquenda sua et facienda aliena voluntate. — P. 3. c. 1. §. 23: „verum etiam conentur interius resignationem et veram abnegationem propriæ voluntatis et judicii habere... conformantes, etc." — Quodsi hic labor compescendæ renitentis naturæ statim ab initio fortiter assumitur, maxima pars difficultatum exsecutionis faciendæ jam a limine sublata est, dabitque DEUS tam serio volenti eo uberiorem gratiam; contra, si indulget homo phantasiæ ejusque volubilitati, difficultates, plerumque solum imaginariæ, in immensum crescent totumque opus subsequens tædiosum et languidum reddent, cum jactura omnis meriti supernaturalis.

551 *b.* — At non sufficit agere contra inordinatos motus naturæ, sed requiritur, ut cum lætitia et alacritate opus injunctum aggrediamur. — P. 6. c. 1. §. 1: „ut in spiritu amoris et non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est." — „cum magna *alacritate, spirituali gaudio* et perseverantia, quidquid nobis injunctum fuerit, obeundo." — Hæc alacritas in animis subditorum tanti habetur in Constitutionibus, ut Superiores serio officii sui moneantur, agendi cum subditis tali modo, quo eorum corda ad diligendos ipsos disponantur. — P. 8. c. 1. G: „juvabit etiam imprimis, inter alia DEI dona, bona existimatio, auctoritas erga subditos, et habere ac præ se ferre dilectionem et curam illorum; ita ut subditi sibi persuadeant, suum Superiorem scire, velle et posse bene ipsos in Domino gubernare... Conferet etiam circumspecte et ordinate præcipere, eo modo curando, subditos in obedientiæ officio continere, ut Superior omni benevolentia et modestia et charitate in Domino, quod in ipso est, utatur; ita ut subditi se potius ad dilectionem majorem, quam ad timorem suorum Superiorum possint componere." — „Qui diligit me, sermonem meum servabit," ait ipse Salvator noster.

c. — Demum in obediendo necesse est, ut voluntas dirigatur in DEUM: obedio Superiori propter auctoritatem ejus, nam DEUS dedit ei potestatem mihi imperandi; sive quia implendo voluntatem Superioris voluntatem ipsius DEI me implere, mihi conscius sum. Quod multis locis ostenditur. — Ex. c. 4. §. 29: „vera obedientia non considerat personam, cui fiat, sed propter quem fiat; et si propter solum Creatorem et Dominum nostrum fiat, eidem omnium Domino obedietur." — §. 30: „atque ita, qui obedit, considerare ac perpendere vocem a coquo vel alio, qui sit ei Superior, egressam debet, ut si a CHRISTO Domino nostro egrederetur, ut omnino placere divinæ Majestati possit." — P. 3. c. 1. §. 24: „et assuescant, non intueri, quis ille sit, cui obediunt, sed potius, quis ille, propter quem et cui in omnibus obediunt, qui est CHRISTUS Dominus." — P. 4. c. 10. §. 5: „Rectorem suum magnopere revereri ac venerari, ut qui CHRISTI Domini nostri vicem gerit, debebunt." — P. 6. c. 1. §. 1: „versari autem debet ob oculos DEUS Creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia præstatur." — P. 7. c. 2. §. 1. et A. — P. 8. c. 1. D. — P. 9. c. 3. §. 20. — Ord. c. 4. §. 12.

552 2. — Altera qualitas obedientiæ est in intellectu, quem etiam in obediendo subjicere tenemur. Sæpissime Constitutiones monent, ut in Superioris persona DEUM, et in Superioris voluntate DEI voluntatem

apprehendamus, cui etiam intellectum, libentissime subjiciamus. Monemur item, ut obedientia nostra sit cæca. — P. 6. c. 1. §. 1: „omnem sententiam ac judicium nostrum contrarium cæca quadam obedientia abnegando." — „Et sibi quisque persuadeat, quod qui sub obedientia vivunt, se ferri ac regi a divina Providentia per Superiores suos sinere debent, perinde ac si cadaver essent, quod quoquoversus ferri et quacunque ratione tractari se sinit; vel similiter atque senis baculus, qui ubicunque et quacunque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit." — Quæritur igitur imprimis, quid sit, in Superiore DEUM videre, et qua ratione id fiat.

a. — In Superiore DEUM videre nihil aliud dicit, quam secundum 553
rectam rationem et fidem intellectu apprehendere, quid sit Superior et quomodo se habeat tum ad DEUM tum ad nos. Omnis potestas in terra a DEO ordinata est habetque totam suam auctoritatem a DEO sibi communicatam. Quam auctoritatem si exercet in nos, ipsa hæc legitima auctoritas est quasi os et manus DEI, qui utitur ea tanquam instrumento, quo loquitur ad nos et agit in nos. Recte igitur dicimus, Superiorem esse DEI locum tenentem: ejus voluntatem esse DEI voluntatem, ejus præceptum DEI præceptum; quod cum perficimus ex hoc motivo nostræ ad DEUM subjectionis, revera DEUM veneramur in Superiore DEIque voluntatem exsequimur.

b. — DEUM in Superiore videre, non intelligitur proin eo sensu, ut sit quædam inhabitatio divinitatis in homine, quasi voluntas et intellectus hominis voluntate et intellectu DEI penetrentur, ipseque homo impeccabilis vel infallibilis reddatur. Quare obedientia intellectus non est in eo, ut subditus secum statuat, Superiorem non posse peccare nec errare, esseque expertem omnis malitiæ et ignorantiæ. Posse Superiorem peccare et errare, non negatur, imo ipsis verbis S. Ignatii indirecte exprimitur, cum dicat, obediendum esse, ubi peccatum non cerneretur. Sufficit igitur ad prudenter obediendum hoc dictamen ultimum: „possum obedire et teneor obedire"; quod semper adest, si subditus sincera cum fide Superioris mandatum tanquam justum et rationabile excipit, nisi evidenter de contrario constat. A fortiore hoc obtinet, quia subditus persuasum sibi habet, Superiori tanquam locum DEI tenenti in jubendo etiam adesse specialem DEI gratiam, tum in intellectu tum in voluntate, qua ad bene gubernandum vi muneris juvetur. — Licere tamen subdito, rationes quas mente tenet contrarias, Superiori proponere, modo convenienti, jam alibi satis explicatum fuit. Quod si tamen Superior eas tanquam irrationabiles vel insufficientes rejiciens, persistat in urgendo suo mandato, subditus contra evidentiam quam

de contrario putat tenere, non potest quidem sibi vim inferre judicandi, rationes jubentis Superioris esse rationabiles vel sufficientes. Sed bene sibi persuadere potest etiam tunc, esse bonum DEOque placens, obedientiam Superiori præstare. Ad quod valde juvat, non multum secum reputare, utrum rationabile sit, quod injungitur; sed insistere fortiter in hoc dictamine: „possum obedire et debeo obedire quamdiu peccatum non cernitur."

554 *c.* — Quodsi in subdito dubium maneat, an licitum sit facere, quod jubetur, imprimis videndum est, quale sit dubium, quum dubium negativum, quod vocatur, statim rejiciendum sit. In dubio autem positivo applicandæ sunt regulæ a theologis moralibus propositæ; quas subjungimus in nota:

Nota. — 1.) Potest subditus tripliciter contra Superiorem opinari: — α) circa præceptum, si probabiliter existimet, non esse impositum; vel non obligare in hoc particulari casu propter circumstantias; vel esse abrogatum dispensatione vel casu. — β) circa superioritatem vel legitimam jurisdictionem Superioris, v. g. an sit constitutus, vel electus, vel confirmatus. — γ) circa materiam imperatam, an sit licita, vel conducens ad finem, an supra regulam vel excedens jurisdictionem Superioris.

2.) In omnibus his casibus potest subditus, etiamsi sua opinio sit probabilior, licite eam relinquere et judicio Superioris se submittere, illi obtemperando. Nam si, relicta sua opinione probabili, imo probabiliori, potest quilibet alterius se conformare opinioni probabili, multo magis hac in re. Et hoc ad perfectionem obedientiæ pertinet.

3.) Si subditus habet opinionem practice probabilem, seu qua judicat, hic et nunc esse probabile, quod non teneatur obedire, undecunque hoc proveniat, non erit contra votum, agere contra præceptum Superioris, etiamsi probabilior sit opinio hujus; ex principiis probabilismi. Nec obstat, tunc juste Superiorem præcipere; nam non præcipit juste nisi probabiliter; et sic jussus tantum probabiliter obligatur.

Ex his principiis positis resolvendum est:

1.) Si probabilitas sit circa præceptum, potest obedire subditus, sed non tenetur, cum lex non sit certa.

2.) Si probabilitas sit circa superioritatem vel legitimam jurisdictionem Superioris, et hic est in pacifica possessione sedis, tenetur subditus obedire. Nam probabilitas non elidit certam possessionem; et quoad jurisdictionem, suppleret eam Ecclesia in casu probabilitatis, stante possessione. — Sic uterque conjux tenetur reddere debitum, quamvis haberet opinionem probabilem de nullitate matrimonii.

3.) Si diversitas opinionum sit circa materiam ipsam, an sit licita etc., etiam tenetur obedire, sicut conjux uterque in probabilitate de illiceitate matrimonialis usus erga alterutram partem, miles in probabilitate de injustitia belli erga principem. — Et revera, esset magna confusio in regendis communitatibus, si aliter res se haberet.

Sed limitat S. Ligorius hanc obligationem: *a*) si res sit valde difficilis, quia tunc ista probabilitas cum hac difficultate prævalet possessioni: — *b*) quando obediendo subiret grave incommodum; quia tunc prævalet jus subditi, quod non teneatur se privare tanto ipsius bono.

Coroll. — Ad conscientias subditorum plene sedandas permittit etiam 555 Societas, ut res ad alios viros doctos et pios in Societate, vel etiam extra Societatem dijudicanda referatur, quorum judicio subditus tunc se subjicere tenetur.

Ex. c. 3. §. 12; „interrogetur [qui vult admitti], an quibusvis in scrupulis vel difficultatibus spiritualibus vel aliis quibuscunque, quas patiatur vel aliquando pati contigerit, se dijudicandum relinquet et acquiescet aliorum de Societate, qui doctrina et probitate sint præditi, sententiis." — Et decl. D: „personarum hujusmodi electio, quibus se judicandum relinquere debet is, qui in hujusmodi difficultatibus versatur, penes Superiorem erit, si subdito ea placuerit: vel penes subditum, si Superior eam approbaverit. Cui si in casu aliquo et propter causam aliquam justam videretur ad Dei obsequium fore majusque auxilium illius, qui hujusmodi difficultatibus laborat, ut aliquis vel etiam plures eorum, qui judicaturi sint de eis, extra Societatem assumantur, permitti poterit; electione tamen vel saltem approbatione eorum penes Superiorem, ut dictum est, manente. Si difficultates hujusmodi ad personam ipsius Superioris pertinerent, electio vel approbatio, de qua diximus, penes Consultores erit. Qui tamen Præposito Generali vel Provinciali inferior esset, sine alicujus eorum facultate, licet Rector sit Collegii vel alicujus domus Præpositus, nec constituere poterit nec permittere, ut hujusmodi difficultates ad suam personam pertinentes arbitrio aliorum extra Societatem subjiciantur." — Tantopere sollicita est Societas, ut subditis in spiritualibus suis necessitatibus auxilium offeratur modo quo fieri possit optimo.

Ne tamen quis dicat, se quasi constringi agere contra suam conscientiam, ultimum restat, quod permittitur, nimirum ut, obstinatus irrationabiliter in sua sententia, e Societate egredi possit. — C. 1. D. 22: p. el.: „si tamen inferior se non ad id accommodaret, quod Superior convenire judicat, oportebit eum extra domum egredi, nisi aliud Superiori videretur." — Congregatio declarat, hanc additionem, quamvis ipsis Constitutionibus non inseratur, poni posse in Superioris instructione.

d. — Denique dicitur, obedientiam debere esse cæcam, quoad intel- 556 lectum. Vix necesse est dicere, non intelligi in Constitutionibus abso-

lutam cæcitatem, seu eam, quæ omnem intellectus sive rationis operationem excludat; nam sic agere non esset humano modo agere, obedientia sic præstita non esset rationabile obsequium. Unde est, quod S. Ignatius aliquid addit: „cæca *quadam* obedientia," et ejusmodi. — Ex. c. 4. §. 29. — P. 3. c. 1. §. 23. — P. 6. c. 1. §. 1. — Cæca requiritur esse obedientia contra ea, quæ amor nostri ipsorum inordinatus suggerere vel objicere potest.

Bouix, „de jure regularium," t. 2. p. 543: „obedientia cæca in eo consistit, ut subditus, quoties agitur de re licita et non percipit cum evidentia, eam irrationabiliter injungi, abstineat a judicio sive externo sivo interno, quo pronuntiaret, irrationabilem esse Superioris injunctionem; præterea ut abstineat ab inquirendis causis et rationibus præcepti. Et quod ita agat, subdito possibile est; imo si non faciat temerarium ejus judicium erit." — Craisson, Manuale juris can. n° 2800: „per obedientiam cæcam non intelligitur nisi ea pia cordis dispositio, qua religiosus paratus est semper ad obsequendum suo Superiori, non dijudicando motiva mandati nec opportunitatem in iis, quæ ceteroquin ipsi non videntur ullo modo illicita."

557 *Coroll.* — Tota igitur ratio obedientiæ intellectus in eo est, ut non ex prudentia carnali agamus, sed ex spirituali prudentia, quæ præcipit, ut formale motivum obedientiæ fortiter apprehendamus contra ea, quæ natura objicere potest; aliis verbis, ut dirigamus mentem in auctoritatem DEI, quæ in Superiore jubente manifestatur nostramque subjectionem requirit totam, tum quoad voluntatem, tum quoad intellectum. Quod ut facilius libentiusque faciamus, juvat præsentia habere in se motiva, quibus ad sic agendum impellimur.

1.) Hæc doctrina non est novum quid et hucusque inauditum, sed ab ipso Salvatore claris verbis proposita, dein a doctoribus illustrata et in usum deducta. — „Qui vos audit, me audit", ait CHRISTUS Dominus, quem sequitur Apostolus: „non est potestas, nisi a DEO et si quæ sunt, a DEO ordinatæ sunt." — Sancti vero Patres et fundatores ordinum innixi huic veritati, iisdem fere exemplis utuntur, quibus S. Ignatius ad hanc rem explicandam. Loquuntur de obedientia Abrahæ; de instrumento, quod est in potestate artificis; de cæco ducendo, etc.

2.) Dein constat, rationem vel intellectum hominis ex natura sua cooperari debere ad actus hominis liberos et meritorios. Voluntas enim per se est facultas cæca, quæ indiget, ut per rationem sive intellectum dirigatur et adjuvetur. Quo magis igitur hæc facultas intel-

lectiva abstinet ab iis inquirendis, quæ voluntatem impedire possint; et quo magis intendit in ea, quibus voluntas recte excitatur et confortatur, eo facilius fortiusque inclinatur voluntas ad sequendam rectam rationem in faciendis, quæ jubentur. Et sic fit, ut, quando intellectus fortiter apprehendit formale motivum obediendi, perpenditque ea quæ in opere injuncto sunt grata, facilia, honorifica, actus subsequens libenter facileque præstetur habeatque amplius etiam meritum.

3.) Quibus omnino respondet ordo supernaturalis. DEUS enim ut dirigat hominem in via salutis ad finem ultimum, succurrit ipsi per gratiam, non tantum confortando voluntatem, sed etiam illuminando mentem, quia utrumque necessarium est in homine rationali propter utriusque facultatis defectum seu debilitatem. Unde est, quod cum a DEO gratias petamus, imprimis oratio nostra eo dirigitur, ut dissipet tenebras animum nostrum obnubilantes infundatque lumen sui sancti Spiritus, quo incensi eo lætius rectiusque dirigamur in viam rectam divinorum mandatorum.

ARTICULUS QUARTUS.

DE MOTIVIS IMPELLENTIBUS AD OBEDIENDUM.

Quum velit S. Ignatius, vera ac perfecta obedientia abdicationeque 558
voluntatis atque judicii maxime esse conspicuos, quicunque in Societate JESU DEO Domino nostro deserviunt, summi momenti est, iterum iterumque mentem nutrire considerandis iis motivis, quibus ad sincere obediendum impellimur. Sunt autem hæc:

1. — Obedientia est nobilissimum præstantissimumque sacrificium, quo summam DEI majestatem agnoscamus colamusque oportet. Obediendo enim testificamur, velle nos, quod recta ratio postulat, totos, uti sumus, DEI esse, quum ea præcise, de quibus solis disponere penes nostrum liberum arbitrium est, subjiciamus tradamusque Ei, qui est omnium Dominus altissimus et absolutus; nihil aliud desiderando, quam ut ipse ea accipiat, voluntatem scilicet nostram et intellectum; disponatque de iis quoquo velit modo. Ita fit annihilatio ista sacrificialis, qua desinimus esse nostri juris evadimusque proprium quid DEI, cui intime unimur, participantes igitur etiam cum ipsius sapientia, potentia, bonitate; et dirigimur infallibiliter ad effectum optimum operationum nostrarum obtinendum.

2. — In obedientia sola est merces nostra, et quidem magna nimis,

quum habeat expressam DEI promissionem mandato quarto annexam, tum pro hac vita, tum pro futura: „ut bene tibi sit." Nimirum:

a. — Obedientia dat animi quietem et tranquillitatem, in qua summum atque solum hujus vitæ bonum consistit. Experientia docemur, cor hominis etiam pii non posse acrius angi et torqueri quam isto timore, ne omnia in ipso sint bene ordinata ad beneplacitum divinum. Vir obediens est liber a tali angore, cum firmissime convictus sit, se explere voluntatem divinam, eamque explendo non posse non securum esse de bono animæ suæ statu et de spe vitæ æternæ. Et quamvis videat se imperfectionibus subjectum, dummodo studeat obediendo implere DEI voluntatem, securus est illo dicto: „obedientibus licet esse imperfectis."

b. — In obedientia est summus honor, nam DEO servire regnare est. Profecto, quo propius quis accedit ad DEUM, cui debetur omnis honor et gloria, eo magis etiam reflectitur in eum splendor divinus. At per ipsam voluntatis nostræ cum divina voluntate unionem illa arctissima conjunctio cum DEO perficitur, qua in hac vita major esse non potest; proindeque etiam summus honor summaque gloria ex servitio divino. Elucet hoc clarius ex contrariis: nam servire propriæ voluntati ejusque regi passionibus nemo non videt, quam abjectum sit homineque indignum. Quo longius igitur quis abest a propria voluntate et propius ad divinam voluntatem accedit, eo longius etiam recedit a servitute ista fœda et contemptibili naturæ corruptæ acceditque ad honorem, qui debetur servis DEI.

c. — Meritum non est nisi in obedientia, neque potest esse, nisi in ea, DEUS enim solis servis fidelibus promisit, fore ut constituat eos super multa, ut intrent in gaudium Domini sui. „Qui autem facit voluntatem DEI, manet in æternum." — 1. Joa. 2, 17.

d. — Obediens fruitur speciali DEI circa se providentia et tutela quam securissima. Plurima existunt exempla luculentissima hujus paternæ DEI de servis suis curæ singularis, tum in sacris, tum in profanis libris: liberat a periculis, servat in angustiis, defendit contra hostes, erigit a casu, confortat in laboribus; secundum verba Psalmistæ „angelis suis DEUS mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;" et alia plurima. Custodit DEUS suos ut pupillam oculi et sub umbra alarum suarum protegit eos.

e. — Obedientes adjuvat DEUS, fortes reddendo et constantes in operando, „DEUS hoc vult": non datur impulsus magis stimulans, corroborans, confortans. Et DEUM benedicere operantibus in suo nomine et secundum suam voluntatem, per se clarum est; sin contra,

DEUS operaretur contra se ipsam, negando suis ipsius operibus suum auxilium. Nonne comperimus plurimis exemplis homines naturalibus donis non abundantes, humiles tamen et in DEO confidentes, extraordinaria omnino et quasi mirabilia operari in animarum auxilium? Certe qui totum se DEO committit in explenda ejus voluntate, illi se DEUS vicissim committit, tribuendo suam potentiam, sapientiam, benignitatem, quibus homo idoneus fit ad efficienda illa mirabilia. Quod videre est in nostris sanctis missionariis, incipiendo a S. Fr. Xaverio ad nostra usque tempora.

3. — Movemur ad obediendum etiam ex facilitate obedientiæ præstandæ, præcipue si consideramus, multo graviora et magis ingrata toleranda esse ab hominibus mundanis in suis negotiis perficiendis. Obedientia requirit quidem, ut libertati nostræ quodammodo renuntiemus; sed dum postulatur a nobis hoc libertatis sacrificium, simul etiam libertatis pericula removentur, quæ millenis et millenis hominibus perniciem parant. — Præterea in exercenda obedientia multo minora nostræ voluntatis incommoda sufferimus, quam v. g. milites, mercatores, artifices in prosequendis suis negotiis sufferre coguntur. Quot labores, quot resignationes, quot vigiliæ, quot curæ et anxietates comitantur homines in mundo degentes, dum in opera sua prosequenda incumbunt. — Addamus, obedientia religiosa immunem fieri hominem ab innumeris istis vinculis et catenulis, quæ vel imprudentia vel passio homini injiciunt eumque impediunt in exercendo bono, dum religiosus obediens per prudentiam et sollicitudinem Superioris in viam salutis facillime dirigitur.

4. — Demum adjuvamur in obediendo plurimum, si attentionem nostram dirigimus in hoc, quam inania, imo frivola sint omnia, quibus inobedientes vitium suum excusare conantur. — Dicunt enim: „Quam indignum est homine ratione prædito, submittere intellectum eumque sacrificare." — Sit; attamen in hoc non est indecentia, sed summa gloria. Quid, nonne submittibus rationem in fide exercenda auctoritati divinæ? Et rectissime quidem; simili modo subjicimus nos ei qui DEI locum tenet propter ejus auctoritatem.

„Si modo Superiores essent prudentiores; sed quum videam eos sæpius irrationabiliter, imo stulte agere, repugnat, me ipsis subjicere." — Ad taliter judicandum de Superiore seducitur homo sua ipsius nimia æstimatione, dum præsumit se præ aliis sapientia præeminere. Transeat autem: num jussa Superioris ideo exsequenda sunt, quia ea rationabilia

esse putamus; an vero, quia in iis vocem DEI audimus? Et certe, si quid Superiorum prudentiæ desit, DEUS ipse supplebit defectum propter puram obedientis intentionem.

„Superiores multis defectibus obnoxii sunt; non possum igitur in iis DEUM videre." — Certe non sunt impeccabiles Superiores, et vides in iis defectus. Sed cur non dirigis oculos mentis in ea, quæ in Superiore sola videre debes in obediendo? Hæc est sola auctoritas a DEO ipsi communicata; quam dum vivide apprehendis, facillime obedientiam præstabis.

559 5. — Ut igitur cum facilitate lætitiaque Superioribus pareamus, plurimum juvat, practica quædam media adhibere, quæ semper nobis præsto esse possunt:

a. — Semper stare ex parte Superiorum eosque defendere contra impugnantes; imo consortium vitare eorum, qui dicta et facta Superiorum dijudicare præsumunt; eosque palam monere, quam parum religiosum sit, contra Superiores sentire et loqui; atque facile fieri posse, ut graviter etiam in hac materia peccetur.

b. — Nihil clausum habere Superioribus, maxime autem interna nostra aperire; imo cum filiali reverentia et fiducia totos nos manifestos facere, ut possint de nobis utiliter disponere. Difficilius enim est ipsis, secundum DEI voluntatem nobis imperare, quam est nobis, ex DEI voluntate ipsis parere.

c. — Consuetudinem acquirere recurrendi iterum iterumque ad verum principium obedientiæ, i. e. venerari Superiores tanquam DEI locum tenentes, tum in orationibus, tum in ipso actu, quando cum iis agendum est; et petere a DEO, ut hunc spiritum rectum obedientiæ renovet in nobis.

d. — Recurrere cogitando ad præclara illa obedientiæ exempla Sanctorum nostrorum, v. g. S. Francisci Xaverii, qui ad unum verbum Præpositi Generalis paratissimus erat, relinquere campum celeberrimum maximeque fertilem pro Ecclesia propaganda, ne desit obedientiæ exercendæ erga eum, cujus vox ipsi vox DEI erat.

e. — Ponere se cogitando in loco Superioris et serio mente revolvere, quasi nobis ipsis incumberet onus jubendi: quomodo tunc erga subditos nos haberemus; annon eadem ipsis injungere eodemque modo eos tractare satageremus? — Et similia.

SECTIO QUARTA.

De Ratione conscientiae reddenda.

Regula de reddenda ratione conscientiæ cum lege obedientiæ quam 560
intime conjuncta est; juvantur enim plurimum Superiores ex accepta hac ratione, ut recte et in spirituale auxilium singulorum ordinent et imperent; juvantur non minus subditi ex reddita hac ratione, ut cum animi pace et lætitia jussa Superiorum exsequantur. Sine hac institutione tota gubernatio in Societate esset quodammodo mere externa; nunc autem inter Superiores et subditos nexum est illud vinculum paternæ charitatis filialisque fiduciæ, quo Societatis membra in familiam coalescunt lætaque hujus vitæ arduum iter percurrunt.

Ex. c. 4. §. 36: „quicunque hanc Societatem in Domino sequi volet et in eadem ad majorem Dei gloriam manere... sub sigillo confessionis vel secreti, vel quacunque ratione ei placuerit et ad majorem ipsius consolationem fuerit, debeat conscientiam suam magna cum humilitate, puritate et charitate manifestare, re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata; et totius anteactæ vitæ rationem integram vel certe rerum majoris momenti Superiori, qui tum fuerit Societatis, vel cui ex Præpositis vel aliis ex inferioribus ille injungeret, prout magis convenire videretur, reddat; ut melius omnibus in Domino prospiciatur, ipseque magis in spiritu, cum gratia uberiori ad majorem divinæ bonitatis gloriam proficiat." — Dein §§. 37-40.

Summ. 40: „et sexto quoque mense rationem hanc sui, ab ultima, quam reddiderit, incipiendo, quisque reddet. Sic etiam videtur, quod Coadjutores formati et Professi singulis annis vel crebrius si Superiori videbitur, suæ conscientiæ rationem dicto modo ei reddant." — Positis his locis præcipuis, distincte proponemus, quæ Institutum hac de re habet.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID SIT RATIO CONSCIENTIÆ.

Ratio conscientiæ est manifestatio de statu vitæ nostræ spiritualis, 561
statis temporibus facta Superiori tanquam patri et duci animarum nostrarum, eo quidem fine, ut ab ipso penitus cognoscamur, melius dirigamur et in via perfectionis acquirendæ efficacius juvemur. Constat satis, eam esse ex substantialibus Instituti, — C. 5. D. 58. — et in Societate summo studio singularique cura tractari.

1. — Obligatio reddendæ rationis conscientiæ eadem est, quæ ceterarum regularum, et non strictior. — Mutius Rhenan. 19 Jan. 1619: „quum Constitutiones et regulæ per se nullam obligationem ad peccatum inducant, P. 6. c. 5., Nostri non obligantur sub peccato ad manifestationem peccatorum in ratione conscientiæ." — Rhenan. 27 Aug. 1612: „quum ex se nec mortale, nec casum reservatum committat, qui graviora peccata in ratione conscientiæ non aperit, non potest ei propterea negari absolutio." — Flandr. 17 Nov. 1618. — Rhen. 19 Jan. 1619: „recte tamen hinc excipit P. Claudius (de recidivis, 1 Aug. 1595) illa peccata, quæ manifestare ex natura rei quis obligatur, uti est in dicta Ordinatione."

562 2. — Finis rationis conscientiæ principalis et directe intentus sine dubio est ipsius reddentis utilitas spiritualis. Finis vero promovendi bonum commune Societatis cum isto priori intime cohæret, et quamvis sit consequens tantum, neque iste prior finis huic subserviat, tamen non minus est ex intentione S. Ignatii.

a. — Subditi salutem directe et immediate intendi, varii Instituti loci expressis verbis probant. — Ex. c. 4. §. 36: „ad majorem ipsius consolationem," — „ut melius omnibus in Domino prospiciatur, ipseque magis in spiritu cum gratia uberiori.... proficiat." — P. 3. c. 1. §. 12: „voluntate pura optantes, ab illis [Superioribus] dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent; nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum judicio illorum, quos CHRISTI Domini nostri loco habent." — P. 4. c. 10. §. 5: „ut melius in divino obsequio conserventur et progrediantur." — Idem P. 6. c 1. §. 2. — Instr. 11. §. 1.: „ad eum *unum* finem consequendum, cujus causa a fundatore nostro totam hanc rem institutam esse scimus, quod est spirituale auxilium et idonea subditi cujusque perscrutatio." — Instr. 13. c. 2. §. 2. — Itaque:

α. — In his locis solum sermo est de promovenda per rationem conscientiæ spirituali subditi utilitate, bonum autem commune vix attingitur.

β. — Idem sequitur ex modo, quo redditur ratio, qui est totus ex ipsius reddentis arbitrio: „quocunque modo ei placuerit", etiam si velit in confessione, ita ut obligatio sigilli sacramentalis in suo vigore servandi accedat.

γ. — Porro ex stricto mandato secreti servandi, quo Superiores tenentur. — C. 12. D. 15: „ut non liceat Superiori, cui reddita ratio conscientiæ fuerit, quidquam eorum, quæ illi de se ipso quis manifestat, ulli omnino, nec Generali, nec Provinciali unquam revelare vel etiam

innuere, nisi forte illo eodem, qui conscientiam suam manifestavit, expresse consentiente."

δ. — Demum respondit Paulus Oliva 25 Jan. 1676 ad postulatum Germ. Sup. 1675: „nihil prodest ad gubernationem exteriorem revelatio. Non est instituta manifestatio ad usum exterioris gubernationis, quod vel eo patet, quod S. Pater noster integrum cuique voluerit quo pacto reddere rationem voluerit." — Sed confer infra sub litt. β.

b. — Bonum vero commune Societatis, quamvis non tam formaliter 563 et directe intendatur, ex ratione conscientiæ tamen semper promoveri, certum est, etiam quando redditur sub strictissimo secreto. Et constat, fuisse S. Ignatii expressam intentionem, etiam hunc communis boni finem obtinere.

α. — Nam non potest non fieri, ut dum bonum individui promovetur, promoveatur etiam bonum communitatis cujus membrum est. Quo melius enim est cum singulis membris, eo etiam melius cum toto corpore, quod ex iis componitur.

β. — Et ipse Pater Oliva, licet dicat, non fuisse institutam rationem conscientiæ ad exteriorem gubernationem, tamen edicit, sæpe licere Superiori, etiam quendam exteriorem usum facere eorum, quæ in ratione conscientiæ acceperit.

γ. — Quando vero quis rationem reddit sub secreto, vel etiam in confessione sub sigillo sacramentali, vix non concedet liberum usum Superiori, si causa gravis boni Societatis communis id postulaverit.

δ. — Imo potest esse, ut qui reddit rationem conscientiæ, sub peccato teneatur Superiori permittere, ut aliquid faciat vel ordinet in bonum communitatis, v. g. ad avertendum damnum, reparandum scandalum, restituendam famam. — Ex his omnibus patet, ex reddita ratione conscientiæ etiam promoveri bonum commune.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE QUIBUS REDDENDA SIT RATIO.

Colligitur hoc ex locis Instituti. — Ex. c. 4. §. 36: „re nulla, qua 564 Dominum universorum offenderit, celata; et totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certe rerum majoris momenti Superiori, qui tum fuerit Societatis, etc." — P. 3. c. 1. §. 12: „admoneantur quod nullam debeant celare tentationem, quam... confessario vel Superiori non aperiant, imo vero totam animam suam illis integre manifestam esse pergratum habeant; nec solum defectus aperiant sed etiam pœnitentias

vel mortificationes et devotiones ac virtutes omnes; voluntate pura optantes, ab illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent." — P. 4. c. 10. §. 5.

1. — Tota igitur conscientia aperienda est, nihil clausum tenendo; ex una parte peccata omnia et quæ ad ea pertinent, i. e. inclinationes, passiones, tentationes, pericula, occasiones, et ratio et modus, quem tenent ad ea dirigenda et compescenda; ex altera parte, quæ bona adsint: de oratione, pœnitentia, virtutum singularum exercitio; in summa: de omnibus rebus malis et bonis, quæ ad statum vitæ spiritualis spectant, loquendum est.

565 2. — Putabant ex non bene intellectis quibusdam Instituti locis olim nonnulli, peccata gravia non esse materiam rationis conscientiæ reddendæ. Ita ait Rodriguez, P. 3. tr. 7. c. 11: „horrent piæ aures ejusmodi res (peccata gravia) extra confessionem audire; quare melius est, eodem eas referre." — Alvarez l. 5. c. 8. §. 2: „peccata, si quæ admisimus, non sunt in hac manifestatione propalanda, sed confessioni relinquenda."

Contraria autem sententia omnino tenenda est, nimirum peccata indicanda esse omnia, etiam ea, quæ jam in confessione declarata et remissa sint. Quod clarum est ex verbis supra positis: „re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata."

Hoc distinctius etiam habetur in nonnulis Responsis. Claudius interrogatus a Visitatore Flandriæ, an satisfaceret, qui tantum aperit tentationes et inclinationes, respondit 25 Sept. 1584: „non est dubium, quin non satisfaciat; quia si tantum aperiantur tentationes, Superior non potest cognoscere subditum nec illum dirigere; quæ tamen est potissima causa, cur debeat reddi ratio conscientiæ Superiori."

Mutius 2 Junii 1629 postulat a Provinciali Germaniæ sibi rescribi, an Instructor 3. prob. hanc sententiam teneat, provocans ad ipsius Generalis approbationem. Dicit: „quod quia verum non puto, nisi aut ego ipsius mentem, aut ipse meam non satis perceperit, ut Reverentia Vestra primo quoque tempore Patrem illum examinet" — Et quum nonnulli adhuc persisterent in illa sententia, addit 1637: „Reverentia Vestra moneat, opinionem illam nunquam a me fuisse approbatam, sed contrariam omnino tenendam esse; h. e. non solum propensiones, sed quoad peccata ipsa esse manifestanda."

Vinc. Carrafa 19 Jan. 1647: „non satis est generatim enuntiare tentationes suas, passiones, habitus, sive bonos sive improbos, sed descendendum distincte ad particulares actiones, quamquam non cum eo rigore numerum et speciem, sicuti in confessione sacramentali."

Hæc satis clara sunt. Loci igitur Instituti, vel nonnullorum scriptorum, qui alium sensum præbere videntur, aut in hunc sensum explicandi, aut omnino relinquendi sunt. Ipsi Societatis Generales Præpositi hoc modo egerunt. Itaque:

a. — In Ex. c. 4. §. 36. dicitur de prima ratione conscientiæ, quæ in Societate redditur: „vel certe rerum majoris momenti." Hoc intelligitur de ratione, quæ fit extra confessionem: ita ut peccata graviora eidem Superiori in confessione aperiantur, cum dictincte habeatur: „re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata."

b. — Instr. 13. c. 2. §. 2: „nam in confessione peccata et circumstantiæ aperiendæ sunt, (in ratione conscientiæ) vero ea dicere satis erit, quæ integre profectum seu defectum animæ et statum interioris hominis manifestant." Sensus est hic: subditi non possunt cogi, ut peccata ipsa extra confessionem manifestent; sed liberum eis est, ea in confessione accusare. Quare etiam expresse additur: „hæc enim Superiori in confessione detegere possunt."

c. — De loco citato ex Rodriguez est Resp. Mutii ad Rhen. infer. 1636: „etiamsi S. Pater noster Ex. c. 4. §. 36. expresse dicat, rem nullam celandam, qua DEUM offenderit, ibidem tamen etiam significat, cuivis liberum relinquendum, ut hoc intra vel extra confessionem faciat, qui est sensus Rodriguez l. 3. tr. 7. §. 11."

d. — Quoad locum Alvarez supra citatum habetur Resp. Mutii in Rhenan. 1638: „non esse contraria Ex. c. 4. §. 36: „nulla re celata" et Patris Alvarez, quia tum ibi, tum Instr. 13. c. 2. §. 2. dicatur, neminem cogendum esse, ut peccata in ratione conscientiæ extra confessionem manifestet; sed libere relinquendum, ut id faciat vel intra vel extra confessionem."

e. — Exstant etiam clara quædam Responsa. Claudius 1606: „in reddenda ratione conscientiæ oportet Superiori etiam peccata gravia aperire. Est autem liberum subdito id præstare vel sub sigillo secreti vel confessionis." — Mutius Flandr. 17 Nov. 1616, et Germ. 13 Dec. 1619: „in ratione conscientiæ aperiendæ sunt etiam cogitationes mortales, saltem in genere, dicendo v. g., cogitationibus contra castitatem aliquando me occupare et consentire soleo." Hoc enim requirunt verba regulæ: „nulla re celata."

Sequitur inde, etiam casum reservatum esse indicandum, quamvis peccatum jam remissum sit. Quod dicit Mutius 1636: „non est dubium, quin reddens rationem conscientiæ teneatur etiam aperire casum reservatum, licet ab hoc tacito nomine fuerit absolutus. Et si non aperiat, faciat contra regulam, quæ dicit: nulla re celata." — Idem jam Clau-

dius in Rhenan. 1613: cum addito: „sufficere, si talem casum reservatum, a quo jam absolutus fuerit cum licentia Superioris, aperiat in ratione conscientiæ Superiori mediato vel immediato."

566 3. — Quæ explicata sunt de dicendis omnibus, restringenda tamen sunt ad tempus elapsum ab ultima ratione reddita. Dicitur enim clare Summ. 40: „ab ultima quam reddiderint," quin distinguatur, cui reddita sit, num Provinciali, an Superiori locali. Quod expresse dicit Claudius Germ. 1590: „per ultimam rationem intelligitur illa, quæ simpliciter est ultima sive data fuerit Provinciali sive Rectori. Et ita intelligenda est regula Provincialis 131." — Pater Mutius rem sic explicat, Resp. Gallobelg. 7 Dec. 1619: „licet Provincialis possit exigere rationem conscientiæ a subditis ab illa, quam postremo ab iis accepit, tamen communiter contentus esse debet, si reddant earum rerum, quæ a postrema immediato Superiori reddita occurrerunt."

ARTICULUS TERTIUS.

CUI ET QUANDO REDDENDA SIT.

567 Personæ, quibus reddatur ratio conscientiæ, nominantur in Ex. c. 4. § 36: „Superiori, qui tunc fuerit Societatis, vel cui ex Præpositis vel aliis ex inferioribus ille injungeret, prout magis convenire videretur." — Intelliguntur igitur Generalis, Provincialis, Superior immediatus, vel alius ad hoc deputatus, — Dein §. 38: „postquam primo aliquis eorum integram vitæ rationem Superiori domus reddidit, ab eodem die inchoando, prioribus, quæ eidem dixit, non repetitis, iterum post semestre proximum, plus minus, ei vel cui a Superiore fuerit constitutum, vitæ rationem reddet. Deinde a secunda hac ratione incipiendo eodem ordine procedetur; et sexto quoque mense rationem hanc sui quisque reddet. Ultima vero circiter triginta dies, antequam Professi futuri suam professionem et Coadjutores sua vota emittant, reddetur." — Demum §. 39: „Scholastici eodem modo procedent, præterquam quod, absolutis suis studiis, cum primum rationem vitæ suæ reddent, ab ultima quam reddiderunt in domo, unde ad studia missi sunt, vel ab initio vitæ, si aliqua de causa nunquam reddiderunt, incipient." — Tandem §. 40: „sic etiam videtur, quod Coadjutores formati et Professi, si alicubi agunt ubi Praepositi alicujus Societatis obedientiæ subjaceant, singulis annis, vel crebrius si Præposito videbitur, suæ conscientiæ rationem dicto modo, ab ultima quam reddiderint incipiendo ei reddant." — Et in Summ. 40: „semel in anno parati esse debebunt."

Itaque ratio conscientiæ redditur his temporibus:
statim in ingressu Societatis;
singulis sex mensibus usque ad ultima vota emissa;
initio anni tertiæ probationis;
intra triginta dies ante ultima vota emittenda;
semel in anno et quidem ab omnibus;
quoties Superiori visum fuerit convenire.

Hæc de statis temporibus; quæ clariora fient, si singulæ personæ recensentur, quibus reddenda sit.

1. — Generalis, ut patet, habet jus exigendi rationem conscientiæ 568 sibi reddendam a quovis in Societate; imo per se ipsi Generali a quovis reddenda esset. Nam ipse intelligitur proprie, si dicitur in Ex. c. 4. §. 36: „*Superiori*, qui tunc fuerit Societatis." Quod nunc quidem, postquam Societas tantopere diffusa et dilatata fuit, omnino fieri nequit; unde etiam statim additur „vel cui ex Præpositis vel aliis ex inferioribus ille injungeret." — Attamen etiam nunc Generali commendatur hæc res in P. 9. c. 3. §. 19: „cognoscat, quoad ejus fieri poterit, conscientias eorum, qui sub ejus obedientia sunt, ac præcipue Præpositorum Provincialium et aliorum, quibus munera majoris momenti committit." — Talis cognitio Generali in universali gubernatione Societatis non potest non afferre maximam utilitatem, uti patet.

2. — Quæ sint partes Provincialis in hac materia reddendæ rationis, distincte profertur in ipsius regula 131: „Provincialis integram rationem totius anteactæ vitæ, juxta Constitutiones, ab iis exigat, qui Societatem ingrediuntur; et ab eo tempore, quo ad studia missi sunt, ab iis, qui iis absolutis ad tertium probationis annum peragendum mittuntur. Quodsi id aliquando per se præstare non poterit, substituat ad id ordinarie Superiorem domus vel Collegii. Singulis vero annis in quacunque domo vel Collegio suæ provinciæ, absoluta rerum domesticarum visitatione, aut in ipso visitationis decursu, si id opportunius in aliquibus fore judicaret, rationem conscientiæ ab omnibus accipiat ab ultima quam reddiderunt, juxta modum inferius præscriptum." — Hinc:

a. — Provincialis exigat rationem de tota vita anteacta ab ingredientibus in Societatem. Sed quum ipse plerumque absit a domo novitiatus, habetur Resp. Claudii Belg. 1606: „Provincialis potest ordinare, ut ingredientes Societatem ordinarie rationem conscientiæ reddant Magistro novitiorum, cum quo faciunt confessionem generalem. Quodsi Provincialis velit eam ipse exigere, non urgeat, ut eam faciant

extra confessionem. Satisfaciunt enim aperiendo conscientiam in confessione; nec aliud ab iis exigendum."

b. — Exiget dein ab iis, qui tertium probationis annum ingrediuntur, uti supra dictum est. Sed ex eadem causa qua in novitiatu, res devolvitur ad Instructorem tertiæ probationis vel ad Rectorem.

c. — Dein ab omnibus tempore visitationis domus. De hac etiam valet: „ab ultima incipiendo"; et quod supra allatum est Resp. Germ. 1590: „quæ simpliciter est ultima." Et Gallobelg. 7 Dec. 1619: „licet Provincialis posset exigere rationem conscientiæ a subditis ab illa, quam postremo ab eis accepit, tamen communiter contentus esse debet, si reddant earum rerum, quæ a postrema, immediato Superiori reddita, occurrerunt."

569 3. — Superior localis proprie est, cui debeat fieri ratio conscientiæ, tum annua, tum semestralis. Et hoc quidem independenter ab ea, quæ fit Provinciali. — Resp. 1622: „regulæ 40. Constitutionum conformius est, ut qui reddidit Provinciali rationem conscientiæ, teneatur nihilominus eodem anno dare immediato Superiori, saltem si nondum sit Graduatus et intercessit notabilis mora temporis." — Et P. Hoffæo jam 1595: „Rector eam præscriptis temporibus exigere potest, nisi Provincialis eam sibi reservet vel immineat brevi visitatio." —

Notum est, fieri hanc conscientiæ rationem a Scholasticis tempore renovationis votorum; a Graduatis vel inter exercitia annua vel versus finem anni, vel quandocunque eis placuerit eisque consolationem afferat. Teneri Graduatos, præter rationem Provinciali redditam, etiam immediato Superiori eam reddere, sæpius a Generalibus declaratum fuit. Sic Resp. Germ. 9 Martii 1629: „potest immediatus Superior etiam a Graduatis jure suo exigere rationem conscientiæ singulis annis, licet Provinciali reddiderint, juxta Reg. Summ. 40. et Reg. Præpos. 23." — Germ. 1642: „quod Professi et Coadjutores formati non reddant immediato Superiori rationem conscientiæ, licet per annum et amplius Provincialis a visitatione Collegii impeditus eam non acceperit, abusus est regulis nostris repugnans." — Clarius etiam Vinc. Carrafa Austr. 1648: „Graduatos, i. e. Professos et Coadjutores formatos, teneri reddere rationem conscientiæ Superiori locali, licet eam reddiderint Provinciali sub visitatione." — Et hanc declarationem suam fecit P. Roothaan in Congregatione Provinc. Romana 1847. — Num Professi et Coadjutores formati, qui Præposito Provinciæ rationem consc. reddiderunt, eam ex regula eodem anno reddere teneantur etiam Superiori domus? — Responderunt ad hanc quæstionem in Cg. 22. PP. deputati ad Con-

stitutiones interpretandas: Eos nimirum ex regula teneri, si vocentur; non teneri, si non vocentur. Cui judicio, uti Acta referunt, longe major Cg[nis] pars assensit. — „Valde laudabilis autem mos est permultorum, qui conscientiæ ratione Provinciali reddita, ad sensum regulæ etiam non vocati adeunt domus Superiorem, ut aperiant animum sive exercitiorum sive alio tempore opportuno." — P. Anderledy 8 Maji 1889.

4. — Patrum 3. prob. rationes conscientiæ exigere etiam Superior immediatus habet jus vi muneris. Sic ex Resp. Flandr. 7 Julii 1619: „rationem conscientiæ exigere a Patribus tertiæ probationis est Superioris." — Et 1640 P. Lancicio: „rationem conscientiæ, quæ juxta Constitutiones certis anni temporibus ab unoquoque repetitur, scilicet in renovatione votorum, exigere potest Rector a Tertianis Patribus et exigenti reddenda est." — Hoc igitur obtinet in ratione ex regula reddenda; præterea autem Instructori quam notissimi sint Patres, se ipsi manifestando; unde intelligitur Resp. Lugdun. 1625: „Instructor tamen extra illa tempora, juxta regulam 40. exigere potest. Et sic intelligendum Responsum datum: Tertiani tenentur Instructori reddere rationem conscientiæ." 570

5. — Quoad novitios habentur hæc Responsa. — Flandr. 1606: „Provincialis potest ordinare, ut ingredientes Societatem ordinarie rationem conscientiæ reddant Magistro novitiorum, cum quo faciunt confessionem generalem. Quodsi Provincialis velit eam ipse exigere, non urgeat, ut faciant extra confessionem, satisfaciunt autem aperiendo conscientiam in confessione." — P. Puten: „nihil est, quod novitii, reddita ratione conscientiæ de vita præterita Magistro novitiorum, idque in confessione generali, ut usus habet, iterum alteri Superiori præterita repetant." — Aquitan. 1610: „nemo est cogendus, ut præter confessionem generalem, quam in primo ingressu Magistro facere solent novitii, reddat iterum rationem superioris vitæ extra confessionem." — Sunt igitur de Magistro novitorum hæc tenenda: 571

a. — Magister novitiorum non potest vi muneris sui, sive jure ordinario, ut rationem conscientiæ sibi faciant, exigere. Hoc enim nullibi in Instituto indicatur; econtra ipsius regula 67. hæc habet: „demum qui sic examinatus (agitur de semestrali examinatione) est, reddat rationem conscientiæ suæ Superiori, aut ei, quem Superior delegaverit." — Hic clare Superior designatur; at etiam innuitur, eum posse Magistrum novitiorum ad hoc delegare.

b. — Sed idem est cum Magistro, quod cum Instructore: cognoscat

oportet conscientias sibi commissorum quam accuratissime; et jure suo igitur postulat, ut novitii quam apertissime et sæpissime interna sua sibi pandant. Unde moris est, ut singulis mensibus recollectionem quam vocamus, tum novitii tum Patres 3. prob. instituant; imo singulis hebdomadis privatim singuli cum Magistro vel Instructore agant. Res maximi momenti.

572 6. — Præter hos, quos nominavimus quibus jus competit et officium incumbit excipere rationes conscientiæ, fieri etiam potest, ut Superior suas has partes alteri committat; quod facere ei licet. Nam in Ex. c. 4. §. 36: „vel cui ex Præpositis vel aliis ex inferioribus ille injungeret, prout magis convenire videretur."

De hac commissione habet Resp. Claudii 1596: „quamquam posset interdum Superior petenti subdito concedere, ut alteri potius rationem conscientiæ suæ reddat pro majore sua consolatione; quin accidere interdum tempora possunt, quibus Superior id sponte offerre suo subdito possit aut etiam debeat, si sentiat illum minus libere sibi redditurum; reipsa tamen hæc fieri raro debent, quoniam minueretur aut potius tolleretur omnino præcipuus fructus istius exercitii, ut subditi melius gubernari et per eum melius in via Domini dirigi possint. Quod quidem vix valent assequi, si alteri potius rationem reddant quam Superiori." — Eodem omnino sensu scribit P. Mutius Patri Lancicio 11 Jan. 1631. Supponitur nimirum quivis Superior tam sollicitus esse de spirituali bono sui subditi, ut libentissime resignet proprio juri pro bono spirituali illius, quando hoc revera ex tali resignatione effici cernatur.

ARTICULUS QUARTUS.

DE MODO EXTERNO REDDENDÆ RATIONIS.

573 In modo externo reddendæ rationis, præcipue num fiat in confessione, an extra eam, non erat uniformitas in Societate statim ab initio; quod innuitur etiam C. 4. D. 40: cum „modus... certus et omnibus provinciis communis desideraretur."

1. — Primis natæ Societatis temporibus videtur fuisse usus sat communis, quo omnes tempore visitationis Provinciali utrumque simul faciebant, tum rationem conscientiæ tum confessionem generalem; et quidem vel uno eodemque actu, vel actibus separatis. — Sic legitur Lancicius, op. 2. c. 8. n° 169: „nisi gravis aliqua et pia causa aliud

facere suadeat, semper coram Superiore, uti rationem conscientiæ, ita confessionem consuetam generalem facias; tum ut imiteris antiquorum in Societate Patrum morem, qui usque ad Patris Everardi Mercuriani Generalis tempora duravit (solebant enim Patri Provinciali in visitatione confiteri omnes, idque ut perpetuo servaretur, optabat B. Borgia); tum ut penitus te noscat Superior ac melius in via Domini dirigat. Duplicem enim ex divino lumine directionem tibi afferet, et eam quam confessarius afferet te alteram tanquam Superior tuus, cui ut Superiori tuo et Vicario suo assistit procul dubio magis summa illa et mirabilis divina providentia, etiam non habito respectu ad probitatem Superioris, sed ad solum ejus officium, quod DEI nomine obit tanquam interpres divinæ voluntatis."

In epistola Lovanium missa 14 Dec. 1562 de Patre Natali sic legitur: „quod attinet ad confessionem generalem, ad quam P. Natalis dixit, ut Reverentia Vestra se præparet, id fecit pro sua consuetudine. Sic enim in Hispania Patrem Araoz jam Commissarium quinque provinciarum, et alios Provinciales vel in confessione audivit, vel reddentes suæ conscientiæ rationem sub eodem sigillo juxta nostras consuetudines." — De eodem narrat P. Hoffæus (in scholiis ad Ex. c. 4. §. 36) ipsum hæc asseruisse: „etsi multi soleant propensi esse, ut extra confessionem conscientiam suam explicent, et ad perfectionem hæc propensio spectare videatur, non sunt tamen extra confessionem audiendi. Ita enim hactenus obtinuit consuetudo, quæ rationi consentanea est, ne quis oblique cogi videatur, quæ soli DEO sunt manifesta peccata, exterius enuntiare, vel temere effutiat pudenda peccata. Nam quæ peccata non sunt, possunt extra confessionem intelligi et nonnunquam debent." — Eundem Patrem Natalem, refert historia collegii Monachensis, illuc venisse omniumque confessionem generalem audiisse. Et Sacchini hist. p. 2. l. 5. n° 10: „perjucundus accidit (Borgiæ) Natalis adventus. Totum se ei aperuit penitusque permisit, nec quidquam habuit antiquius, quam ut cum eo generalem institueret confessionem."

2. — Ex his similibusque locis videre possumus, modum reddendæ rationis conscientiæ in confessione sacramentali a multis observatum esse Patribus gravissimis et sanctis, et quidem cum quadam prædilectione. Inde tamen concludere non licet, fuisse hunc usum omnino communem et universaliter receptum. Imo ex hoc, quod Provinciales tempore visitationis Nostrorum et confessiones generales audiebant et rationem conscientiæ excipiebant, sequitur tantum, ipsos paratos fuisse ad utrumque, etiam si subditi volebant rationem in ipsa confessione

facere. Inde etiam explicatur, P^m^ Borgiam, quamvis ipse præferret Patri Natali suam rationem reddere in confessione, nihilominus scripsisse ad Patrem Carillum 12 Nov. 1566: „etsi ratio reddi potest in confessione vel extra, est tamen aditio, ut potius fiat extra." — Et eadem videtur jam fuisse mens Patris Laynez in Resp. 22 Febr. 1560: „hæc constitutio de conscientia Superiori aperienda non debet accipi, nisi in confessione, si subditus eam alio modo facere detrectaret, ad quem obligatus non est." — Liquet etiam, post Constitutionem Clementis VIII. 26 Maji 1593, non potuisse tanquam regulam statui omnes obligantem, ut in confessione redderetur ratio; quum Pontifex vetaret Superiores audire subditorum confessiones, nisi hi sponte se offerrent idque optarent. Licuit igitur subditis modum eligere, quem malebant. Recte proin asseritur, usque ad tempus Patris Claudii non fuisse in Societate reddendæ rationis conscientiæ usum uniformem et æqualem.

3. — In quarta autem Congregatione, in qua Claudius electus est Generalis, sermo inferebatur de hac re accurate ordinanda. — C. 4. D. 40: „quum constet ex Ex. c. 4. §. 36. et Summ. reg. 40. et perpetua praxi Societatis, reddendam esse Superioribus rationem conscientiæ, modus autem hujus praxeos quidam certus et omnibus provinciis communis desideraretur, petitum fuit a Congregatione, ut praxim declararet et aliquid certi constitueret. Ceterum Congregatio rem totam commisit Patri Generali, ut scilicet ipse cum suis Assistentibus praxim hujus Constitutionis, salva ipsa Constitutione, edoceret atque præscriberet." — Huic rei perficiendæ Pater Claudius manum fortiter pro suo more admovit, ipsiusque diligentiæ debemus omnia ista documenta, quæ de hac re in Instituto exhibentur; sunt autem:

a) Instructio ad reddendam rationem conscientiæ, quæ regulis inserta est, ut sit norma immediata ad dirigendum eum, qui rationem reddit.

b) Item, quæ habet Provincialis in suis regulis versus finem, quomodo se gerat in hoc negotio perficiendo.

c) Dein celeberrimum caput 2. Instr. 13. „de ratione conscientiæ reddenda."

d) Pro Superioribus Instr. 11: „de paterne exigenda ratione conscientiæ... et secreti fide servanda."

e) Demum Ord. c. 1. n. 17: „de fide servanda a Superioribus, quibus Provincialis invigilet."

Secundum hæc documenta ab isto tempore ordinabatur hoc negotium reddendæ accipiendæque rationis conscientiæ; atque utrum fiat intra confessionem an extra, expressis verbis habetur in Instr. 13. c. 2. n. 2:

„quare ut cogendi non sunt Nostri ad rationem reddendam conscientiæ extra confessionem, cum id liberum Constitutio permittat pro cujusque consolatione, ita summopere laudandi, qui, remotis iis, quæ proprie ad confessionem pertinent (hæc autem Superiori in confessione detegere poterunt) extra confessionem reddunt, totosque se ipsos patefaciunt, quo liberius et absque ullo respectu Superiores ad illorum directionem et utiliorem gubernationem ea notitia ad majus DEI obsequium utantur."

Sentit igitur P. Claudius, non tantum licere sed etiam conducere, peccata graviora Superiori in confessione declarare; quod tunc imprimis obtinet, si subditus aversionem sentiat contra Superiorem. De quo est Resp. Claudii 25 Sept. 1584: „qui aliquam aversionem habet a Superiore, debet sincere, quidquid est, exponere; potest tamen, si mavult, in confessione. Nec necesse est, ut in particulari dicat, se aversionem habere ab illo Superiore, sed sufficit, ut in generali dicat: contra aliquos Superiores."

Nota. — Utrum fiat redditio rationis conscientiæ in scriptis, an oretenus, est 574
penes ipsum subditum eligere. Prior modus in genere præferendus esse videtur, quum cogat subditum accuratius de rebus suis internis reflectere antea, et secum cogitare, an recte et convenienter se exprimat. Accedit etiam, quod is, qui res suas scriptas ante se habet, non tantopere pendet a momentanea impressione, quam patitur ex modo conversationis cum Superiore, quum sit ipsi facultas recurrendi ad legendum id, quod tempore quieto composuerat. Attamen utatur suo quisque jure, ut reddat eo modo, quo ad majorem ipsius consolationem fuerit; at intelligat eam consolationem supernaturalem et effectivam, quæ eum juvat ad melius DEO serviendum.

ARTICULUS QUINTUS.

DE MODO INTERNO RATIONIS REDDENDÆ.

Quomodo animo compositi simus oporteat in reddenda conscientiæ 575
ratione dicitur Ex. c. 4. §. 36: „magna cum humilitate, puritate et charitate." Et in aliis locis eadem proferuntur.

1. — Cum humilitate fiat ratio conscientiæ et quidem cum magna humilitate, ait S. Ignatius. Et revera non est occasio aptior exercendæ hujus virtutis tam necessariæ, quam in reddenda ratione conscientiæ; qnando nimirum homo facere cogitur id, a quo natura maxime abhorret, revelare sua sponte etiam ea, per quæ seipsum maxime contemptibilem ostendit: peccata, defectus, negligentias. Et eo major

est humilitatis exercitatio, quod accedit intima convictio, ea omnia esse gravioris culpæ et demeriti, quum reperiantur in homine a DEO innumeris cumulato beneficiis et gratiis. Prævalet autem et confortat hominem ad se humiliandum, firmum quod simul adest propositum emendandi se in posterum eo ardentius, quo magis se per vitia sua abjecerit.

Hæc humilitas removet ex animo ea, quæ ex fragilitate humana in tali occasione per se excitantur vitia: vanitatis, pudoris, timoris, diffidentiæ, reticentiæ; quibus omnibus fortiter superatis opus hoc perficiendum magno animo aggreditur.

2. — Cum puritate, seu sinceritate loquendi, qui est fructus veræ humilitatis. Desiderat enim homo, ut a patre spirituali in via perfectionis prosequenda quoquo modo juvetur; unde fit, ut mentis suæ arcana omnia revelet, bona et mala, quo melius in via perfectionis dirigatur. Ea autem, quæ clarius ostendunt, qualis sit, hæc fere sunt:

a) quæ sit virtus, in quam acquirendam præ aliis incumbat.

b) quomodo instituat examen, præcipue particulare.

c) quantopere profecerit in unione cum DEO perficienda.

d) quanta sit præparatio ad crucem CHRISTI ferendam.

Hæ res quatuor diligenter perquisitæ et patri spirituali sincere communicatæ ipsum de statu animæ quam efficacissime instruunt; simulque reddenti rationem novum impulsum ardentemque vigorem ingerunt operandi ea, ex quibus progressus et soliditas vitæ spiritualis maxime pendent.

3. — Tertio requirit S. Ignatius, ut procedat, qui reddat rationem, cum charitate, et quæ ex ea gignitur, filiali fiducia erga patrem spiritualem. Hi charitatis fiduciæque sensus fluunt ex paterno amore, quo Superior subditum reddentem conscientiæ rationem complectitur tanquam filium, cujus conditio et salus ipsi summopere cordi est. Propterea etiam monetur Superior, ut in accipienda conscientiæ ratione erga subditum se exhibeat compatientem, benignum, benevolum, quo filialis fiducia in subdito quasi sua sponte nascitur. Instructio 11. jam in capite profert hunc titulum: „de *paterne* exigenda ratione conscientiæ;" et prosequitur tunc in §. 3: „in id magna charitate Superiores incumbant, ut subditi ex eorum paterna charitate recreentur, benigneque se ab iis tractari lætentur; vicissimque ipsi ea, qua filios decet reverentia fiduciaque ad Superiores suos, tanquam ad benevolos parentes in omni re confugiant." — Et reg. Prov. ult: „eam suavitatem teneat, ut illa omnia non tamquam judex exigere, sed ut benignus parens ob subditi consolationem cognoscere velle videatur."

ARTICULUS SEXTUS.

QUANTI SOCIETAS RATIONEM CONSCIENTIÆ FACIAT.

Ex iis, quæ hucusque proposuimus, clare constat, rationem conscientiæ 576
in Societate tum apud Superiores tum apud subditos maximo in pretio esse. Juvat tamen, distinctas enumerare rationes ex Instituti locis erutas, quibus hæc æstimatio probatur, ut uno quasi obtutu totum campum lustrantes eo vividiore hujus rei amore percellamur.

1. — Constitutiones nullam omittunt occasionem inferendi sermonem de hac institutione. Nam:

Ex. 4. §. 36. seqq. fusius explicatur tota hæc materia, eo consilio, ut qui vult ingredi Societatem statim ab initio gravissimæ hujus rei habeat notitiam, ne postea possit conqueri de onere ignoto sibi imposito.

P. 3. c. 1. §. 12. agitur de ea, quatenus est medium aptissimum erudiendi et instituendi Nostros a limine juxta genuinum Societatis spiritum, quo per totam subsequentem vitam oportet eos esse animatos.

P. 4. c. 10. §. 5. monetur Rector, ut hoc medio utatur quam exactissime, quo melius subditi in divino obsequio conserventur et progrediantur.

P. 6. c. 1. §. 2. commendatur omnibus ratio conscientiæ pro obedientia erga Superiores sincere exhibenda, ut Superiores suos diligant et revereantur, et sic in spiritu charitatis in omnibus procedant.

P. 9. c. 3. §. 19. commendatur Generali, ut cognoscat conscientias suorum subditorum, in quantum fieri potest, pro bono regimine totius Societatis.

2. — Afferuntur etiam utilitates ex reddenda ratione conscientiæ ultro profluentes. — Ex. c. 4. §. 34: „*mirum in modum* confert, ut Superioribus subditi omnino perspecti sint, quo melius regi et gubernari et per eos in viam Domini dirigi possint." — §. 35: „juvare eos, ipsorumque animas a variis *malis et periculis*, quæ in progessu possint accidere, conservare poterunt." — §. 36: „ut melius omnibus in Domino prospiciatur, ipseque magis in spiritu cum gratia uberiori ad majorem divinæ bonitatis gloriam proficiat."

3. — Repetitur ratio conscientiæ per totam vitam sæpissime, non solum statutis temporibus, sed quoties Superiori expedire videtur in spirituale adjumentum subditi. Innuitur igitur, nunquam eam non esse utilem vel non necessariam, novitiis, junioribus, ætate provectis; totamque vitam spiritualem hoc quasi fundamento niti.

577 4. — Refert Societas rationem conscientiæ reddendam inter substantialia Instituti C. . D. 58., quæ tam firma et inconcussa debent esse, ut ne sermo quidem fieri possit de iis eliminandis. Num potest clarius indicari, Societatem ad finem suum duplicem prosequendum eam pernecessariam putare?

5. — Superiores in hac sui muneris parte exsequenda instantissime monentur, quomodo se componere debeant, ut institutio hæc fine suo speciali non frustretur. — Instr. 11. §. 1: „eam præ se ferendo comitatem paternamque benevolentiam, quæ subditos ad se totos magna fiducia aperiendos alliciat." — Instr. 13. c. 2. §. 2: „ut Superiores se ipsos patres exhibeant. . . ."; „magna charitatis significatione" etc.

ARTICULUS SEPTIMUS.

QUANTOPERE UTILIS SIT RATIO CONSCIENTIÆ.

578 Rem non ultra verum exaggeramus, cum asserimus: „si vis vocationem tuam religiosam tueri; si vis religiosus esse Societatis JESU, qualem Constitutiones requirunt, esto fidelis in reddenda conscientiæ ratione." — Ne miremur igitur, sanctum Ignatium, vestigia sequendo priorum fundatorum religionum, tantam curam posuisse in hac re bene ordinanda.

1. — Et revera, certus est noster in via DEI progressus, si rite et sincere animum Superioribus aperimus. Progredimur enim certissime, quamdiu ordinem sequimur a DEO institutum, atque perseveramus in exercenda humilitate, quæ est fundamentum omnis ordinis supernaturalis. Quod experientia probatur: ubi enim vita spiritualis non colitur sub oculis Superiorum, ibi mox languescit et arescit; moventur naturæ partes inferiores: pigritia, oblivio, incuria, enecantque vigorem vitalem usque eo, ut etiam media, quæ alias efficacia esse solent, vim suam perdere videantur.

2. — Tranquillitas et pax animi ultro nascuntur ex ratione conscientiæ sincere reddita, quum ibi se offerat opportunitas discutiendi cum Superiore dubia, corrigendi falsa, stabiliendi infirma, removendi obstacula, verbo: reddendi planam viam nostram jucundamque. Nonnunquam conqueritur aliquis: „Superiores non recte de me sentiunt," vel: „injuste me tractant." In reddenda ratione conscientiæ offertur opportuna occasio, tali malo si adsit remedium adhibendi, plane et simpliciter coram Superiore totam animam effundendo, ut ipse, rebus intellectis, paterna sua prudentia et charitate indicet nobis, quæ sit animæ nostræ

conditio, quæ sint retinenda, quæ abjicienda, quæ corrigenda, ut sine angore viam nostram prosequamur. Est similiter atque in confessione rite peracta: superabundat mens gaudio spirituali novoque robore firmatur in via sua prosequenda.

3. — Fluit inde firma spes, imo quantum fieri potest in hac mortali vita, inconcussa securitas tenendi rectam viam, qua infallibiliter ad finem nostrum ultimum perveniamus. Etenim si patres olim in eremo degentes, abstracti a contagione mundana, nihilominus gravissimis se expositos sentiebant periculis, in quibus superandis ad præpositos suos confugiebant: quanto magis nos in periculo versamur allidendi ad scopulos tam multos tamque varios. Nunc vero Superior, qui novit nostras difficultates et tentationes, viresque nostras in resistendo majores vel minores, non solum consilio et admonitione juvare nos potest, sed etiam eo modo omnia disponere, mutando locum, officium, occupationem, ut periculis eripiamur et in via divinæ voluntatis exsequendæ tuti incedamus.

4. — Demum, quis non videt, ex hoc instituto totius Societatis bonum pendere, tum internum tum externum. Quod jam supra innuimus: non potest non esse bene totum corpus, si singula ejus membra bene sunt. Addamus autem etiam hoc: salus, efficacia, honor, bona existimatio Societatis quam plurimum pendent ab ejus recta prudentique gubernatione, qua Superiores singula ita disponunt de hominibus, de muneribus, de laboribus, prout major DEI gloria majusque proximorum auxilium postulant. Ad quod præstandum apti redduntur ex intima hac connexione, qua cum subditis utuntur in ratione conscientiæ reddenda.

Nota. — Ex iis, quæ proposuimus, plane elucet, quibus ratio conscientiæ et 579
confessio sacramentalis inter se differant.

a. — Differunt fine, qui est in confessione, ut absolvamur a culpa pœnaque æterna et plus minusve etiam a pœnis temporalibus. — Hic finis utique in ratione conscientiæ obtineri non potest, quæ tota est in eo, ut dirigamur et adjuvemur in vita spirituali.

b. — Differunt materia. Confessionis materia propria et necessaria sunt peccata gravia; in ratione conscientiæ vero extenditur materia non solum quoad peccata, quæ indicanda sunt cum iis, quæ cum ipsis connexa sunt; sed etiam quoad virtutes et opera bona, mortificationes et reliqua, quorum cognitio Superiori necessaria vel utilis est ad nostram directionem.

c. — Etiam quoad modum differunt. Vocamus scilicet confessionem sacramentalem etiam tribunal, in quo fit accusatio et fertur sententia; proin modus ejus est judicialis. In conscientiæ vero ratione reddenda et accipienda est modus paternus et confidentialis, quem ex utraque parte et Superiorum et subditorum Constitutiones volunt teneri.

APPENDIX PRIMA.

De Secreto hac in re servando.

Superiori non licere notitia ex ratione conscientiæ accepta uti pro arbitrio suo, clarum est et ab omnibus facile conceditur atque ab initio etiam concedebatur. Sed non erat idem consensus de eo, quousque tandem Superiori liberum sit, facere usum ejus notitiæ. Difficultas nimirum oritur ex modo, quo ratio conscientiæ reddi potest, vel in confessione vel extra eam. Si fit priori modo, nascitur secretum sigilli sacramentalis; si secundo, secretum naturale, et tale quidem, quale ex natura hujus institutionis ultro gignitur. Unde expedit secundum hunc diversum modum etiam agere de diversa obligatione secreti servandi.

ARTICULUS PRIMUS.

QUANDO CONSCIENTIÆ RATIO IN CONFESSIONE REDDITUR.

580 Si ratio conscientiæ redditur in confessione sacramentali, ex hac confessione etiam oriri sigillum sacramentale, nemo est qui neget aut negaverit unquam. Attamen cum confessio sacramentalis, in qua simul fit redditio rationis conscientiæ juxta normam et præscripta Constitutionum nostrarum, non sit confessio nuda, sed modificata et qualificata per ea, quæ circa rationem conscientiæ regulæ nostræ continent, putabant plerumque primis temporibus, in tali confessione etiam modificari et qualificari obligationem servandi sigillum sacramentale juxta finem rationis conscientiæ, quem confitens simul etiam prosequi intendit.

1. — Distinguebant igitur inter confessionem mere sacramentalem, quæ fit ex fine obtinendæ absolutionis peccatorum, et confessionem, quæ simul fit ex fine rationis conscientiæ reddendæ juxta usum Societatis, qui est ut subditus in via salutis et perfectionis perficiendæ melius dirigatur. Ex hac confessione sic qualificata utique etiam oritur pro confessario, qui est Superior, obligatio servandi sigillum sacramentale; sed hæc obligatio mitior fit ex fine accedente rationis redditæ, qui est, ut melius a Superiore dirigatur. Potest igitur Superior confessarius uti notitia ex confessione acquisita ad subditi gubernationem etiam externam; attamen eo tantum modo, ut præter subditum confitentem nemo prorsus alius ne minimum quidem suspicari possit, hæc vel illa ordinari a Superiore juxta ea, quæ a subdito confitente

sibi sacramentaliter manifestata sint, cum quoad ceteros omnes obligatio et jus sigilli sacramentalis in suo rigore maneant, non aliter atque in quavis alia confessione.

In hac sententia explicanda et tenenda sic argumentabantur: Ingredienti Societatem statim explicatur, quæ in Societate viget lex reddendæ rationis conscientiæ, juxta omnia, quæ in regulis nostris de hac re continentur. Quum tamen non obstante hoc onere, Societati libere se associet, cum obligatione servandi ejus regulas et præcepta, nascitur inter ipsum et Superiorem hoc pactum implicitum, ut hic, si subditus dicto modo et sponte sua ipsi confitetur simul reddens rationem conscientiæ, possit uti notitia accepta juxta finem intentum ad ejus directionem et gubernationem, salvo tamen sigillo sacramentali quoad omnes alios et quoad materiam sigilli sacramentalis propriam. Defendebant hanc sententiam contra objectiones factas sic:

a. — Nimirum Clemens VIII. in celeberrima ista Constitutione 26 Maji 1593 mandavit: „tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem utantur." Ord. c. 5. §. 6. — Ad salvandam suam sententiam, stante tamen hoc mandato, recurrebant ad distinctionem jam explicatam de confessione nuda et confessione qualificata per redditam rationem conscientiæ. Sic Resp. Claudii Germ. 1606: „Ordinatione sua Clemens VIII. nedum ageret de tollenda nostra Constitutione circa secretum servandum, prout ipse Pontifex nobis diserte testatus est, nihil circa Institutum et Ordinationes nostras immutare voluit. Quare integra manent quæ de ratione conscientia nostræ regulæ præscribunt." — Et Resp. Tolos, 1609: „decretum Clementis VIII. prohibens usum notitiæ habitæ per confessionem, nihil officit redditioni conscientiæ rationis. Loquitur enim Pontifex de confessione sacramentali nuda, qua pœnitens solum intendit consequi veniam peccatorum, cujus usum etiam Societas prohibet. Si tamen eidem confessioni addatur explicatio conscientiæ facta a subdito in eum finem, ut ipse eo melius dirigatur et gubernetur, potest Superior notitia illa per talem confessionem acquisita uti in eundem finem, salvo tamen semper sigillo secreti; quæ constant aperte ex Examine, quod in ingressu omnibus proponitur."

Et Vinc. Carrafa Prov. Germ. 2 Jan. 1646: „de notitia hausta ex ratione conscientiæ sub sigillo confessionis reddita censuerunt Patres Deputati in Congregatione octava, satisfactum dubitationi a Patre Claudio et Patre Mutio, qui ambo judicarunt, posse Superiorem uti

notitia ad gubernationem subditi, sine violatione sigilli, quando in confessione redditur ratio conscientiæ. Talis enim actio non est nuda confessio, verum est conjuncta cum manifestatione conscientiæ, cujus finis est juxta regulam gubernatio paterna subditi, salvo quoad alios sigillo. Ita responderunt P. Claudius, 1606 Germaniæ et 1609 Provinciali Tolosanæ; P. Mutius 17 Oct. 1620 provinciæ Gallobelgicæ, et alias; quibus et ego assentior."

b. — Alia difficultas ex eadem Constitutione Clementis VIII. in Ord. Gen. c. 5. §. 4: „non liceat Superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint." — Ad quæ P. Claudius in eodem Resp. Germ. 1606: „nec fit contra decretum ejusdem Clementis VIII. quo vetat compelli, ut Superiori confiteantur, quando alicui offertur, ut reddat rationem conscientiæ sub sigillo confessionis. Nam aliud est sacramentaliter confiteri, aliud conscientiam ad finem Societatis Superiori aperire sub eodem sigillo; quod cum liberum sit subdito, si velit vel in confessione vel extra aperire, ad majorem tamen ipsius libertatem et consolationem proponitur illa ratio sigilli."

c. — Et quomodo intelligatur hoc sigillum, edicit Claudius Rectori Dilling. 25 Junii 1598: „qui rationem conscientiæ accipit sub sigillo confessionis, sigillum hoc apud alios servare debet integrum et cavere, ne hac notitia in subditi gubernatione sic utatur, ut alii causas, quæ alioqui occultæ sunt, intelligant. In quo longe minor est Superioris libertas, quam quum ei libere aperitur sine secreto, vel sub secreto naturali tantum."

Mutius 27 Aprilis 1620: „reddens sic rationem conscientiæ in confessione vel expresse dicit, nolle se, ut Superior illa notitia utatur ad sui gubernationem, tunc uti non potest; sed talis non satisfacit regulæ de reddenda ratione conscientiæ, quæ requirit, propterea dari rationem conscientiæ, ut ex ea notitia Superior juvetur in gubernatione. Vel expresse dicit, se velle ut Superior illa notitia utatur, et res clara est. Vel demum nihil tale dicit, in neutram partem; et quidem tunc supponi potest, eum velle satisfacere regulæ, maxime si id faciat tempore renovationis votorum, vel quo alias ratio conscientiæ a subditis dari solet; adeoque implicite velle, ut Superior in eum finem utatur notitia illa, in quem manifestatio instituta est. Atque ita convenerunt Patres in Congregatione octava deputati ad hanc rem examinandam. Securius tamen est, quando subditus ita constitutus est, prout in tertio membro dictum, ab illo diserte petatur, an desideret,

Superiorem ea notitia uti ad ejus bonum, prout regula de redditione rationis conscientiæ exigit, salvo semper sigillo."

Vinc. Carrafa Germ. 1646. — Franc. 1649: „quando redditur ratio conscientiæ in confessione sacramentali, ut satisfaciat regulæ, potest Superior uti ea notitia ad paternam gubernationem subditi; nisi subditus id expresse prohibeat, quia tunc non potest. Sed nec tunc subditus satisfacit regulæ."

Hæc sententia de usu licito notitiæ acceptæ in confessione, quam vocabant qualificatam, tunc temporis gravissimis theologis probabatur; attamen omnino rejicienda apparet ex iis quæ mox dicentur.

2. — Nimirum si ratio conscientiæ redditur in confessione sacramen- 581
tali, hæc confessio perinde est ac quævis alia, quam olim vocabant nudam: imponit confessario, qui est Superior simul, eandem omnino sacramentalis sigilli servandi obligationem perinde ac quævis alia. Sunt igitur objectum secreti hujus servandi non solum peccata et quæ ad ea explicanda inserviunt, sed omnia, quæ manifestata, materiæ sigilli manifestationem secum trahunt, aut confessionem odiosam reddunt. Hæc obligatio strictissima servandi secretum sigilli sacramentalis cum sit ex lege divina naturali, non potest mitigari vel mutari per ullam supervenientem legem humanam, nec per ulla statuta sive regulas et constitutiones religionum. Unde elucet, istam distinctionem inter confessionem nudam et confessionem qualificatam omni solido fundamento carere neque ullam hujus obligationis mutationem vel mitigationem inducere posse.

a. — Et revera ipsi quoque defensores migitatæ illius servandi secreti sacramentalis obligationis, alias omnino severe defendunt strictam interpretationem sigilli sacrementalis. Sic idem P. Claudius urget eam severissime in Ord. c. 2. §. 14. et Instr. 5: „tametsi non desunt Doctores, qui sentiant, salvo sacramentalis confessionis sigillo, justis de causis licere nonnunquam confessario (cum id fieri potest sine ulla revelatæ confessionis suspicione) uti extra confessionem notitia per confessionem habita, tamen, quoniam hæc doctrina et eam exigit in tanta re circumspectionem, quam servare perdifficile sit, et interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam hujus fori sanctitas et nostræ Societatis Institutum requirunt in se ipsis rebusque suis confessario aperiendis, idcirco visum nobis est in Domino, statuere, sicut et severe statuimus, pro reverentia, qua semper Societas nostra coluit hujus sacramenti inviolabile sigillum et libertatem, ut omnes Superiores diligenter caveant, ne vel ipsi vel Nostrorum aliquis supradictam doctri-

nam usquam introducant nec illam publice aut privatim doceant, nec ea utantur ullo modo, nisi forte de pœnitentis licentia; sed ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant confessarii, ac si in confessione nihil penitus audivissent; sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere."

b. — Accedunt Pontificum Decreta, quæ nullam in hac re dubitationem relinquunt. — Quod jam supra dictum est, Clemens VIII. 26 Maji 1593: „tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur." — Et sententia damnata ab Innocentio XI. 18 Nov. 1682: „scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur." — Ergo non licet uti confessionis notitia cum ullo gravamine pœnitentis, etsi ex non usu malum longe majus, imo maximum sequatur; neque, ut expresse addit S. Inquisitio, ulla proprie revelatio requiritur, ut notitiæ confessionis usus illicitus evadat. Clarum igitur ex his est, Pontifices illam distinctionem inter confessionem nudam et confessionem qualificatam prorsus ignorasse, eandemque prorsus ex qualibet confessione sacramentali obligationem servandi sigilli oriri statuisse.

c. — Tandem P. Joannes Paulus Oliva, Præpositus Generalis, rem tamdiu agitatam definitive composuit in epistola encyclica (in Sel. Epist.): „ignotum nemini esse arbitror," 9 Febr. 1669, et in Resp. Germ. 25 Jan. 1676. — Cujus epistolæ encyclicæ verba hæc sunt: „quando subditi Superioribus suis animam suam aperiunt... sub sigillo confessionis..., tunc perinde ac ex alia qualibet confessione sacramentali, nullus acceptarum notitiarum usus esse potest, nisi quem sponte ac diserte permiserint iidem, qui illas attulerint (1). Verum etiam volumus, ut quæcunque alia Superiores a manifestante se in ratione conscientiæ acceperint, nullo modo revelare cuique valeant, ita ut nec Rectores Provincialibus, nec Provinciales aut Visitatores ipsi Generali, vel rem minimam in foro paterno acceptam manifestare licite possint."

Hæ litteræ encyclicæ occasionem dederunt Congregationi Provinciali Germ. 1675 mittendi Romam Postulatum quod sequitur: „cum hactenus

---

1. »Quam ego quoque tueor sententiam; eamque ab omnibus retinendam esse declaro. Congruit enim cum solida doctrina et recentioribus decretis, quæ de sacro confessionis sigillo novimus esse statuta.« — P. Anderledy, 8 Maji 1889.

communis fuerit persuasio, rationem conscientiæ ad gubernationem externam plurimum debere prodesse; nunc autem post Epistolam R. P. Nostri, 9 Febr. 1669 datam, videatur eadem ratio nihil vel admodum parum ad propositum finem conducere, indeque plurimorum animi perturbentur, tum subditorum, tum Superiorum quandoque, supplicat Congregatio Paternitati Vestræ, ut declarare dignetur, quomodo ejus Epistolæ verba sint accipienda."

Ad quæ fuit Resp. 25 Jan. 1676: „quod meis illis litteris, anno 1669 Febr. 9 datis, præscripsi de servanda secreti fide, adeo clarum minimeque ambiguum videtur, ut non tam ejus declarationem quam laxationem aliquam a me peti putem. Ego autem illam obligationem secreti, neque si vellem, laxare posse videor; quippe quæ non a me primum Superioribus imposita, sed exposita tantum sit. Ipsa enim rei natura hoc, ni fallor, postulat, ut quæ quis sua sponte Superiori tanquam parenti de se prodit, intima conscientiæ arcana evolvens, ea porro Superior nulli alteri, ne Superiori quidem revelet, sed apud se penitus recondita servet, haud secus, ac si quis privato cuiquam, petendi consilii causa, suam aliquam noxam aperiat, non debet is eam deferre ad Superiorem. — „Atqui hac ratione, inquiunt, parum aut nihil prodest revelatio ad exteriorem gubernationem." — Primum respondeo, manifestationem conscientiæ non esse institutam ad usum exterioris gubernationis, ut vel ex eo patet, quod Sanctus Parens Noster integrum cuique voluerit, conscientiæ suæ rationem reddere, quocunque pacto vellet, etiam in confessione, atque adeo sub sigillo, quod confessioni sacræ conjunctum est. Nimirum conscientiæ manifestatio, quamvis exteriori gubernationi nihil omnino inserviret, multas nihilominus utilitates habet, quæ prædicantur ab omnibus spiritualium rerum expertis. Ut itaque utilitates istæ certius obtineantur, omni alteri commodo, quod ad exteriorem gubernationem promanare posset, facile renuntiandum. Quippe si arcana ista notitia, contra quam secreti ratio postulat, ad exteriorem gubernationem abutamur, neque ista sane utilitas constare sibi poterit, et illa simul interibit, quæ alioqui sat magna proveniret: absterrebuntur enim subditi a retegendis animi sui secretis, si norint, ea porro aliis propalanda. — Nego tamen, hac secreti lege constituta, nullam prorsus utilitatem ad exterioris gubernationis rationes derivari posse. Nam quamvis non liceat Superiori ea cuiquam manifestare, quæ subditi de se produnt, cum conscientiæ rationem reddunt, si tamen eam extra confessionem reddant ac citra sigillum, quale confessariis imponitur, poterit Superior etiam exteriora quædam remedia curandis eorum morbis ac prævertendis, quæ forsitan immineant, malis adhibere. Poterit

quoque Superior, ubi res postulaverit, inducere subditum, ut quidpiam eorum, quæ in confessione revelaverit, extra confessionem patefaciat; vel certe ut patiatur, Superiorem ea notitia uti ad exteriorem aliquam ipsius gubernationem, quin tamen hujus rei ratio ulli plane hominum a Superiore unquam aperiatur. Hoc igitur est commodum, quod ex manifestatione conscientiæ ad exteriorem gubernationem promanare potest. Quodsi ad alios præterea usus eam trahi posse Superiorum aliqui existimaverint, næ illi procul aberrarent a scopo; atque vel hinc patet, quam necessarium fuerit, ut discretis id verbis vetarem, quod reipsa vetitum semper fuit."

Nota 1. — Vides, Patrem Paulum Olivam utramque quæstionem simul tractare, nimirum de secreto servando, quando subditus reddit rationem conscientiæ in confessione sacramentali et quando extra eam. Quæ de hac ultima re profert, referenda sunt potius ad articulum sequentem; ne tamen præclari hujus Responsi quasi divisio fiat, totum textum simul posuimus; eo magis, quum hi duo casus inter se illustrent.

Nota 2. — De Encyclicis Patris Olivæ habet C. 23. D. 34: »Congregatio declaravit, in Epistola Patris Olivæ non contineri proprie dictum præceptum in virtute sanctæ obedientiæ (dixerat: districte injungimus gravissimeque præscribimus, de secreto servando in iis, quæ in accipienda ratione conscientiæ quivis audierit), quod sit tacite abolitum, eo quod in authentico elencho præceptorum nostrorum non contineatur; sed gravissimam esse Ordinationem nullatenus abolitam; ideoque epistolam, ubi mos est, publice legi posse.«

582 3. — Quando autem subditus, reddens Superiori rationem conscientiæ in confessione sacramentali huic licentiam dat utendi rebus sic auditis etiam extra confessionem, tunc patet, obligationem sigilli sacramentalis cessare Superioremque posse rerum auditarum etiam externum usum facere; attamen talem tantum, qualem subditus confitens libere concedit. Hoc sequitur ex principiis moralibus, quæ de servando sigillo statuuntur; et P. Thyrsus Gonzalez idem rescribit Œttingam Veterem, 27 Julii 1697: „id quod Pater Mutius toties existimavit, ego etiam atque etiam commendavi, ne quis ea notitia, quam ex ratione conscientiæ in confessione reddita accepit, unquam utatur, nisi a reddente rationem expresse petierit, optetne, Superiorem, salvo sigillo, ea uti notitia in suum bonum, quemadmodum regula de ratione conscientiæ reddenda requirit; isque libens suum dederit consensum." — Qua in re, ne quid minus recte fiat, hæc tenenda sunt:

a. — Caveat Superior, qui rationam conscientiæ in confessione sacramentali excipit, ne nimis urgeat confitentem ad dandum sibi liberum usum eorum, quæ in confessione manifestavit. Clarum enim

est, subditum ea de causa plerumque hunc modum reddendæ rationis in confessione elegisse, ut fruatur emolumento sigilli sacramentalis; quo ut se ultro ipse privet, non tam facile supponendus est. Quare etiam Thyrsus Gonzalez dicit: „nisi *libens* suum dederit consensum." Idem est atque in confessario, qui confitentem sibi casum reservatum ad Superiorem pro absolutione obtinenda remittendum putat; de quo habet Ord. c. 6. §. 9: „non prætermittat... illum hortari, ut Superiorem adeat. Quodsi suaviter obtinere nequeat, non erit tandem pœnitens nimis urgendus."

b. — Fieri etiam potest, quod in qualibet alia confessione; scilicet ut confitens in conscientia teneatur permittere confessario Superiori liberum usum eorum, quæ cum eo in cofessione communicavit; si id necessarium sit ad reparandum vel avertendum grave damnum, sive temporale sive spirituale, a communitate aut a particulari persona. Quodsi renueret tunc hanc concessionem, Superior confessarius posset, imo deberet ei absolutionem denegare. Hoc satis expresse dicitur in verbis Ord. c. 6. §. 9: „nisi alioqui casus esset ex iis, in quibus teneretur pœnitens rem manifestare et alioqui non esset capax absolutionis." Videat tunc subditus ipse, quomodo se expediat ex hoc statu malo, dum agitur de salute animæ perdenda.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUANDO REDDITUR CONSCIENTIÆ RATIO EXTRA CONFESSIONEM.

Plerumque redditur ratio conscientiæ extra confessionem sacramen- 583
talem, per simplicem conversationem subditi cum Superiore. Quod si fit, per se constat, non oriri obligationem sigilli sacramentalis, etsi expresse pronuntiet subditus, se velle omnia concludere „sub sigillo," cum ipsi non sit potestas inducendi sigillum sacramentale extra confessionem, nisi ipsius cum confessario communicatio sit jam quasi inchoata confessio. Attamen oritur secretum naturale quod vocant, et quidem strictissimum quod esse potest, quum natura hujus communicationis subditi ad Superiorem tale secretum requirat. Cujus rei Suarez dat has rationes, l. 10. c. 6. §. 12:

a) „quia hoc est moraliter necessarium, ut hoc onus seu medium tolerabile et rationale sit."

b) „deinde quia hoc exigit ratio charitatis et justitiæ, et quia hæc est intentio ejus, qui suam conscientiam aperit; et est justa, quia non vult se infamare, sed solum necessitati suæ spirituali providere, quod merito potest facere et debet."

c) „in Ordinationibus toti Societati communibus atque ex auctoritate VII. Congregationis contractis c 1. §. 17. magna exaggeratione dictum secretum commendatur; ac Superior illud fortasse violans severe puniendus etiam officii depositione, si opus fuerit, pronuntiatur. Et confirmatur a fortiore ex cap. 15. earundem Ordinationum parte secunda, ubi Superiori stricte jubetur secretum servare in defectibus ab altero fraterne delatis, nedum in iis, quos de se ipso quis manifestat."

Secretum vero naturale strictissimum illud est, quod vocatur mixtum, nempe ex secreto commisso et promisso; quod fortius etiam evadit, quum quis, quod in reddenda ratione conscientiæ obtinet, obligatur, rem secretam committere personæ, non libere a se electæ, sed per regulam sibi determinatæ, quæ vicissim tenetur, committenti promittere secretum. Leges autem hujus generis secreti debent esse strictiores etiam, quam secreti commissi, quod vocant rigorosum, in quo libere eligeretur medicus spiritualis aut theologus consulendus.

ARTICULUS TERTIUS.

APPLICANTUR PRINCIPIA AD CASUS.

584 Positis igitur principiis his de servando secreto in reddita ratione conscientiæ extra cenfessionem sacramentalem, si hæc principia conjungantur cum fine rationis hujus reddendæ, quem intendit Societas, juvat nonnulla in particulari disserere, in quantum Superiores notitia ita acquisita possint uti ad ejus gubernationem. Incipiamus ab iis, quæ profert de hac re Suarez, l. 10. c. 6. §§. 12. et 13.

1. — „Nihil impedit, quominus liceat Superiori loqui postea cum subdito de rebus sub tali secreto commissis et illum secreto reprehendere, si necesse sit, vel monere suæ fragilitatis, ut talem occasionem vitet vel talem occupationem non appetat vel procuret; et similia."

2. — „Potest ex illa notitia operari, gerendo erga subditum illum providentiæ modum, qui saluti ejus spirituali vel magis necessarius vel utilior sit, etiamsi ipsi subdito sit involuntarius, quia irrationabiliter resistit. Solum cavere debet, ne illum infamet aut malam suspicionem de illo generet; quia hoc de se repugnat justitiæ et solet aliis scandalum parere et subditos reddere difficiliores et timidiores in hujusmodi ratione suæ conscientiæ reddenda... Quando vero non ob necessitatem, sed ob majorem utilitatem et perfectionem hoc fit, majore circum-

spectione opus est, et regulariter non videtur faciendum sine subditi consensu, quia in his rebus raro est utilius, quod est involuntarium."

3. — „Potest Superior uti hac notitia ad convenienter gubernandum subditum in ordine ad bonum commune totius religionis, tum quia naturale secretum non obligat cum dispendio boni communis, tum etiam, quia ex ipsa regula constat ad hunc finem hoc medium ordinari [„ut melius omnibus in Domino prospiciatur." Ex. c. 4. §. 36.] — Nec refert, quod subditus sic aliquando admovendus sit ad locum vel ministerium minus gratum; hoc enim, si bono religionis expediat, non debet tanquam nocumentum subditi reputari, cum nulla inde sequatur infamia neque aliud simile incommodum, quod cedere non debeat bono communi.

4. — „Cavendum est autem, ne ratione hujus notitiæ aliquid fiat in vindictam seu punitionem delicti, quando illud est occultum et solum per hanc viam Superiori ab ipsomet delinquente manifestetur. Quamvis enim tunc possit Superior secretam etiam pœnitentiam imponere, quæ magis sit in medicinam quam in vindictam, tamen publice punire delictum nec debet nec moraliter potest, quia est contra debitum ordinem, ut per se constat."

Nota. — Hactenus Suarez; vides, nonnulla eorum quæ profert, post encyclicas Patris Olivæ rem definientis indigere explicatione quadam conformi hujus Generalis definitionibus, ut recte intelligantur. Et magis etiam recurrendum est ad litteras R P. Anderledy, sequenti nº 5. descriptas.

5. — Exstant enim litteræ R. P. Anderledy, 8 Maji 1889, quibus 585
res valde illustratur: „tertia interrogatio fuit [ex postulato C. 23. D. 47.], num Superiori iis, quæ ex conscientiæ ratione extra confessionem cognovit, uti liceat, si, qui animum ei aperuit expresse non consenserit, vel consentire recusaverit."

„Huic quæstioni responsurus, neminem non compertum habere pono, propterea conscientiæ rationem a S. P. Ignatio esse præscriptam, ut hoc subsidio et filii Societatis melius ac securius in via salutis perfectionisque dirigi, et bonum commune Societatis conservari ac promoveri possit. Omnes pariter norunt, quam sancte secretum rationis conscientiæ etiam extra confessionem editæ a Superiore servari debeat. Declaravit enim C. 12. D. 15., illud adeo religiose servandum esse, ut non liceat Superiori, cui reddita ratio conscientiæ fuerit, quidquam eorum, quæ illi de se ipso quis manifestat, ulli omnino, nec Generali nec Provinciali,

unquam revelare, vel etiam innuere, nisi forte illo eodem, qui conscientiam suam manifestavit expresse consentiente."

„Quare, si de usu notitiæ quæritur, quæ ex conscientiæ ratione extra confessionem est accepta, nonnisi usus ille intelligitur, qui servato secreto, a solo fiat Superiore, qui excepit conscientiæ rationem, et tantum ad eum finem, quem spectabat S. P. Ignatius." — „Ex his responsum ad utramque quæstionis partem efficitur:"

a. — „Potest Superior, audita conscientiæ ratione, cum eo qui illam reddidit, de rebus ita sibi commissis loqui; potest v. g. eum monere et excitare, ut fragilitatis suæ memor sibi caveat, occasiones vitet, occupationes noxias ne appetat, ut orationem et conjunctionem cum DEO foveat et augeat."

b. — „Licet etiam Superiori per se, si expressus consensus neque datus neque negatus sit, cum eo, qui aperuit animum, eum providentiæ modum tenere, qui sive saluti et perfectioni ejus, sive bono communi Societatis vel necessarius vel utilior fuerit, veluti destinare illi hunc potius quam illum laborem, hunc potius, quam illum locum."

„Dixi, hunc usum *per se* esse licitum. Curandum enim est, ut salvum et incolume semper sit secretum, salvus honor et fama illius, qui patefecit conscientiam, et ut quieti animi et paci illius consulatur. Quodsi fiat, offensioni locus esse non poterit. Quum enim non ignoret, S. P. Ignatium conscientiæ rationem præscribendo hunc ejusdem usum spectasse, consensum, licet taceat, satis præstare censetur."

„Quamvis autem hic usus per se sit licitus, tamen ubi a ratione et doctrina ad vitam ipsam et ad res gerendas transitur, nonnunquam prudentia suadebit, ut Superior aperte consensum petat. Ita enim suavius et efficacius, quod opus est, Superior consequitur."

c. — „Si autem negatur consensus — quidquid sit de quæstione, sitne per se licitus ille usus, necne — Superior ab ejusmodi usu se abstineat, si tantum major subjecti vel Societatis utilitas agitur: in his rebus, ait Suaresius (l. 10. c. 6, n. 12), raro est utilius, quod est involuntarium."

„Quam vero non major utilitas, sed necessitas agitur velut proxima occasio gravis peccati removenda, vel grave scandalum tollendum, tum agendi normam satis edocent theologiæ moralis principia." — Hactenus P. Anderledy.

586 6. — Nec potest subditus ob delictum occultum, Superiori ex sola conscientiæ ratione notum, ab emittendis ultimis votis prohiberi, si rescripto Romano jam destinatus est ad suscipiendum gradum; neque

a suscipiendis sacris ordinibus, si condiscipuli ejus admittuntur. Hoc eruitur ex Ord. c. 1. §. 17, et Instr. 11. §. 1., ubi habetur: hac notitia ita utendum, ut subditorum animi nequaquam offendantur.,. suspicenturque, se ob eam rem aut notam aut periculum adituros. — Exceptionem statuit Resp. P[i] Lancicio, 1640: nisi forte talis delatio, peculiari aliquo casu, necessaria foret ad præcavenda graviora peccata seu scandala seu infamiam Societatis. Tunc enim subditus teneretur in eam consentire aut eam etiam petere.

Resp. eidem Lancicio: „hinc ob occultum aliquod peccatum, sed in sola secreta manifestatione conscientiæ a se detectum, non potest, eo invito, promotio ad gradum ex urbe jam concessa, seu ad ordines sacros differri, quando alii æque vel minus antiqui ad gradum, vel ejus condiscipuli ad ordines promoventur, et non apparet in foro externo aliquid aliud, ob quod videri possit illa dilatio merito facta juxta Ord. c. 1. §. 16. et Instr. 11. §. 1."

7. — Similiter nec dimitti e Societate potest quis propter delictum 587
ex sola ratione conscientiæ cognitum. — Resp. Claudii Lusitan. 1584: „quum autem agitur de dimissione alicujus, nullo modo utendum est notitia eorum, quæ Superior cognovit in ratione conscientiæ, vel Præfectus spiritualis, aut Consultor per medium petiti consilii." — Resp. Flandr. 17 Nov. 1618: „non potest quis ob delictum in sola ratione conscientiæ a reo ipso Superiori manifestatum dimitti e Societate, ut pluribus explicatum in Ordin. „de fictis" 6 Aug. 1595. — Factum Petri et Samuelis meretur utriusque dimissionem, si aliunde accepta fuisset illius notitia. Nunc vero non potest Petrus dimitti nec puniri ob id, quod ex sola ipsius manifestatione propria cognoscitur. Nec etiam Samuel potest dimitti ob solam denuntiationem paternam a Petro factam. — Videtur autem Petrus merito queri de Rectore suo, qui revera non servavit Dec. 33. Cg. 6.; et multo magis, quum simul esset confessarius Petri. Moneat illum R[a] V[a] serio et jubeat legere citatum Decretum vel Ordinationem Generalium cap. 15. partis 2.; et doceat præterea, nullo modo deferenda esse ad Superiorem mediatum in ordine ad dimissionem, quæ quis in reddenda ratione conscientiæ de seipso detexit, etiam extra confessionem."

8. — Nec licet Superiori immediato communicare quidquam cum 588
Superiore mediato ex iis, quæ in ratione conscientiæ sibi reddita recepit. Pater Claudius quidem aliter sentiebat, unde Responsa quædam ab eo missa explicantur; causa fortasse ea erat, quod etiam Superior

mediatus jus habet vocandi subditum, ut reddat sibi rationem sibique aperiat, quæ in ea aperiendo sunt. — Attamen habetur jam accuratum Resp. P[is] Piccolomini, 19 Nov. 1650: „aliud est usus notitiæ ad directionem spiritualem subditi salvo sigillo sacramentali; aliud communicatio ejusdem notitæ cum Superiore mediato. Hoc secundum specialem habet difficultatem, ideoque præsumendum non est, reddentem in confessione rationem conscientiæ consentire in illud, nisi explicite id declararet. Quare si aliter eximi periculo pœnitens non potest, tenebitur se manifestare Superiori mediato, vel per se vel per alium; alioqui absolutionis non erit capax, juxta ea, quæ habentur cap. 6. Ord. Gen. de reservatione §§. 2. et 9. — P. Mutius 7 Sept. 1619." — In hoc responso explicite agitur de casu, quo ratio in confessione sacramentali redditur. Generaliter de quavis redditione loquitur Paulus Oliva, 9 Febr. 1699: „volumus ut quævis Superiores a manifestante se in ratione conscientiæ acceperint, nullo modo revelare cuiquam queant; ita ut nec Rectores Provincialibus, nec Provinciales aut Visitatores ipsi Generali, vel minimam rem foro paterno acceptam manifestatre licite possint." — Quæ eadem tunc statuta sunt a C. 12. D. 15: „cum propositum esset, quo secreti vinculo tenerentur Superiores ad ea, quæ subditi in reddenda ratione conscientiæ ipsis aperuerint, censuit et declaravit Congregatio: secretum adeo religiose servandum esse, ut non liceat Superiori, cui reddita ratio conscientiæ fuerit, quidquam eorum, quæ illi de se ipso quis manifestat, ulli omnino nec Generali nec Provinciali, unquam revelare vel etiam innuere, nisi forte illo eodem, qui conscientiam suam manifestavit, expresse consentiente."

589 *Nota.* — Eadem Congregatio 12. non solis Superioribus hanc strictam servandi secreti legem imposuit; nam in ejusdem Congregationis Actione 29. hæc habentur: »declarat Congregatio, a Superioribus (*multo magis a Præfectis rerum spiritualium*), quibus quis conscientiam suam aperuerit pro more Societatis, adeo exacte sancteque servandum secretum, ut nemini, ne Provinciali, aut Generali innuere liceat aut revelare, etc., etc.« — Inde est, quod Patres spirituales et Confessarii vetantur adhiberi ad informationes faciendas; ut clare omnibus constet, posse etiam intima sua Patribus spiritualibus pandere, quin timendum sit, ne eorum quid ad externam gubernationem adhibeatur.

590 9. — De modo accipiendæ rationis conscientiæ tenendo juvat addere quædam ex litteris P. Mutii ad P. Lancicium, 11 Jan. 1631: „hisce respondebo ad dubitationes a R. V. propositas circa modum exigendi rationem conscientiæ:

„Primo quærebat: an Superior, si semel accepit ab aliquo rationem conscientiæ, præsertim a persona magnæ virtutis et auctoritatis, ut sunt

Professi antiqui et qui cum laude gubernarunt et similes, possit annis sequentibus non exigere ab illo ita exactam, uti exigi solet ac debet a minoribus. — Respondeo: Superiorem non solum posse a talibus non ita plenam ac distinctam rationem conscientiæ exigere, sed etiam non debere, nisi ratio aliqua extraordinaria, quod raro solet, intercurrerit, quæ accuratiorem rationem conscientiæ a talibus exigendam urgeat."

„Secundo quærebat: an Superior, dum habet plenam subditorum suorum notitiam, posset ordinare, ut quisque rationem conscientiæ reddat confessario aut patri spirituali. — Respondeo: etsi regula 40. Summ. Constit. insinuat, Superiorem posse aliquando alteri exactionem rationis conscientiæ committere, tamen non convenire, ut id faciat nisi magna causa urgente; cum exactio rationis conscientiæ in Societate unum sit ex præcipuis et maxime propriis Superiorum officiis, quod proinde ipsi non facile alteri committere debent."

„Tertio quærebat: an Superior officio suo satisfaciat, si post acceptam semel ab aliquo accuratam rationem conscientiæ, aliis deinceps annis a provectioribus ætate et virtute Patribus aliud non petat, quam ut: „si post redditam ultimo rationem aliquid habeat ad conscientiæ suæ manifestationem, quod Superiorem scire conveniat, illud dicat." — Respondeo, Superiorem videri tali modo officio suo satisfacere, neque ad exactiorem quæstionem obligari."

„Quarto quærebat: an Superior a Patribus magnæ auctoritatis, et quorum virtus multis annis in variis officiis explorata sit, possit ne quidem primo anno suæ gubernationis plenam et accuratam, qualis ab aliis exigi debet, rationem conscientiæ exigere, sed aliud ab iis non postulare, quam ut dicant, si quid habeant, quod ad manifestationem suæ conscientiæ Superiorem scire cupiunt. — Respondeo, posse etiam primo anno Superiorem a talibus Patribus non exigere et plerumque convenire, ut amplius ab iis non requirat; præsertim cum tales sponte sua sese liberalius plerumque Superiori manifestare soleant, quam subinde alii, a quibus plenior conscientiæ ratio exigitur." — Lancicii opusc. cap. 12. tom. 2.

APPENDIX SECUNDA.

Refutantur objectiones contra Rationem conscientiæ.

1. — Dicunt, esse rem quam maxime homini arduam et ingratam, 591
etiam intima cordis revelare alteri homini et ei sæpe, cui naturaliter ipse aversus sit.

a. — Non negamus rem esse in se non gratam, sed a qua homo naturaliter abhorret; attamen cum statim ab initio tota res ingredi volentibus explicetur, cui perficiendæ et ferendæ ipsi subjecti maneant, si nobiscum vivere velint, manendo nobiscum ipso facto consentiunt in hoc onus ferendum, si onus sit; et nemo conqueri potest de onere sibi invito imposito, quod matura deliberatione ipse sibi elegit et imposuit.

b. — Sed demus, esse obligationem revera gravem, ad quam implendam forti animo opus sit; nonne plurima alia occurrunt fortasse magis etiam gravia, si quis, relictis mundi deliciis, totum se DEO, dedicat? Imo propterea reliquimus mundum ejusque vanitates, ut in ardua via abnegationis altiorem acquirendæ perfectionis tramitem prosequamur, in eoque illud centuplum nobis arripiamus, quod promissum est iis, qui relicto mundo Dominum sequuntur.

2. — Pergunt objiciendo: non deerunt, qui utuntur hac rationis reddendæ occasione, non ad informandum Superiorem, sed potius ad eum decipiendum, dum celant defectus suos, vel negant et excusant. Et ita fit, ut non solum non sequatur bonum hujus rei institutæ, imo gravissimum ipsius subditi malum, quippe qui peccet non leviter plerumque, vel dissimulando vel negando.

a. — Utique hoc commune est omnibus bonis institutis et legibus, ut homo pro fragilitate vel malitia sua iis abutatur in suam perniciem, quibus uti debeat in suum commodum. Nonne ipsa Ecclesiæ sacramenta, quæ ordinata sunt divinitus ad conferendam augendamque hominibus gratiam, multis sunt in mortem et damnationem æternam, non quia data sunt hominibus, sed quia per malitiam homines iis abutuntur? Num quis inde concludet, mala esse et abjicienda ipsa Ecclesiæ sacramenta?

b. — Periculum, ne Superior a malevolo subdito in errorem inducatur, eo minus est, quod Superior, qui accipit rationem conscientiæ, non est prohibitus quærere etiam aliunde informationem de rebus sibi propositus. In quam rem habet Suarez l. 10. c. 6. §. 19: „debet prælatus fidem adhibere subdito suæ conscientiæ rationem reddenti, dum aliud sibi non constiterit. Per hoc tamen non tollitur, quin prudenter omnia observet et dicta illius cum factis.... conferat; ita enim vix fieri potest, ut in re magni momenti decipiatur."

c. — Demum fidendum est divinæ Providentiæ circa Societatis bonum et salutem. Etsi sint fortasse Societatis Socii, qui optima hac institutione abutantur in suum Societatisque detrimentum, transeat. Jure

merito supponere possumus, fore ut DEUS, cujus Spiritu afflante Societas nata est, subsistit et crescit, eodem favore eam continuo prosequatur, avertendo ab ea pericula, promovendo bona.

3. — Hoc etiam queruntur, quod, quum Superiores juxta Constitutiones sæpe mutentur, aliis succedentibus, subditi rationem conscientiæ reddentes variis Superioribus, post non multum temporis plurimis provinciæ Patribus iisque gravioribus noti sunt quoad omnes suos defectus, cum detrimento suæ famæ suique boni nominis.

a. — Negamus, subditis malam notam inuri apud Superiores, quibus se manifestant; contra quia simpliciter et sincere sua intima pandunt, non potest non fieri, ut Superiorum animi ipsis inclinentur cum majori fiducia majorique amore. Sciunt enim Superiores, omnes nos esse, ipsis non exceptis, homines fragiles defectibusque plenos: eosque inter nos esse meliores, qui humiliter et devote suas culpas confiteantur.

b. — Potest etiam ei qui diffamationem ex reddita conscientiæ ratione timet, responderi: „ex ore tuo te judico." Si times, ne ex iis, quæ manifestanda sunt Superiori, diffameris, cures, ne talia a te manifestanda sint: diligenter caveas a peccatis et defectibus, ita ut coram Superiore appareas religiosus bonus, qui perfectionis acquirendæ uti par est, diligentiam habet.

4. — Gravior difficultas in eo est, quod Congr. Episc. et Regul. a pluribus jam annis huic institutioni de reddenda conscientiæ ratione Superioribus, revera non favet, imo pluries eam in novis religionibus inducendam vetuit. Verba Congregationis hæc sunt: „ob abusus, qui irrepserunt, in præsens Sacra Congregatio minime solet approbare aperitionem conscientiæ Superiorissæ; sed tantum permittitur, ut sorores, si velint, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progressum quoad virtutes... et non obligatorie, sed facultative. De aliis enim ab iis agendum est cum confessario." — Etiam ita: „expungendum erit, quidquid statuitur in Constitutionibus quoad rationem conscientiæ." — cf. Collectanea in usum Secretariæ S. Congr. Episc. et Regul. Romæ 1863. — Et non solum in Congregationibus mulierum prohibetur redditio rationis conscientiæ, sed etiam virorum mere laicorum; utique eorum, quorum Superiores non sunt sacerdotes. — Ballerini, edit. Rom. c. 2. nota in num. 341. — Etiam 17 Dec 1890.

a. — Jam vides statim, non adesse paritatem inter Congregationes, de quibus modo, et Societatem JESU. Dein negamus prorsus, abusus hujus institutionis, qui alibi inveniuntur, esse etiam in Societate; imo jure merito asserimus, id quod eventus probat, esse hanc institutionem

Societati quam utilissimam lætissimosque ferre fructus. Inde est, quod in se corruit ista suppositio, ex qua progreditur Congregatio.

b. — Societatem vero in istis Decretis Cong. Episc. et Reg. non spectari, inde quam maxime elucet, quod ipsum Tridentinum non vult prohibere Societatem, ut juxta pium suum Institutum vivat. Jam vero et redditio et acceptio rationis conscientiæ est ex substantialibus Instituti, quæ ne tangere quidem licet, donec summa Ecclesiæ auctoritas de iis quid ordinet et statuat formaliter et directe, prout eodem modo Institutum probavit.

Nota. -- Nonnunquam verba audiuntur, quæ revera objectionis rationem non habent, quæ tamen, quum habeant speciem zeli ordinati pro Dei gloria, homines simplices fallere possint. Timent enim vel munere privari vel occupatione liberari, in quibus tamen se præclara pro Dei gloria operari prætendunt; propterea celant animæ noxas et defectus, ne Superior mutationem, quam timent, exsequatur. — Nonne haec superbia est et arrogantia, suum judicium præferre ei, qui a Deo ordinatus est ad subditos regendos gubernandosque?

APPENDIX TERTIA.

DE FREQUENTI CONVERSATIONE CUM SUPERIORE.

592 Eædem rationes, quibus ex regula tenemur Superiori statis temporibus conscientiam aperire, quam fortissime nobis suadent, ut frequentius etiam vel ipsum vel eos, qui ipso dirigente in via perfectionis acquirendæ nos adjuvant, nimirum patrem spiritualem et confessarium de rebus nostris internis ordinandis adeamus. Ad quod Constitutiones nos hortantur.

P. 3. c. 1. §. 12: „perutile erit, esse domi aliquem virum fidelem et in rebus spiritualibus sufficientur versatum, qui instruat eos ac doceat, quomodo et interius et exterius sese habere debeant et ad id eos hortetur et in memoriam redigat et amanter admoneat; quem omnes, qui in probatione sunt, diligant, ad quem in suis tentationibus confugiant, cui confidenter omnia sua detegant, et a quo consolationem et auxilium in omnibus sperent in Domino." — Sermo est quidem de novitiis et eorum Magistro; clare tamen hic locus indicat, Nostros statim ab ingressu rectum modum doceri, quo religiosi homines utantur ad suam spiritualem vitam promovendam; et eum modum ut per posteriorem etiam vitam retineant et observent, Constitutionum nostrarum spiritum esse.

P. 6. c. 1 §. 2: „omnibus itidem maxime commendatum sit, ut multum reverentiæ (et præcipue in interiore homine) suis Superioribus

exhibeant, JESUM CHRISTUM in iis considerent ac revereantur eosdem ex animo, ut patres in eodem diligant: ac sic in spiritu charitatis in omnibus procedant, ut nihil ex externis et internis eos celent, quin potius, et omnia prorsus intelligant, quo melius in via salutis et perfectionis se dirigant, optare debent." — His verbis describitur mutua ista communicatio, paterna et filialis, quam ex mente Constitutionum intercedere oporteat inter Superiorem et Subditum, cum frequenti, ut patet, hujus ad istum recursu in omnibus rebus. — Huc etiam referenda est Instructio 10. „de præfectis spiritualibus", in qua docetur, quomodo hi se habeant erga Superiores tum provinciales tum locales, et quomodo agant, in omnibus rebus, ut directio spiritualis subditorum fructuosa sit.

1. — Ex his locis intelligimus, Sancti Patris Ignatii intentionem 593
fuisse, ut Superiori sive patri spirituali continuo et quovis tempore manifesta sint omnia nostra interna, videlicet ex altera parte defectus, inclinationes, tentationes, difficultates; ex altera, virtutes, gratiæ, visitationes spirituales. Et ex ea quidem causa omnimoda hæc manifestatio fieri debet, ne in nobismetipsis et in propria prudentia fidentes, in minus recta vel mala deviemus, sed lumine aliorum a DEO ordinatorum utentes eo securius et facilius in recto tramite divini servitii persistamus salutemque operemur.

2. — Quod ut facto obtineatur, jure supponitur, subditum continuo in intima hac unione persistere proindeque ultro et sæpius ad duces suos spirituales accedere, ut cum ipsis de statu animi ejusque in via DEI progressu colloquatur. Quare non sufficit, semel vel bis per annum, quod regula præscribit de reddenda ratione, ad Superiorem accedere, sed urgemur sæpius intima nostra pandere, tum imprimis, quando occurrens quædam necessitas boni consiliarii opem expostulare videtur.

3. — Sed ad quem ducem et consiliarium in Societate recurrendum est? Regula ipsa indicat tum Superiorem, tum confessarium, tum patrem spiritualem æquo modo; liberum igitur nobis est, quem malimus ex his eligere. Nocivum tamen esset vel parum conducens, pro arbitrio suo et ex personali quodam affectu modo hunc modo illum ex nostris adire, ad quærendam suam consolationem spiritualem. Nam plerumque in hoc agendi modo sola natura movetur, imprimis tunc, quando neglectis iis, qui a Superioribus constituti sunt, peculiarem quendam confessarium vel patrem spiritualem nobis concedi petimus. Quod si non rationes gravissimæ aliter suadeant, teneamus consuetum divinæ providentiæ ordinem, quo cum plena confidentia iis utamur

ducibus et auxiliariis, qui per obedientiam nobis offeruntur. Tunc enim abest periculum errandi in re gravissima, adest autem meritum obedientiæ et abnegationis voluntatis propriæ cum magno nostri progressus emolumento.

594 4. — Sed quæres, quo demum modo hæc de rebus nostris cum patre spirituali communicatio fieri debeat, utrum oretenus an ex scripto, extrane confessionem an intra eam. Seligat quisque eum modum, qui magis sit ad veram suam consolationem spiritualem. Ut fiat extra confessionem, magis convenire videtur familiari huic inter patrem et filium commercio, quo mutuo confabulantur suaque vicissim et offerunt et acceptant. Accedit, quod confessiones nostræ plerumque tempore breves sint oportet, ne confessarii, qui ordinarie pœnitentes audiunt tempore exercitiorum spiritualium, vel meditationis vel examinis, nimium quodammodo graventur eo præcise tempore, quo et ipsi suas res cum DEO agunt.

595 5. — Rationes vero hujus de rebus nostris internis cum patre spirituali communicationis frequenter instituendæ gravissimæ se offerunt.

a. — Adituri nimirum Superiorem jam per se cogimur ea facere, quæ pro vita interna promovenda nobis tam necessaria sunt, ne fervor languescat naturaque paulatim iterum invalescat. Nimirum colligimus nos a continua fere ista distractione, in quam tam facile dilabimur; inquirimus in animæ nostræ statum, utrum profecerimus an defecerimus et in quibus; renovamus proposita pristina: uno verbo, jam per actus præcedentes fit ista salubris hominis interni restauratio, qua omnes nos tantopere in via DEI indigemus.

b. — Sed quod majus est: experientia omnium luculenter probat, DEUM huic humilitatis et sinceritatis exercitio largissimam suam benedictionem gratiamque impertire, pro mercede quasi, qua bonam nostram voluntatem in vincendis nobismetipsis remunerari dignatur. Placet enim DEO singulariter ista fiducia et iste filialis affectus, quo eos revereri et honorare studemus, quibus ipse in perducendis nobis ad finem beatificæ unionis suum in terris locum commissit. Ne miremur igitur, quod videmus eos magis in virtute proficere, qui huic divinæ circa nos providentiæ se committentes specialis gratiæ participes fiunt.

c. — Demum nemo non videt, ipsam sacramentalem confessionem, ipsamque conscientiæ rationem reddendam, quamvis fortissima sint adjumenta pro fine supernaturali assequendo, majorem etiam fervorem majoremque efficaciam obtinere, si cum hoc, de quo sermo est, medio perfectionis continuo conjuncta persistant. Imo ista duo media priora raro sufficient homini fervido et de progressu suo sollicito, qui habet

desiderium hauriendi aquam frequentissime ex isto fonte gratiarum, luminis scilicet et fortitudinis, quem in magistris suis et ducibus spiritualibus divina bonitas ei aperit. — Et quid dicemus: num adversarius noster diabolus ipse dormit per menses et semestria, quin nos infestet et ad malum protrahere tentet? Resistamus igitur continuis ejus assultibus per continuos nostros recursus ad eos, quos dedit nobis DEUS ad frustrandas diaboli machinas et evertendas.

APPENDIX QUARTA.

De pœnitentiis subeundis.

Pœnitentias subire, imprimis quando a Superioribus imponuntur, est 596
res obedientiæ. Sed statuamus hoc loco ea omnia, quæ huc referuntur.

Ex. c. 4. §. 33: „interrogetur, an omnino obedientem se exhibere in omnibus, quæ hic dicta et declarata sunt, velit, subeundo et adimplendo quasvis pœnitentias, quæ propter defectus et negligentiam suam, vel quidvis aliud fuerint injunctæ." — §. 41: „ac pœnitentias pro erratis et negligentiis et defectibus injunctas magna cum humilitate subeundo." — Ex. c. 1. §. 6: „sed illas [pœnitentias] assumere quivis poterit, quæ sibi videbuntur cum approbatione Superioris ad majorem sui spiritus profectum convenire, et quas propter eundem finem Superiores ei poterunt imponere."

P. 3. c. 1. §. 15: „in correctionibus et pœnitentiis injungendis qui modus teneri debeat, prudenti charitati Superioris et eorum, quos sibi substituerit, relinquetur; qui in eis rationem habebunt dispositionis personarum et ædificationis universalis et particularis earum ad gloriam DEI. Pœnitentias vero hujusmodi prompta voluntate quisque admittere deberet, cum vero emendationis et spiritualis profectus desiderio, etiam si propter defectum non culpabilem injungerentur."

Summar. 37: „adimplere quisque debet quasvis pœnitentias, quæ propter defectus et negligentiam suam vel quidvis aliud fuerint injunctæ. Pœnitentias vero hujusmodi prompta voluntate quisque admittere deberet, cum vero emendationis et spiritualis profectus desiderio, etiamsi propter defectum non culpabilem injungerentur."

Propositis his Instituti locis afferamus imprimis ea, quæ de jure et modo puniendi apud nos valeant.

1. — Penes cujusvis religionis Superiores est potestas imponendi 597
subditis pœnitentias, sive ex regula statutas, sive pro rationabili suo judicio electas. Etenim:

a. — In quavis religione necessaria est quædam potestas coercitiva, quam vocamus: „id manifestum est tum ex usu, tum ex ratione, quia potestas directiva sine aliqua coercitione infirma ac fere inutilis est... Est igitur omnino necessaria hæc potestas, ut ordo, pax et institutio religiosa conservetur." — Ita Suarez de rel. t. 4. tr. 8. l. 2. c. 9. §. 1. — Experientia satis constat, solvi religionis disciplinam, si defectus impuniti maneant, pœnitentiarumque usus in desuetudinem abeat.

b. — Superiores religionum, qui non fruuntur potestate jurisdictionis proprie dicta, non habent facultatem puniendi subditos nisi juxta constitutiones regulæ: „modo paterno et intra limites regulæ" quod dicunt. Habent enim isti quidem potestatem dominativam, quam tenent patres familiæ; et juxta eam etiam potestatem coercitivam, ut patet. Attamen talis potestas in Superiore religionis non extenditur ultra ordinarias et leves pœnitentias imponendas juxta morem consuetum. Ita res se habet in conventibus mulierum et etiam religiosorum non exemptorum.

c. — In religionibus autem exemptis a jurisdictione episcoporum fruuntur Superiores, nimirum Generales et Provinciales, jurisdictione quasi episcopali et proin etiam potestate coercitiva quasi episcopali erga subditos; vi cujus in subditos etiam censuras imponere licet, juxta privilegia et regulas. Nec excluduntur corporales pœnitentiæ, imponendæ sive ab ipsis sive eorum ordinatione a Superioribus localibus.

2. — Notum est, in Societate pœnitentias infligendas non restringi ad delicta et culpas, cum expressis verbis dicatur, eas imponi posse etiam propter „defectus non culpabiles et quidvis aliud." — Unde Superioribus competit, castigare sibi commissos pro arbitrio suo prudenti, ex fine promovendæ stabiliendæque virtutis. Hac ratione in subditis exsecutio pœnæ impositæ ipsis fit medium perfectionis acquirendæ, per exercendas virtutes efficacissimas nobilissimasque, nimirum humilitatis, obedientiæ, abnegationis. Scimus, magistros spirituales hoc medio usos fuisse quam frequentissime in salutem singulorum et in ædificationem totius communitatis. Recolligas modo, quæ de patriarchis religiosorum, qui olim in eremis cum suis monachis degebant, antiquæ litteræ nobis tradiderunt. Dolendum esset, si talis usus pervetustus jam non vigeret.

598 3. — Quo modo vero pœnitentiæ injunctæ a nobis suscipi debeant et exsecutioni mandari, nostræ regulæ sat clare nobis ostendunt.

a. — Dicunt: „sine excusatione", „prompta voluntate." — Recte utique; sunt enim tales pœnitentiæ verum beneficium a manu DEI

nobis porrectum, qui hoc suæ providentiæ ordine parat nobis media efficacissima, quibus utamur ad hostem perniciosissimum, propriam nimirum voluntatem, debellandum et prosternendum.

b. — „Cum magno emendationis et profectus spiritualis desiderio." — Revera nil potius promovet perfectionem, quam hoc medium applicatum. Nam in aliis mediis adhibendis sæpius subest, vel subesse potest, propria quædam voluntas, quæ facit nos ea eligere, quæ ex præconcepta quadam opinione nobis, quamvis spiritualiter, arrident; quæ minoris effectus sunt, quam illa, quorum propria voluntas propriaque electio nulla omnino pars est.

CAPUT TERTIUM.

De voto Paupertatis.

IN hoc capite agendum venit: — *a)* de paupertate religiosa, et quidem in Societate Jesu; — *b)* de paupertate religiosa quoad diversas Societatis classes; — *c)* de regulis paupertatis; — *d)* de paupertate domorum et communitatum in Societate Jesu.

SECTIO PRIMA.

De Paupertate Religiosa.

Incipiendo a definitione paupertatis progrediemur usque ad particularia, quæ vi voti in Societate vel fugienda vel sequenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID SIT PAUPERTAS RELIGIOSA.

1. — Paupertas generatim sumpta est carentia rerum temporalium, 599
seu earum, quæ sub divitiarum nomine comprehenduntur; carentia igitur pecuniæ et earum rerum, quæ pecunia æstimari et comparari solent, quippe quibus homo indigeat pro vita sua corporali. — Est autem diversa: — *a)* paupertas spiritualis, quæ consistit in reprimendo et abjiciendo affectu inordinato ad res temporales; — *b)* paupertas realis, quæ est actualis, de facto existens carentia seu privatio rerum temporalium; et dividitur in paupertatem involuntariam et voluntariam; — *c)* paupertas religiosa, quæ est voluntaria et realis abjectio

bonorum temporalium, facta ex amore perfectionis acquirendæ, et DEO per votum oblata; et quidem juxta sensum regulæ et Constitutionum. Recensemus singula membra:

„voluntaria" debet esse paupertas religiosa et actus moralis, cum accipiatur ut medium perfectionis acquirendæ; paupertas involuntaria per se non est virtus, sed sæpe occasio vel causa peccati.

„realis et externa" esse paupertas religiosa requiritur, nam spiritualis paupertas debet inesse in quovis homine nec superat vitam omnium communem.

„ex amore perfectionis;" nam in hac perfectionis via prosequenda nihil magis impedit, retrahit, distrahit, ligat, alienat cor hominis a DEO et a rebus divinis, quam rerum terrenarum possessio cum millenis istis curis et sollicitudinibus.

„per votum DEO oblata;" nam ex solis votis fit status religiosus, per quem privatur homo quavis possesione præsenti, et pro futuro redditur incapax habendi res externas iisque fruendi

„secundum regulam et Constitutiones"; lex enim paupertatis diversa est in diversis religionibus, tum quoad ejus objectum, tum quoad ejus obligationem. Huc refertur, quod habet Trid. sess. 25. de regular. c. 1: „necessarium esse censuit [s. Synodis] præcipere.... ut omnes regulares, tam viri quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscripta vitam instituant et componant; atque imprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis et castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ et ordinis peculiaria vota et præcepta.... fideliter observent."

600 *Coroll.* — Supponit igitur Tridentinum in variis ordinibus esse varia præscripta, sicuti circa alia, ita etiam circa paupertatem. Quam rem fusius explicare secundum S. Thomam hic expedit.

1. — Angelicus doctor dat rationes hujus diversitatis, 2. 2. q. 188. a. 7: „perfectio non existit essentialiter in paupertate; sed paupertas est sicut instrumentum vel exercitium perveniendi ad perfectionem, in quantum per remotionem divitiarum tolluntur quædam charitatis impedimenta. Si autem paupertas consideretur per considerationem ad speciales fines religionum, sic præsupposito tali fine paupertas major vel minor est religioni accommoda. Et tanto erit unaquæque religio secundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini." — Et distinguit tres classes:

a. — Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones vitæ

activæ, puta ad hospitalitatem exercendam vel opera misericordiæ, competit habere abundantiam divitiarum communium; quo plura enim possident, eo plura opera misericordiæ exercere possunt.

b. — Religiones autem, quæ ad contemplativam vitam ordinantur, tanto perfectiores sunt, quanto paupertas minorem eis sollicitudinem rerum temporalium ingerit. Unde necesse est habeant sufficientes divitias; eo magis, quod externi minus inclinantur, tales religiones eleemosynis suis juvare.

c. — Religiones, quæ profitentur vitam mixtam, contemplativam cum activa seu apostolica, convenit exercere strictissimam paupertatem; tum ut proprio exemplo prædicent contemptum mundi; tum ut liberiores sint in agendo cum hominibus, quippe qui illis non sint tantopere obstricti; tum etiam, quia facilius necessaria vitæ ab hominibus ultro oblata accipiunt: ex verbo Apostoli spiritualia seminantes decet, ut etiam carnalia metant.

2. — Positis his principiis facile intelligitur, in diversis religionibus diversam etiam esse legem paupertatis, tum quoad communitatem, tum etiam quoad individua membra.

a. — In communi plurimæ religiones possident tum mobilia tum etiam immobilia; quod ex Trid. sess. 25. de regul. c. 3. nunc omnibus licet, exceptis paucis. Aliis solum fas est, possidere mobilia domus, quæ mendicando acceperunt; demum aliis prohibitum est, in communi quidquam possidere, nec immobilia; nec etiam mobilia licet mendicando acceptare uti propria. Horum enim proprietas vel apud donatores manet, vel transit in Ecclesiam Romanam sive Sedem Apostolicam.

b. — In ipsis religionibus, saltem nonnullis, etiam pro variis membrorum classibus varia est paupertas: alia ejusdem ordinis membra voto paupertatis privantur omni proprietatis jure, dominio nimirum directo non solum, sed etiam indirecto, sive usu et dispositione; alia econtra, pro tempore saltem, etiam post vota prima emissa retinent dominium directum et manent in jure possessionis, amittunt vero usum seu jus dispositionis.

c. — Attamen non potest fieri votum paupertatis, quin homo se privet, certo quodam gradu et determinato, quoad res temporales; ut vera sint verba Salvatoris: „qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus;" quibus verbis innuit statum perfectionis apostolicæ. Qui vero gradus renuntiationis seu abdicationis rerum temporalium sufficiat ad constituendum statum religiosum, non conveniunt doctores.

601 3. — Nimirum votum paupertatis ex duplici fonte habet suum objectum, tum ex natura sua in quantum est votum, tum ex positiva Ecclesiæ constitutione, quæ ei varios adjungit effectus vel strictiores vel ampliores. Unde est, quod varia vota secundum suam efficaciam sic recensere debemus:

a. — Nec licite nec valide habere dominium, neque re tamquam propria uti posse. Hoc est votum paupertatis solemne, quo homo non solum actu privatur omni jure proprietatis, sed etiam incapax fit habendi tale jus. In Societate JESU idem est in voto Coadjutorum formatorum, ex constitutione Ecclesiæ speciali.

b. — Valide habere dominium, sed non licite; neque ulla re tamquam propria uti. Hoc est votum absolutum et integrum, in se spectatum, si non per Ecclesiam solemnizatur, nec ullo modo per eam positiva constitutione definitur.

c. — Valide et licite habere dominium, sed non posse re tamquam propria uti. Ita constitutum est a Gregorio XIII. „Ascendente" votum simplex Scholasticorum Societatis JESU, quod emittunt biennio novitiatus finito. Et idem valet nunc ex Constitutione Pii IX. de votis prioribus simplicibus in quolibet ordine virorum. In quo voto in Societate JESU simul imponitur obligatio se abdicandi bonis, tempore et modo secundum Constitutiones præscripto.

d. — Non habere temporalia nec eis frui posse ultra certam mensuram sufficientem ad necessitatem vitæ. Valde dubium est, an hic modus renuntiandi temporalibus sufficiat ad constituendum statum religionis; et rectius negatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBJECTO VOTI PAUPERTATIS.

602 Votum paupertatis est unum ex tribus substantialibus votis religionis, quo homo privatur rebus temporalibus certo et definito modo juxta Constitutiones.

1. — Objectum hujus voti remotum sunt bona temporalia externa, quorum homo habet dominium acquisitum, quod vocamus: divitiæ igitur seu res illæ, quarum carentia paupertatem constituit; pecuniæ et alia quælibet, quæ pecunia æstimari ac comparari possunt aut pecuniæ moraliter æquivalent.

Non omnia autem bona, quorum homo habet dominium, usumfructum

vel jus utendi illis, sunt materia paupertatis. Sunt enim alia bona, quorum habet dominium innatum, quod vocamus; nimirum bona hominis interna, sive in anima sive in corpore; sive naturalia sive supernaturalia, ut gratiæ et virtutes. Ergo nullatenus censenda sunt sub votum paupertatis cadere: — *a)* vita hominis; jus enim vitam conservandi nullo modo abdicari potest voto paupertatis, quia tale votum pravum foret ac nullum. — *b)* item membra corporis et facultates sive corporis sive animæ ad paupertatis materiam non pertinent. — *c)* idem dicendum de gratiis et virtutibus, uti patet.

Sed neque honor et fama, etsi sint quid homini extrinsecum; nam hæc bona ab ipso homine non pendent; et quod majus est, eorum privatio fini status religiosi omnino adversaretur. — Difficultas est circa beneficia; at in his distinguendum est inter jura et officia beneficii, et bona temporalia illi annexa. Et priora quidem non sunt materia paupertatis, ut patet; bene vero posteriora, quibus homo resignare potest.

2. — Materia paupertatis proxima sunt certa quædam jura certique 603
actus, qui versantur circa materiam paupertatis remotam, id est, circa divitias seu bona temporalia, quæque veniunt communiter nomine „proprietatis." Hoc jus proprietatis est facultas possidendi rem eaque utendi, quin quisquam alius juste nos impedire queat; libere igitur et independenter a quovis alio. Continet vero proprietas duo jura duosque actus, possessionem nimirum et usum, seu dominium directum et dominium indirectum, quæ utraque in voto paupertatis resignari possunt. Nimirum potest vovens paupertatem solum abdicare dominium indirectum sive usum seu jus disponendi de rebus, retinens ceteroquin dominium directum sive possessionem. Sed potest etiam utroque dominio se privare, indirecto et directo simul, ita ut nec possidere nec uti liceat. Imo summus gradus religiosæ paupertatis in eo est, ut per votum etiam capacitas possidendi et utendi auferatur; quod tamen fieri non potest nisi per juris positivi ecclesiastici dispositionem; uti est in voto solemni paupertatis, et etiam in voto, quod emittunt Coadjutores formati Societatis JESU.

3. — Jus proprietatis igitur, sive in possidendo sive in utendo rebus temporalibus, est proximum et formale voti paupertatis objectum, in quo votum ipsum ejusque obligatio versatur. Peccatur proin contra votum paupertatis per quemvis actum proprietarium, ut ita dicam, vel in possessione vel in usu sive dispositione. Talis actus potest esse mere internus, quando quis stante voto paupertatis, voluntatem suam

retractat proponitque vel possidere vel disponere; nam hic actus internus est voluntas et desiderium committendi quod sit contra votum. Plerumque tamen nonnisi actibus externis peccatur. Itaque:

604 4. — Actus externi, quibus contra votum peccatur, et quidem graviter in materia gravi, hi fere sunt:

a) aliquid sibi accipere, vel retinere inscio Superiore;

b) dare vel alienare aliquid;

c) commodato vel mutuo dare aut accipere: in hoc tamen ut peccetur graviter, materia multo majoris valoris esse debet, quam in dando;

d) rem sibi emere vel aliis vendere, aut donare vel dono accipere;

e) re uti ultra tempus concessum, eamque occultare, ne a Superiore sumatur;

f) rem ad certum usum datam ad alium adhibere, si revera concessio ita restricta erat;

g) rem negligentia vel malitia sua pessumdare;

h) in aliam domum rem secum ferre sine licentia;

i) comedere et bibere non solum ex rebus monasterii, sed etiam apud amicum, sine licentia;

j) expendere sumptus in res illicitas et superfluas.

Nota. — Ad hoc ultimum adnotat Lehmkuhl, t. I. nº 528: »habere et retinere superflua, si licentia, quamquam sine causa justa data, data tamen sit, neque irrita facta per altiorem Superiorem, Suarez tr. 7. l. 8. c. 15. nº 3. et 4. censet, per se nondum esse contra votum paupertatis, nisi ex ordinis constitutione votum etiam sic intelligatur: tamen res superflue consumere, alienare, putat esse contra paupertatem, utpote ex licentia, si accesserit, invalide data; quod communiter utique verum est. Alii autem (quod tandem vix a Suaresii hac sententia discrepat) putant cum Lugo (de Just. 3.130), omnem usum rerum illicitarum et superfluarum, si fiat cum notabili excessu, esse contra paupertatis votum; idque reipsa sine rerum consumptione seu damno non intelligitur... Imo solum retineri superflua recte monet Suarez l. c. cap. 12. sæpe evadere posse mortaliter malum ratione scandali et relaxandæ disciplinæ.«

ARTICULUS TERTIUS.

DE LICENTIA SUPERIORUM.

605 Per licentiam Superioris rite datam et acceptatam efficitur, ut subditus, agens ex ea in possessione vel usu rerum externarum, non sit proprietarius, quippe qui non agat ex propria voluntate, sed ex voluntate alterius legitime permittentis vel jubentis. Quod si fit, clarum

est, non lædi votum paupertatis. Distinguitur vero licentia expressa, tacita, præsumpta.

1. — Licentia expressa, quando Superior expressis et claris verbis 606 subdito facultatem concedit, aliquid faciendi. Per eam tollitur in subdito agente propria ejus voluntas, fitque ejus actio mera exsecutio alienæ voluntatis legitime permittentis vel jubentis. Ut justa sit talis licentia, requiritur:

a. — ex parte subditi, tum ut eam non obtineat propositis causis non veris, tum ut non cogat quodammodo et moraliter necessitet Superiorem nimium urgendo. Primum enim faceret licentiam ita obtentam intrinsece inanem et caducam, quippe quæ careat necessario fundamento in rationibus vere existentibus; alterum eam redderet non libere datam a Superiore, cujus actio non erat voluntaria, proin nulla. Attamen non potest facile Superior supponi tam debilis esse.

b. — ex parte Superioris, ut habeat ipse jus concedendi licentiam, neve dando lædat jus tertii; in utroque enim eventu iterum licentia laboraret intrinseco defectu essetque inanis et nulla. Imo uterque, tum Superior concedens eam, tum subditus agens ex ea, peccaret contra votum paupertatis, supposito quod sciant, licentiam esse nullam.

c. — quodsi Superior det licentiam ex causis non sufficientibus et subditus agat ex ea licentia, recte dicitur, neutrum offendere contra votum paupertatis, vel obedientiæ, quamvis lædant virtutem. Subditus non peccat, quia non agit ex dispositione propria; Superior vero non, quia in utendo sua potestate non est coarctatus tam angustis limitibus.

2. — Licentia tacita ea est, quam Superior intelligitur dare ad agen- 607 dum, mere tacendo vel tolerando. Ea revera tum adesse judicatur, quando Superior libere et facile potest dissensum suum manifestare et nihilominus hoc omittit. — Similis est, quæ vocatur licentia supposita vel implicita, quæ continetur in alia licentia jam existente, secundum axioma: qui vult totum, eo ipso etiam vult singulas totius partes; et qui vult finem, vult etiam media necessaria ad finem consequendum. Itaque hæ subditi actiones particulares exsequendæ jam continentur virtualiter inclusæ in generali ista Superioris concessione. Nemo tamen non videt, subditum in utendo hac licentiarum specie omnino sincera mente debere procedere, ne fallatur judicio proprio. Unde recte consulitur, in adeundo munere novo vel in suscipiendo negotio petere ex Superiore, quæ sit ipsius intentio circa res magis particulares exsequen-

das, ne amor proprius nos fallat in judicando de rebus tanquam necessariis ad finem consequendum.

608 3. — Licentia supposita, quod ipsum verbum jam indicat, realiter non existit, neque formaliter, neque virtualiter. Præsumitur tamen sive supponitur existere, si a Superiore peteretur in hoc vel illo casu. Nam cum ejus mens circa tales res æquales vel similes satis cognita sit ex licentiis ab eo jam concessis, recte concluditur, ejus mentem etiam hic et nunc eandem fore eumque proin licentiam certe daturum, si adiri posset. — Hæc licentia supposita sive præsumpta excusat a peccato contra votum, ex sententia communi. Nam cum Superior formaliter non obsistit, imo ejus consensus, re cognita, adesse prudenter judicatur, subditus non agit ex proprio arbitrio, sed in justa dependentia a Superiore et proin recte et licite. Imo dicunt, hanc licentiam præsumptam etiam tunc excusare a peccato, quando subditus scit, Superiorem non libenter, sed invite tantum eam daturum esse, modo revera daret. Nam talis reluctantia, ut patet, non faceret actionem Superioris irritam. — Lehmkuhl, t. I. n° 527.

Attamen ne abusus fiat in hac materia licentiæ præsumptæ, et ut agens ex ea secura conscientia procedat, attendendum est : — α) adesse debet ratio solida, quæ impediat nos adire de facto Superiorem ejusque licentiam expressam exquirere ; — β) habeat necesse est subditus propositum communicandi cum Superiore rem factam primo, quo possit, tempore opportuno ut satisfiat obedientiæ et disciplinæ religiosæ ; — γ) caveat subditus, ne assuescat quodammodo agere ex licentia præsumpta, ad quod natura facile inclinat, quærens et inveniens rationes, quibus impeditum se opinetur adire Superiorem ad petendam licentiam ante actionem ponendam. Non potest non fieri, ut paupertas et obedientia per talem abusum detrimentum patiantur, cum jactura disciplinæ religiosæ et cum evidenti periculo peccandi, si non contra votum saltem contra virtutem.

609 4. — Quando Superior renuit dare licentiam petitam, manet in suo vigore obligatio paupertatis et obedientiæ, etiam tunc, si injuste deneget. Utique potest tunc fieri, ut subditus ex rationibus gravissimis quasi evidentibus sibi persuadeat, mediatum Superiorem, si sciret rem ejusque gravitatem et quasi urgentem necessitatem, certo daturum esse licentiam necessariam, subditusque ex hac licentia præsumpta juste et recte agat. Quodsi fiat, necesse est, quantocius rem totam factam ad eundem mediatum Superiorem referre ejusque approbationem obtinere.

Nota. — Solemne paupertatis votum involvit etiam incapacitatem acquirendi, possidendi vel disponendi de rebus temporalibus, ita ut tales actiones a Professo religioso sine debita Superioris licentia factæ irritæ sint nulliusque valoris. Sequitur inde, non posse fieri translationem dominii ex talibus actionibus, hominemque teneri ad restitutionem, si tali modo quid acquisierit.

ARTICULUS QUARTUS.

VOTUM PAUPERTATIS IN SOCIETATE.

Quæ de voto paupertatis in genere jam dicta sunt, obtinent etiam in Societate JESU, tum quoad materiale, tum quoad formale objectum ejus. Plura tamen in ipso Instituto expressis verbis proponuntur, quibus paupertatis lex facile læditur.

1. — Vetatur quivis usus proprietarius. — P. 3. c. 1. §. 8: intel- 610
ligant etiam, quod mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quidquam de iis, quæ domi sunt, minime possunt, nisi Superior conscius consensum præstiterit." — C. 5. D. 50. §. 4: „[verba illa] sic accipienda sunt, ut, qui utitur rebus suis, quacunque ratione illis utatur, tamquam propriis, vel ea distribuat sine facultate Superioris, faciat contra votum paupertatis."

2. — Statuitur materia, quæ faciat grave peccatum. — Ord. c. 4. 611
§. 10: „intelligant omnes, eam quantitatem, quæ furto sublata satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimum præceptum, sufficere, ut peccasse adversum votum paupertatis judicetur, si quis e Nostris rem ut propriam vel usurpet vel alienet absque Superioris facultate." — Et §. 14: „nulla ratione permittatur, ut Nostri apud se habeant secumque ferant quædam, quæ pauperibus, quales nos sumus, minime conveniant, ut sunt horologia rotata et affabre facta, imagines multi valoris, reliquiaria curiosa et pretiosa, aliaque id genus, quorum valor pretium vulgare excedit." — Vide C. 22. D. 24.

3. — Non permittitur habere pecuniam vel aliud quid ad usum 612
proprium; et si a Superiore permittatur in aliquo singulari casu, pecunia apud ipsum Superiorem teneatur. — P. 6. c. 2. §. 11: „ut nihil proprium domi teneri, ita nec foris apud alios potest." — C. 12. D. 42: „ut prohibere universim non expedit, ne quis unquam possit cum Superioris facultate quidquam habere pecuniæ, in honestos usus destinatæ, ita id raro tantum justasque ob causas, junioribus præsertim et Coadjutoribus, permittendum Congregatio censuit. Si tamen concedendum aliquando visum fuerit, voluit insuper eadem Congregatio, ut in eo etiam casu religiosæ disciplinæ magis consulatur, ejusmodi pecunias apud

ipsum totius domus Superiorem deponi, a quo deinde id quisque accipiet, quo ipsi uti necessarium fuerit, cum ejusdem aut mediati Superioris facultate." — Renovatur prohibitio cum addito in C. 20. D. 7. §. 2: „vultque [Congregatio] omnino, ut si quando ea (deposita) permittantur, integra pecunia sit apud Superiorem totius domus, neque posse dispensare Superiores, ut aliquis Nostrorum pecuniam hujusmodi, sub quocunque prætextu, apud se retineat."

613 4. — Non licet Nostris, legata confidentialia quæ vocantur admittere, imo nec simplicia deposita. — C. 12. D. 38: „re diu multumque agitata, Congregatio omnibus interdictum voluit legatorum hujusmodi [quæ confidentialia vocant] exsecutionem acceptare, eaque plane ratione, qua Const. P. 6. c. 3. §. 7. testamentorum exsecutio prohibetur." — C. 12. D. 41: „etsi ex Præpositorum Generalium litteris statutum satis jam videtur, Nostrorum neminem posse pecuniam habere depositam, vel apud alium, penes quem ejus dominium remaneat, vel apud se, ita ut dominium spectet ad alium, ac ea tum deinde, obtenta Superioris facultate uti; hancque facultatem nullam ac irritam esse declaravit R. P. N. Vincentius Carrafa, sive hujusmodi depositi conscius fuerit Superior sive non; hoc tamen iterum ac magis præsenti Decreto Congregatio declarat atque confirmat." — Explanat ulterius C. 16. D. 35: „quod a Congregatione 12. D. 41. statutum fuit, confirmat iterum præsens Congregatio declaratque, decretum illud non posse eludi eo prætextu, quod qui utitur in usus proprios et arbitrarios pecunia, de qua ibi fit mentio, sit merus voluntatis alienæ exsecutor; pravamque hanc et detortam interpretationem detestatur."

614 5. — Nemo potest pecuniam mutuam dare vel etiam sibi accipere. — C. 16. D. 16: „quo melius sanctæ paupertati consulatur, Congregatio severe prohibet, ne quis quocunque prætextu, nomine proprio aut alieno. pecuniam collocet ad lucrum ex ea percipiendum. Sed quidquid obtingit alicui pecuniæ, permittatur arbitrio Superiorum, qui pro sua prudentia de illa statuent." — D. 28: „ut variis periculis et incommodis occurratur, prohibet Congregatio omnibus Nostris in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis sine expressa Superioris facultate, pro se vel pro aliis, ab ullo externo mutuam accipiat pecuniam, etiam in pios usus expendendam. — Et cum fuisset intercessum, standum esse decreto censuit Congregatio."

615 6. — Nostri ne sibi munera accipiant. — P. 4. c. 15. §. 4: „videat etiam Rector, ne Magistris vel ullis aliis de Societate, sibi aut Collegio pecuniam aut dona quævis ab ullo, pro re quavis in ipsorum utilitatem facta, accipere permittat; quandoquidem præmium nostrum solus

CHRISTUS Dominus juxta nostrum Institutum futurus est, qui est merces nostra magna nimis." — C. 6. D. 21: „placuit Congregationi statuere, non licere Nostris, eo maxime titulo, quod cum Principibus et Magnatibus tractant, vel eorum confessarii sunt, ab iis quidquam ad poprium usum et dispositionem accipere, neque ad id Superiores concedere facultatem posse." — P. 6. c. 2. §. 9: „eadem de causa munuscula, quæ Magnatibus ad res majores ab ipsis obtinendas offerri solent, ne offerantur."

Ord. c. 4. §. 9. ad hæc additur: „idemque omnino judicium esse debet de aliis confessariis, concionatoribus, præceptoribus et similibus erga pœnitentes, devotos et consanguineos et amicos; maxime vero de iis, qui in missionibus versantur. Quodsi sponte aliquid offeratur, id juxta regulam in communem usum accipiatur et dispensetur." — Instr. 15. c. 1. §. 1. et 2. idem iterum inculcatur.

7. — Nihil clausum tenere; quod denotat facultatem disponendi ad 616
proprium usum. — P. 4. c. 10. §. 5: „nihil clausum tenendo;" et decl. D: „res clausa intelligitur janua, vel arca, etc."

8. — Vetamur uti rebus pretiosis easque signare nomine proprio. 617
— Ord. c. 4. §. 14. — Quæ explicat C. 22. D. 24: „prohibita censeantur horologia aurea, atque illa, quorum valor pretium vulgare excedit." — P. 4. c. 6. §. 9. — Instr. 1. §. 8.

Nota. — Sunt etiam alia multa particularia statuta circa paupertatem. Quamvis in iis lædendis non semper fit peccatum contra votum paupertatis, apparet tamen ex iis, quantopere cordi sit Societati, ut omne periculum lædendæ paupertatis avertatur, etiam virtutis paupertatis.

SECTIO SECUNDA.

De Paupertate singularum classium.

Supra jam explanatum est, in variis religionibus etiam paupertatis 618
obligationem variam esse, cum, salvis principiis generalibus, maxime pendeat ab ipsis religionibus, quæ particularia secundum proprium religionis finem in hac materia statuantur. In Societate JESU porro præter hanc differentiam ab aliis ordinibus, differt paupertas etiam in variis ejusdem Societatis classibus, prout varia sunt eorum vota variæque etiam Constitutiones circa variorum votorum materiam et obligationem. Necesse proin est, singularum classium paupertatem distincte proponere.

619 *Nota.* — Cum novitii nondum obligentur votis, non peccant contra votum paupertatis, agentes contra paupertatis præscripta; offendunt tamen contra obedientiam suam, qua tenentur uti membra Societatis, cujus statutis libere et sponte se submiserunt. Unde est, quod jam statim ab initio de hac re instruuntur. — P. 3. c. 1. §. 7. sq: »ut experiri incipiant sanctæ paupertatis virtutem, doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria uti debeant... Intelligant etiam, quod mutuo dare vel accipere vel dispensare quidquid de iis, quæ domi sunt, minime possunt, nisi Superior conscius consensum præstiterit.« — Vetantur etiam in Ex. c. 4. §. 4. pecuniam habere vel apud se vel apud alium; sed tradenda est et asservanda, vel expendenda in pias causas.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PAUPERTATE SCHOLASTICORUM.

620 Primis votis simplicibus finito biennio novitiatus emissis, retinent quidem Nostri dominium directum in bona sua, sive jus possidendi ea; promittunt tamen in ipso voto etiam horum bonorum abdicationem facere, iisque se prorsus exuere, quando Superior juxta Constitutiones id jubeat. Dominio autem indirecto, seu jure disponendi de rebus suis, privantur, saltem quoad liceitatem. — Dicamus de utroque.

1. — Retinent dominium directum, sive possessionem, simpliciter, valide et licite, secundum jus proprium Societatis ab auctoritate Ecclesiæ summa approbatum. — Gregorius XIII. „Ascendente" 25 Maji 1584; „bonorum suorum jus atque dominium... valeant retinere... quantum ad illorum usum, religiosam paupertatem servant, nec ulla re tanquam propria et sine Superioris facultate uti possunt."

P. 4. c. 4. E: „hæc consuetudo (est sermo de simplicibus votis) facit, ut, quamvis paupertatis votum sit emissum, bona tamen temporalia haberi possint ad certum usque tempus, quod Superiori intra probationis spatium videbitur." — P. 6. c. 2. H: „in Scholasticis et aliis, qui tempus probationis nondum expleverunt, hoc (scl. nihil proprii habere) intelligi debet de rebus iis, quæ in præsentia subsint eorum dispositioni. Nihil enim horum habere debent, nisi conscio et approbante Superiore. Neque vero sermo est de bonis, quæ forte procul inde illi habent, de domibus scilicet vel rebus aliis; sed quod ad hæc attinet, parati etiam esse debebunt, ut illis se abdicent, quandocunque Superiori videretur, ut in Examine dictum est.. — Ex. c. 4. §. 5. — P. 3. c. 1. §. 7. et 9. et F. — C. 1. D. 139. et 140.

621 Licite vero retineri in primis votis emittendis hoc dominium directum seu jus possidendi, rationes quæ sequuntur juste probant.

a. — Nimirum in hoc tantum sensu paupertatis votum primum simplex a Societate et ab Ecclesia intelligitur et acceptatur; et in hoc etiam sensu tantum a vovente emittitur. Attamen futura bonorum abdicatio non solum non excluditur, sed in ipso voto continetur, et quidem juxta Constitutiones et ea, quæ in ipsis statuuntur. Summa igitur auctoritas legislativa in Societate et in Eeclesia rem ita definivit.

b. — Nec est contra substantiam voti paupertatis, retinere dominium directum; imo essentia hujus voti non est ea, ut per se privet vel possit privare hominem jure possidendi, nisi positiva legis constitutio accedat. Hoc autem fit generaliter tantum in voto solemni paupertatis, quo ex jure positivo inducitur incapacitas vel impossibilitas possidendi. Idem etiam obtinet in voto Coadjutorum formatorum Societatis JESU ex Constitutione Ecclesiæ Referimus ad ea, quæ supra disseruimus de varietate paupertatis in variis religionibus; secundum Trid. sess. 25. de regul. c. 1., et Th. 2. 2. q. 186. a. 6. — Pendent ista ex voluntate legislatoris sicut alia; prout v. g. a Pio V. declaratur, Societatem JESU esse ordinem mendicantem quoad omnia ejus membra, quamquam constabat ex aliis Pontificibus, abdicationem dominii directi non includi in voto paupertatis primo in Societate.

c. — Eodem modo nec ratio formalis status religiosi ejusque finis tendendi ad perfectionem postulant, ut dominium directum deleatur. Jus enim possidendi non impedit hominem, quominus prosequatur viam perfectionis assequendæ, quando istud jus ita ligatum est, ut rebus possessis uti non possit Nam qui possident bona, quin iis possint uti, de facto sunt quasi non possidentes, sine ullo periculo abutendi suis bonis, vel adhærendi illis affectu non bene ordinato. Accedit quod in vovente adest et adesse debet voluntas relinquendi omnia et abdicandi se suis bonis, quando a Superiore injungitur; vovens igitur jam in ipso actu vovendi intentionaliter se privat omni omnino jure possidendi.

d. — Alia demum est ratio externa, quia, retento dominio saltem directo, in casu dimissionis res facilius componuntur. Superior enim magis liber est in dimittendo aliquo minus idoneo vel digno, si ipsi persuasum est, dimissum eo ipso recuperare plenam possessionem bonorum suorum, quæ jure hucusque semper tenebat, quamvis impeditus in eorum usu. Ipsi vero dimisso eripitur omnis ansa conquerendi, quasi per ingressum in Societatem et brevem in ea vitam rebus suis earumque commodo privatus sit. Et hæc eadem est causa, cur plena abdicatio bonorum in Nostris, post emissa vota simplicia, tamdiu differatur, donec plene constet, hominem in sua vocatione esse prorsus

confirmatum, nullumque periculum adesse de eo aliquando e Societate dimittendo: ne orbatus rebus etiam olim suis pauper omnino et sine mediis sustentandæ vitæ appareat.

622 2. — Alterum verum, dominium indirectum, seu jus disponendi de suis rebus iisque utendi tanquam propriis, primo voto paupertatis plene aufertur, saltem quoad ejus liceitatem. Statim in ingressu, P. 3. c. 1. §. 7: „doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria uti debent;" quod idem in Ex. c. 4. §. 5. Quodsi hoc jam obtinet in novitiis, quanto magis in iis, qui emiserunt vota. — P. 6. c. 2. §. 11: „uti nihil proprium domi teneri, ita nec foris apud alios potest." Et decl. H: „nihil horum, (quæ eorum subsint dispositioni,) habere debent, nisi conscio et approbante Superiore."

Imo expressis verbis edicitur, omni actione proprietaria lædi votum paupertatis. — C. 5. D. 50. §. 4: „verba illa P. 3. c. 1. §. 7:" „doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria uti debent", sic accipienda sunt, ut qui utitur rebus suis, quacunque ratione illis utatur tanquam propriis, vel ea distribuat sine facultate Superioris, faciat contra votum paupertatis." — Et D. 59: „Congregatio re accurate examinata, judicium Patrum Deputatorum approbavit, eum, qui post emissa tria vota substantialia nostræ religionis, sua bona distribueret sine Superioris facultate, votum paupertatis Societatis violare," — Clarissime in Ord. c. 4. §. 17: „intelligant, verba illa regulæ summarii: „nullaque re tanquam propria utantur," sic esse accipienda, ut ii, qui tria vota substantialia emiserunt, non solum contra votum peccent, si re aliqua tanquam propria utantur; sed si ii quoque, qui nondum se bonis suis abdicarunt, quacunque ratione de iis disponant, vel ea distribuant, aut iis se abdicent, cum absque Superiorum voluntate id faciant."

623 Ex ratione paupertatis colendæ ne administratio quidem bonorum propriorum Nostris permittitur. — C. 7. D. 17. n. 1: „omni omnino Nostros bonorum suorum administratione, ut primum novitiatum ingressi fuerint, exuere se debere." — C. 10. D. 2: „maxime vero illud [commendandum Patri Nostro], ne cuiquam permittatur suorum bonorum administratio vel liber usus, etiam eo tempore, quo dominium retinet." — C. 12. D. 36: „etsi ad removendam a Nostris rerum temporalium administrationem novo decreto opus minime sit, ut tamen omnes intelligant, quo studio foveri apud nos paupertatis puritas debeat, confirmatum Congregatio voluit D. 17. C. 7. et D. 2. C. 10: „ne cuiquam permittatur suorum bonorum administratio vel liber usus, eo etiam tempore, quo dominium eorum retinet"; horumque decretorum

omnimodam exsecutionem Patri Nostro impense commendavit." — Etiam C. 17. D. 11: „cum tot sanctionibus prohibita sit Nostris administratio bonorum, etiam eorum, quæ quis Societati donavit, ut puritati nostræ paupertatis consulatur, atque iis incommodis, quæ ex hujusmodi administratione oriri possent, obviam eatur, censuit Congregatio, commendandum impense R. P. Nostro, ut difficilem se præbeat in concedenda alicui Nostrorum facultate administrandi bona hujusmodi. Et si quando ad id gravis necessitas urgeat, non concedat nisi ad statum tempus, et cum obligatione reddendi rationem hujusmodi administrationis immediato Superiori, nisi alium destinavit R. P. Generalis."

Quod supra jam dictum est, nec propriorum bonorum abdicationem facere quisquam potest sine facultate Superioris. Qua in re plura alia tenenda sunt, de quibus in specie agatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

ABDICATIO BONORUM.

1. — De bonorum abdicatione habet jam Ex. c. 4. §. 1. seq: „quicunque Societatem ingredi volent, antequam in domo aliqua vel Collegio ejus vivere sub obedientia incipiant, debent omnia bona temporalia, quæ habuerint, distribuere et renuntiare, ac disponere de iis, quæ ipsis obvenire possent . . . Quodsi statim propter aliquas honestas causas bona non relinquet, promittat se prompte relicturum omnia .... post unum ab ingressu absolutum annum, quandocunque per Superiorem injunctum ei fuerit in reliquo temporis probationis: quo completo, ante professionem Professi et ante tria vota publica Coadjutores reipsa relinquere ac pauperibus .... dispensare debent, etc." — Nonnulla horum postea aliter statuta vel accuratius definita sunt; sed eruitur ex hoc loco, obligationem abdicationis bonorum faciendæ respicere eos, qui primum votum paupertatis emiserunt, debereque satisfieri huic obligationi ante ultima vota facienda, quum his omne jus et omnis capacitas possidendi et disponendi eo ipso deleatur. 624

2. — Itaque abdicatio bonorum in Societate JESU est jus et simul obligatio, jure ordinario et in certa dependentia a Superiore, exuendi se plene et definitive omnibus bonis, quæ possidet religiosus, omnibusque juribus possidendi vel acquirendi, ita ut perfecto sensu desinat esse proprietarius.

a. — Dicitur abdicatio esse *jus* exuendi se, quod ita explicatur:

emittens votum primum paupertatis in fine novitiatus non exuitur radicaliter possessionibus juribusque suis, sed retinet dominum directum, quod supra explicatum est. Quamvis igitur fiat religiosus sensu perfecto et pleno, retinet tamen jus proprietatis quoad substantiam; et ab hoc substantiali jure non separatur jus *valide* etiam disponendi, nisi per positivam constitutionem legitimæ auctoritatis. Quod cum non probetur ex Constitutionibus nostris, recte infertur, abdicantem se bonis suis etiam *jure* suo uti, ut se exuat omnibus rebus omnibusque juribus.

b. — Abdicatio bonorum est *obligatio* exuendi se rebus suis. Nimirum emisso primo voto paupertatis amittitur dominium indirectum, sive jus utendi vel disponendi. Cum vero bonorum abdicatio contineat actionem disponendi de rebus temporalibus, sequitur, etiam hanc abdicationem non relinqui mero arbitrio religiosi, sed faciendam esse cum debita a Superiore dependentia. Et hoc eo magis, quod in voto paupertatis secundum nostras Constitutiones implicite promittimus facere abdicationem eo tempore et modo, quo Superiori placuerit. Et in ipsa hac a Superiore dependentia consistit obligatio abdicationis faciendæ; utique servatis iis, quæ Constitutiones de hac re continent.

625 3. — Necesse est igitur recurrere ad singula, quæ de abdicatione jus proprium Societatis definitive statuit, variis temporibus vel mutando vel explanando, quæ ab origine valebant.

a. — Regulariter debet fieri bonorum abdicatio intra quadriennium ab ingressu in Societatem, vel potius in fine ejus. — C. 7. D. 17. n° 5: „quadriennem tamen ab ingressu Societatis bonorum possessionem censuit Congregatio, juxta Ordinationes P. N. Claudii [c. 1. §. 10. n° 5.] permittendam. In cujus prorogationem nulli præterquam Generali, idque ex gravi causa, dispensare liceat, qua in re præcipue spiritualis boni et possessoris ratio habeatur."

b. — Supponitur tamen, religiosum tum jam ad eam ætatem pervenisse, qua juxta leges patrias de rebus suis valide disponere possit; i. e. plerumque ad annum vitæ vigesimum expletum. — C. 15. D. 8: „in C. 1. D. 17. statuitur, Nostros teneri ad renuntiandum suis bonis: „ubi primum per ætatem et patriæ leges licebit." Quæ verba, uti ex contextu patet, sunt præcipue intelligenda de ætate ad valide renuntiandum requisita." — Idem in Ord. c. 1. §. 10. n. 7: „ceterum postquam quis in Societate quatuor integros annos vixit, dummodo ad annum vicesimum pervenerit, et in vocatione firmus ac stabilis judicetur, de rebus suis omnino disponat, nisi patriæ leges diutius exspectare cogant."

c. — Quodsi accidat, ut quis nondum expleto novitiatus biennio, vel ante quadriennium ab ingressu expletum, in bonum Societatis suis se rebus abdicare velit, Generalis licentia obtinenda est. — Ord. c. I. §. 10. n. 7: „quodsi quis maturior erit ætate, cujus bona vel a nullo dependeant, vel exigi et recuperari sine offensione ac difficultate possint, referet ad Præpositum Generalem Provincialis, ut videat, an permittenda sit illi dispositio ante biennium... Quodsi forte ante quadriennium expletum aliqui abdicare se in solidum suis in Nostrorum usum voluerit, solius Patris Nostri judicio hæc abdicatio committenda." — C. 7. D. 17. n° 7: „si tamen quadriennii hujus tempore, sive de annuo censu, sive de rerum proprietate in externos piasque causas disponere vellent, impediendi non essent." — Ord. c. I. §. 10: nec Patris Generalis assensus ad id requiritur; sed tunc solum, si ante quadriennium expletum aliqui abdicare se in solidum suis in Nostrorum usum voluerint.

d. — Abdicatio si ultra quadriennium differatur, annui census non 626
possunt impendi ad augendam sortem, incipiendo a fine novitiatus. — C. 7. D. 17. n°. 6: „quando vero judicio Patris Nostri ob graves causas ultra quadriennium prorogata possessio fuerit, nullo modo ex annuis post novitiatum proventibus voluit quidquam possessionibus illorum posse accrescere sed in causas pias e Provincialis judicio fructus tales, cum in potestate Nostrorum fuerint, impendendos censuit." — Addit vero C. II. D. 15: „declaravit [Congregatio] relicta in suo vigore paupertatis obligatione intuitu subditi bona possidentis, nullum Provinciali per laudatum Decretum [C. 7. D. 17. n° 6.] in materia votove paupertatis gravamen imponi, neque valorem actuum elidi, quibus ipse de fructibus illis aliter disponat aut disponi permittat."

4. — Cum ex supra explicatis per votum paupertatis emissum 627
excludatur quævis dispositio facta proprio arbitrio, idem obtinet etiam in abdicatione bonorum; unde clarum est, in ea facienda recurrendum esse ad auctoritatem Superioris. Itaque:

a. — Ut licite fiat abdicatio, jam prærequiritur Superioris licentia obtenta. — P. 3. c. I. §. 7: „necesse non est, probationis tempore possessione bonorum suorum se abdicare, nisi id Superior post elapsum primum annum juberet," — Decl. F: quando hoc fieri debeat [abdicare se possessione bonorum] Præpositi Generalis, vel ejus, cui ille facultatem communicaverit, arbitrio relinquetur." — Idem est quoad beneficia ecclesiastica, Ex. c. 4. §. 5. — Ratio, quia post votum nemo potest jus proprietarii exercere.

628 *b.* — Abdicatio bonorum facta sine debita licentia Superioris, est peccatum contra votum paupertatis; requiritur igitur saltem licentia Superioris juste præsumpta. — C. 5. D. 50. §. 4. et D. 59: „Congregatio re accurate examinata, judicium Patrum Deputatorum approbavit, eum qui post emissa tria vota substantalia nostræ religionis sua bona distribueret sine Superioris facultate, votum paupertatis Societatis violare." — Etiam C. 5. can. 7: „qui post emissa tria vota substantialia [res suas] distribuit, vel iis se abdicat sine Superioris facultate, facit contra votum paupertatis." — Et cum verba hujus canonis absoluta et generalia sint, recte infertur, ea de quavis bonorum dispensatione valere, etiam si facta sit ad pias causas. Contra Suarez l. 4. c. 6. §. 6., qui aliter sentire videtur. Eodem modo recte infertur ex hoc canone tam generaliter expresso, illicitam et voto repugnantem etiam eam dispositionem esse, quæ non fiat juxta mentem et ex approbatione Superioris.

629 *c.* — Dispositiones vero de propriis bonis, sive sunt donationes inter vivos, sive ex testamento factæ, per se non sunt irritæ, si fiant sine licentia Superioris, possunt tamen ab eo irritari. — Suarez de relig. Soc. l. 4. c. 6. §. 12: „ego existimo, hujusmodi alienationes vel dispositiones .. de propriis bonis sine licentia Superioris non esse nullas ipso facto, sed validas, infirmas tamen et irritabiles per voluntatem Superioris." — Ita contra Molinam de justitia, t. 1. tr. 2. disp. 139., et contra Lessium de just. c. 4. dub. 5. nº 22. — Nam quod supra explicatum fuit: quum stante primo voto paupertatis jus possidendi radicale sive dominium directum persistat, persistere censetur etiam quod cum eo conjunctum est, jus disponendi, nisi per positivam constitutionem ablatum sit. Talis vero constitutio positiva, quoad validitatem dispositionis, nullibi in Instituto nostro invenitur, sed solum quoad liceitatem. Cum vero homo religiosus in agendo pendeat a voluntate Superioris, sequitur, hunc habere facultatem irritandi subditi sui actiones et dispositiones sine sua licentia factas. Quod si faceret, is qui ex dispositione subditi postea irritata res quasdam possideret, ad eas restituendas obligaretur, in quantum adhuc fieri posset.

630 5. — Bonorum abdicatio debet esse absoluta et perpetua. — Ex. c. 4. §. 1. — C. 7. D. 17. §. 4. — Clarius etiam in Ord. c. 1. §. 10: „abdicatio debet esse absoluta, absque ulla prorsus conditione, qua posita possit quis ullo unquam tempore abdicata recuperare; et propterea renuntiationis formula, recognoscenda a P. Nostro, ea esse debet, ut, quantum fieri possit, artificia nulla prosint eludere volentibus observationem eorum, quæ in hac materia Societas sibi esse cordi demon-

stravit." — C. 20. D. 7. §. 4: „omnis spes abscindatur unquam redeundi in possessionem bonorum, quibus renuntiatum est; quod aliquibus occasio esse posset tentationis et inconstantiæ."

Nota. — Recte igitur dicunt doctores, Societatem, si in ipsius favorem renun- 63
tiatio talis facta sit, non minus quam quemvis alium externum cui donata fuerint, eorum bonorum possessionem plenam et absolutam acquirere, nec teneri proin in casu dimissionis ea dimisso restituere. Ita Castropalaus, Molina, Suarez, et Sanchez (tr. 61. disp. 1. punct. 15.); imo tenent, idem obtinere, etiamsi renuntians bonis suis in favorem Societatis adhuc novitius esset. Addit vero Castropalaus: »adverto tamen, si in favorem Societatis renuntiatio facta est tempore novitiatus, et ante vota renuntians dimittitur, omnia ei redduntur ex æquitate, quamvis ex justitia nulla est obligatio. At si post vota biennii dimittitur, solum debet Societas, pro qualitate et quantitate receptæ donationis, alimenta renuntianti præbere, dum egenus est et aliunde non habet, unde sustentetur. Alioqui ob ingratitudinem revocare donationem poterit renuntians.«

6. — Requiritur dein, ut abdicatio sit universalis, comprehendatque 63
omnia bona et jura, pensiones, census, vitalitia, in quantum fieri potest. — C. 7. D. 17. §. 4. — Expressis verbis in Ord. c. 1. § 10: „debet abdicatio esse universalis, ita, ut bonorum omnium dominio, etiam personali, quin et jure omni exuere se Nostri teneantur, nihil penitus sibi reservando de quo ad libitum possint disponere."

Quodsi fieri bene non possit, ut talia jura personalia abdicentur formaliter, remanent quidem nominetenus huic personæ; attamen satis tunc provisum est, ut secundum legem paupertatis res omnes componantur. Habet enim C. 12. D. 37:

a) liberum hujusmodi pecuniarum usum nemini prorsus esse concedendum.

b) pensiones hujusmodi esse, quoad ejus fieri poterit, certo alicui Societatis domicilio applicandas, ad cujus Superiorem plena de pecuniis inde provenientibus dispositio pertineat.

c) denique, si hæc ex aliquo casu fieri applicatio non poterit, id certe fixum semper ratumque esse oportet: debere summam integram pecuniarum illarum sive pensionem venire in manus potestatemque Superioris, vel localis, vel provincialis, arbitrio Generalis. Et comprehenduntur tenuiores etiam pensiones. — C. 14. D. 14. et Ord. c. 1. §. 10. n° 5. — Inculcatur iterum in C. 20. D. 7. §. 1. cum addito: „vult præterea [præsens Congregatio], ut singulis declaretur, has pecunias sive pensiones accipi ut eleemosynam factam Societati, ad quam nullum jus retinent."

633 7. — In disponendo de bonis, quibus quis se abdicat, servandus omnino est ordo legis christianæ Proin:

a. — Si abdicans habet adhuc debita solvenda vel obligationes, quibus ex justitia tenetur, iis præ ceteris omnino satisfaciendum est, et quidem statim. — Ex. c. 4. §. 1: „eaque distributio primum in res debitas et obligatorias, si quæ fuerint, et tunc quam citissime fieri potest, providere oportebit." — Ratio in aperto est.

b. — Si vero ex justitia non obligetur, vel debitis satisfactum sit, bona applicanda sunt ad pias causas, vel ad pauperes sublevandos, prout devotio ordinata suaserit. — Ex. c. 4. § 5: „[bona] relinquere debent juxta suam devotionem, vel ei qui contulit resignando, vel ad pia opera applicando, vel alioqui dignis viris, quibus hæc instrumenta sint ad Dei obsequium, conferri curando." — Et §. 2: „reipsa bona sua relinquere ac pauperibus... dispensare debent, ut consilium evangelicum, quod non dicit: „da consanguineis", sed „pauperibus", perfectius sequantur; et ut melius exemplum omnibus exhibeant inordinatum erga parentes affectum exuendi, et incommoda inordinatæ distributionis, quæ a dicto amore procedit, declinandi." etc. — P. 3. c. 1. §. 7: „et tunc, qui se exuit bonis suis, sequatur Ghristi consilia, pro sua tamen devotione ad hoc potius, quam ad illud opus dispensare bona sua.... poterit, prout in Domino intellexerit ad divinum beneplacitum magis convenire." — Et decl. G: „disponat oportet [de bonis suis] ita, ut decet virum spiritualis vitæ sectatorem."

c. — Consanguinei etiam possunt sublevari ex bonis abdicantis, si recta ratio id postulaverit; in quo tamen, ne affectu minus ordinato fallatur, abdicans ipse statuere nihil potest. — Ex. c. 4. §. 3: „si tamen dubitaretur, num majoris foret perfectionis, dare vel renuntiare consanguineis hujusmodi bona, quam aliis, propter parem vel majorem ipsorum penuriam et justas alias ob causas, nihilominus ad declinandum errandi in hujusmodi judicio periculum, quod ab affectu sanguinis solet proficisci, contenti esse debebunt, negotium hoc arbitrio unius, duorum aut trium qui vita et doctrina commendentur, quos unusquisque cum Superioris approbatione elegerit, relinquere et in eo conquiescere, quod illi perfectius et ad majorem Christi Domini nostri gloriam esse censebunt." — Etiam P. 3. c. 1. G. — C. 2. D. 76.

Nota. — Qui ante renuntiationem proprie dictam bona sua fratri vendiderat ea conditione, ut census vitalicius ei (nempe Societati) solveretur, potest, quando tempus absolute renuntiandi advenit, hunc censum ex justa causa v. g. in sororem indigentem transferre. — 1836. – Qui bona sua parentibas se daturum promisit, et deinceps dubitans, an haec dispositio Evangelio satis conformis sit, pervigilio

suæ professionis rem judicio Provincialis absentis submittit, intendens dare vel pauperibus vel parentibus, prout hic melius esse judicaverit, id agere valide poterit. — 1836.

d. — Societas ipsa nullum omnino jus habet in bona eorum, qui 63
ingrediuntur; ipsos tamen certiores reddere de sua indigentia, quando in eo sunt, ut de bonis suis disponant, neque adversatur spiritui religioso, neque est contra mentem Constitutionum. Nam si homines externos de sua penuria edocere ei fas est, eo magis convenit, suis eam manifestare. Et ceteris paribus ipse donans fidelius agit juxta rectum charitatis ordinem, si in applicandis suis bonis eos externis præferat, cum quibus arctiore vinculo spirituali est conjunctus. — Th. 2. 2. q. 26. a. 7. — Sed caute valde agit in hac re Societas, ne inordinate quid et minus recte agatur. Nimirum:

α. — Abdicanti sua bona in favorem Societatis non relinquitur 63
designare locum, cui ea donare velit. — P. 3. c. 1. §. 9: „qui in ingressu ipso vel post ingressum ad obedientiam, motus sua devotione, vellet bona sua vel eorum partem in Societatis subsidium dispensare, haud dubie opus faceret majoris perfectionis, alienationis et abnegationis universi amoris proprii, non descendendo tenero quodam affectu ad particularia loca, nec juxta illum sua bona huic potius quam illi applicando: quin potius exoptando majus et universalius bonum Societatis... hoc judicium ei relinquet." — Decl. H: „Rectores vel Præpositi locales vel Provinciales, vel quicunque alii, cum quibus aget qui sic habet in animo sua bona dispensare, ut in ceteris rebus, ita et in hac, quod perfectius est quodque majoris meriti in divino conspectu, ei repræsentare debent." — Ex utraque ergo parte curandum, ut amor proprius affectusque naturalis in hoc negotio peragendo excludatur.

β. — Soli Præposito Generali competit facultas de bonis istis appli- 63
candis statuere. — P. 3. c. 1. §. 9: „hoc judicium ei relinquat, qui Societatis universæ curam habet, num applicari huic loco potius quam illi in eadem provincia debeant: quandoquidem ille melius quam quisquam alius intelligere potest, quid conveniat, et quid maxime urgeat in omnibus ejus locis; ratione habita Regum, Principum et aliorum Potentatuum, ne eis causa ulla offensionis detur; sed ad majorem ædificationem omnium, et spiritualem utilitatem animarum, et gloriam Dei omnia cedant." — cf. n° 783.

γ. — Generalis vero tenetur bona abdicanda in ipsa provincia relin- 63
quere ejusque domui alicui applicare. — C. 2. D. 23. (post el.): „tunc declaratum est, ut hæc bona in eadem provincia tantum, et non alibi, P. Generalis debeat distribuere. Et ad hanc legem et intellectum, quæ

P. 9. c. 3. §. 6. habentur, interpretanda sunt, si quo pacto de nostris Fratribus intelligi possunt." — Quæ provincia autem sit intelligenda, habet C. 3. D. 16: „et cum res diu multumque agitata fuisset, tandem decretum fuit, per „eandem provinciam" intelligendam esse provinciam, in qua sunt ipsa bona, non autem in qua quis in Societatem ingreditur aut versatur; sumpto tamen provinciæ nomine more Societatis, prout scilicet uni Præposito Provinciali subest, et in hujusmodi provincia tantum, et non alibi, bona illa distribui debere. Quodsi in eadem provincia sint plura dominia, diversis Principibus subjecta, adjecit Congregatio, diligenter servandam esse eandem Constitutionem, ut scilicet in transferendis hujusmodi Fratrum nostrorum bonis ex uno dominio in aliud ejusdem provinciæ Societatis, ratio habeatur Regum, Principum ac aliorum Potentatuum, ne in eis causa ulla offensionis detur, sed ad majorem ædificationem omnium et spiritualem utilitatem animarum, et gloriam Dei omnia cedant. Præter hæc autem, si quæ aliæ difficultates orirentur, Congregatio declaravit, eas omnino prudentia et auctoritate R. Patris Generalis esse submovendas."

638 7. — Cum vero plura Nostrorum seminaria alibi existentia valde egerent, permissum est Generali, primo ad tempus dein simpliciter, in eorum favorem bona aliarum provinciarum transferre. — C. 3. D. ult.: „[censuit major pars Patrum Deputatorum, ut] Congregatio Generalis relinquat R. P. Generali facultatem in eo [ut bona maneant in provincia] dispensandi in Collegio Romano et aliis seminariis provinciarum, pro judicio et arbitrio R. P. Generalis, habita ratione necessitatis et communis boni; ita ut, cum quis in his locis ad Societatem admittitur, possit Pater Generalis dispensare, et ejus bona, quæ in alia provincia fuerint, applicentur illi seminario.... Et hæc dispensatio perpetua non sit, sed interim locum habeat, dum Dominus alia ratione seminariis hujusmodi non providerit; vel certe usque ad aliam Generalem Congregationem." — In sequenti vero C. 4. D. ult.: „potestas dispensandi auctoritate hujus Congregationis deinceps perseveret, ut hactenus, usque ad proximam Congregationem Generalem." — Et C. 6. D. 8: „constitutum est, ut potestas illa dispensandi et bona ejusmodi seminariis Nostrorum egentibus applicandi, quemadmodum dictum est, hujus etiam Congregationis auctoritate concederetur intra regnum Hispaniæ; atque idem etiam de aliis quoque regnis intelligeretur." — cf. n° 783.

8. — Si is, qui in utilitatem Societatis bona sua applicaturus est, propenderet ad certum aliquem locum, Pater Generalis de hac re edocendus est. — P. 3. c. 1. H: „nihilominus si in eo propensio

animi ad locum unum potius quam ad alium (quamvis imperfectum id sit) cerneretur, etiamsi judicio Superioris suum submittere vellet, certiorem tamen reddere Generalem poterunt [Rectores etc.], vel eum, qui ejus gerit vicem, an sit aliquid hujusmodi imperfectionis tolerandum; sperando, quod ea cessabit aliquando, supplebitque divina bonitas, quod ad suam majorem gloriam et majorem ipsius perfectionem deesse cernitur." — Licet ergo Generali, talis propensionis rationem habere, vel non; expedit propterea, eum de necessitatibus domorum provinciæ certiorem reddere. — Reg. Prov. 88. — C. 2. canon 3. — Quodsi accidat, ut inscio Generali talis applicatio facta jam sit, ipse postea eam approbare potest. — C. 11. D. 17: „delato ad Congregationem judicio Patrum pro paupertate Deputatorum, de potestate Præpositi Generalis ad admittendam et ratam habendam post donantis mortem vel professionem donationem a Scholastico Societatis ante factam certo alicui Collegio: probavit judicium Congregatio suoque decreto firmatum voluit, esse in potestate Generalis, admittere et ratas habere donationes hujusmodi, non obstantibus contrariis rescriptis Præpositorum Generalium."

9. — Demum, omnium quorum pars aliqua est in hoc negotio 939
abdicandi applicandique bona, cura sit et sollicitudo quam maxima, ut omnia cedant in ædificationem tum internorum tum externorum. — Ord. c. 1. §. 10: „Patris Generalis erit, curare, ut in horum bonorum distributione offensiones declinentur, et ad majorem ædificationem omnium et gloriam Dei omnia cedant; habeaturque ratio pauperum ejus oppidi, in quo sunt bona. Quare in hujusmodi exactionibus conventionibusque Provincialis ipse potius, quoad fieri potest, per se hæc tractet, quam per Rectores ac multo minus per Procuratores, qui applicationum illarum spem aliquam conceperint." — Præcipue vero Reg. Prov. 89: „si aliqua bona applicabuntur Societati, cum facultate Generalis, magnopere curet Provincialis, ut cum ædificatione et charitate, et non cum rigore exigantur, potiusque per Procuratores externos, quam per nostros. Expediet quoque, ut ex his eleemosynæ aliquæ in pauperes ejus oppidi, ubi sunt bona, distribuantur. Et ratio dati et accepti talium bonorum scripto constet, ut ipse aut Superior illius domus vel Collegii, cui applicata fuerunt, eam reddere possit ei, qui a Generali fuerit designatus."

Nota. — Dictum est, applicationem faciendam esse juxta leges patrias. Quando 640
igitur ita se res habent, ut in actu abdicationis ipsius etiam fieri possit bonorum et jurium realis translatio in eum cui applicanda sunt, serventur omnino authen-

ticæ formæ juris civilis, ut actus applicationis habeat etiam valorem in foro civili. Hoc omnino observandum est ante ultima vota emittenda, quibus capacitas disponendi totaliter aufertur, et Professus vel Coadjutor formatus incapax fit in conscientia ad quemvis actum dispositionis de rebus temporalibus. — Sæpissime vero ea est conditio abdicantis, ut de facto nihil habeat, de quo disponat: quare tunc sufficit, ut scripto authentico Superiori declaret, se velle in conscientia omnia bona sua et jura, quæ nunc habeat vel aliquando habiturus sit, revera exuere et in talem personam vel causam piam transferre. Secundum hanc declarationem tunc in casu obvenienti res componendæ sunt.

ARTICULUS TERTIUS.

DOCUMENTA QUÆDAM ILLUSTRANTIA.

641 Cum sæpissime fiat, ut Nostri bonis suis se abdicare velint in bonum Societatis, propter ipsius indigentiam præcipue nostris temporibus, juvat afferre quædam documenta, quibus de facto huic rei difficili multum luminis affunditur.

RESCRIPTUM P. NICKEL 1656 Jan. 29.

Postulatum fuerat ab ipso: „an validæ sint dispositiones et renuntiationes Nostrorum ante susceptum gradum et permittendæ in Societate, quando de hæreditatibus primo post gradum sibi obventuris disponunt, et jus præsens pro futuris temporibus, quando amplius capaces non erunt, in alios consignent."

Respondit P. Nickel die ut supra: an tales resignationes sint validæ et permittendæ in Societate, sæpe alias dubitatum fuit. Inter postulata Provinciæ Romanæ Cong. 9. proponenda, erat:" an illa verba P. 6. c. 2. §. 12: „non solum particulares Professi vel Coadjutores formati hæreditariæ successionis non erunt capaces, verum nec domus, aut ecclesiæ, nec Collegia eorum ratione, „irritas reddant Nostrorum renuntiationes in favorem Societatis factas." — Respondit Congregatio in his verbis:" non est visum, disceptandum de hoc in comitiis, sicut nec in Cong. 8., cui idem propositum fuit a Provincia Bætica." Respondit autem Vincentius Carrafa et non semel: „quidquid sit, an irritæ sint hujusmodi renuntiationes, de quo disputant nostri auctores Sanchez, Laymann, Castropalaus, Cardinalis de Lugo, de facto admitti vetuit ob majorem puritatem paupertatis nostræ." Cui subscribit P. Piccolominus; ego etiam libenter subscribo, donec aliud statuatur, et accedo ad duorum meorum antecessorum sententiam, quæ videtur efficaciter posse confirmari decreto 38. Cong. 1.

RESCRIPTUM P. CAROLI DE NOYELLE 12 AUG. 1685.

Postulatum fuit Act. 52. Cong. Gen. 12: „an renuntiatarius habeat jus ad hæreditatem, quæ renuntianti obveniret post emissam professionem? Sive: an Societas habeat jus ad hæreditatem, quæ post emissam professionem obveniret ab intestato alicui Professo suo, qui ante emissam professionem sua omnia bona et jura renuntiaverit alicui domui aut Collegio Societatis." 642

Postulati hujus decisionem ad me remisit Congregatio, ut ante remiserat Cong. 8. ad P. Vincentium Carrafa, Cong. 9. ad P. Franciscum Piccolominum: qui duo antecessores mei, uti et duo illorum successores, P. Goswinus Nickel et P. Joannes Paulus Oliva (quidquid sit an irritæ sint hujusmodi renuntiationes) noluerunt et pluribus ad varias provincias rescriptis vetuerunt, hæreditates hujusmodi adiri a Societate, utpote, quod videatur clare deduci ex Decreto 38. Congregationis Generalis primæ, id repugnare puritati paupertatis, quam Societas profitetur. Ego itaque consentiens laudatis quatuor decessoribus meis declaro, renuntiationes hujusmodi a nobis habendas esse perinde ac si factæ non essent; adeoque non posse ex vi illarum adiri aut acceptari a Societate hæreditatem ullam, quæ Professo Societatis obveniret post emissam professionem.

EPIST. P[is] BECKX P[i] STUDER PER P. ASSIST. RUBILLON, 28 JULII 1860.

Cum quæstio esset sat gravis, debuit examinari et discuti. Clare 643
constitutum est, P. 6. c. 2. §. 12., Graduatum Societatis incapacem esse hæreditatis ab intestato et ex testamento; similiter Societatem incapacem esse hæreditandi loco et nomine Graduati. — Num Societas potest accipere hæreditatem unius ex suis membris, qui ante vota sua ultima fecit renuntiationem omnium bonorum et jurium suorum, præsentium et futurorum, in favorem Societatis? num potest, dico, adire hæreditatem, quæ non est aperta nisi post ultima vota Graduati, in virtute renuntiationis factæ in ipsius favorem a Graduato? — Uti dicis optime, scinduntur theologi; Castropalaus, Pelizarius, Diana tenent sententiam affirmativam; Sanchez, Laymann, Lugo econtra prorsus negant. Et quod plus est; provincia Bætica proposuit Congregationi octavæ postulatum de hac materia. Et duæ Congregationes noluerunt tractare hanc quæstionem. Sed Patres Generales Vincentius Carrafa, Piccolomini et Nickel, quæstionem theoreticam relinquentes in sua incertitudine,

responderunt: pro majore perfectione nostræ paupertatis, et ad tenendam decisionem et spiritum C. 1. D. 38., in praxi adoptandam esse solutionem negativam, et non accipere has successiones apertas demum post ultima vota, quando non obvenerunt Nostris nisi titulo successionis. — Nam si parentes declarant voluntatem suam donandi vel legandi filiis suis religiosis summam aliquam ipsis solvendam etiam post ultima vota eorum, tunc non in virtute quidem juris hæreditarii, quod deletum est in religiosis per ultima vota, sed virtute donationis legati, sive promissionis, cujus manent capaces etiam post gradum acceptum, Societas recipit hanc summam; et omnes theologi consentiunt, hunc modum agendi esse licitum.

Addendum est, quod ex Ord. Gen. c. 1. §. 10. n° 2, declarare debemus parentibus nostris, Societatem nullum jus habere in hæreditatem membrorum suorum. Nam justitia simul et pietas postulant, ut parentes sciant, jus, quod nobis dat lex civilis in ipsorum hæreditatem, non amplius valere in foro conscientiæ post ultima vota; alias putarent, se erga nos obligatos esse ex justitia, quum tamen non sint. — Inde est, quod declaratio, quam fecit Titius filio suo Cajo, insufficiens sit. Declarat nimirum, se intacta relinquere liberis suis omnia ipsorum jura in suam hæreditatem, postquam ipse clauserit oculos. Putabat igitur, Patrem nostrum Cajum post sua vota ultima adhuc gaudere jure suo in hæreditatem. Debuit Pater Cajus insinuare patri suo, legem civilem quidem ipsi semper intacta servare jura sua in hæreditatem: sed repugnare conscientiæ his juribus uti post ultima vota emissa in Societate. Si vellet igitur ipsi certa facere quædem bona post suum discessum, placeat sibi, hanc suam voluntatem edicere vel in ultimis suis dispositionibus, vel in scripto quodam separato, vel in simplicibus litteris. Tunc Pater Cajus, pauper JESU CHRISTI, accipiet hanc eleemosynam patris sui; repugnaret autem conscientiæ, facere valere jura hæreditaria post sua ultima vota. — Itaque 1° Pater Cajus potest nunc facere renuntiationem suam et emittere vota sua; hæc renuntiatio cedit aut non cedit in bonum Societatis, secundum ea, quæ faciet Titius. — 2° post professionem suam poterit actus facere et signare cum familia sua; qui actus ex parte sua non possunt aliquid aliud esse, quam declarationem, se resignare suæ parti hæreditatis, acceptare vero ea, quæ ipsi donare vellent.

EX LITTERIS P. ANDERLEDY AD P. HŒVEL 29 JAN. 1876.

644 1. — Sufficit per se, ut renuntiatio bonorum fiat ante ultima vota emittenda. Sic enim aufertur omnis spes redeundi in possessionem

bonorum, et finis primarius obtinetur. Requiritur autem, ut bona in abdicatione certo fini applicentur; attamen non semper pendet hic finis obtinendus ab ipso abdicante se bonis.

2. — Si cui obveniret hæreditas, quæ jam ipsius est, quam tamen accipere non potest nisi post ultima vota, tunc Collegium, vel arca seminarii (quæ repræsentat plura Collegia) recipiet hanc hæreditatem jure suo, si huic Collegio vel arcæ seminarii applicata fuerat. — NB: Collegia, domus, ecclesiæ Societatis sunt, quæ possident; Societas professa, Provinciales, Generales non possunt possidere. Generalis nec acceptat, nec possidet, sed applicat tantum bona.

3. — Si quis etiam sua bona Societati resignavit, hæc bona vero non ei obvenient nisi ex hæreditate, sensu civili, post sua vota ultima, tunc ex tali hæreditate nihil amplius potest obvenire Societati. Hoc sequitur ex responsis Generalium P. Carrafa, P. Piccolomini, P. Nickel, abstrahendo, uti dicunt, a quæstione juris, propter puritatem paupertatis nostræ. Etiam A. R. P. N. pluries in hoc sensu rem decidit. — Quæstionem juris tractat Lugo, Resp. moral. l. 4. d. 4. Ipsius argumentum hoc est: nemo donare potest, quod suum non est, nunc cum abdicat bonis, quia vivit pater vel consanguineus; non erit suum, quia mortuo patre vel consanguineo ipse acquirendi est incapax per sua vota; ipse est mortuus.

In praxi, si parentes adhuc superstites sunt tum, quando fit abdicatio, suaderem hunc modum:

a) ipse abdicans, consentiente et dirigente Superiore, contrahat formaliter cum parentibus juxtra regulam et Ord. c. 1. n° 10. Ista bonorum pars, quæ ex hoc contractu obsignatur ei, qui facit suam abdicationem, et quæ ab eo Societati donatur, obvenit Societati vi hujus contractus, non vero vi juris hæreditarii, etiam post ultima vota abdicantis; cum hic ante ea emittenda jus suum, quod revera habebat, in Societatem transtulit.

b) quodsi ante ultima vota contractus talis factus non est, Societas vi hæreditatis nihil acceptare potest, sed tantum vi eleemosynæ et spontaneæ oblationis.

c) etiam post vota ultima potest religiosus Societatis, sicuti donationes, sic etiam legata acceptare in bonum Societatis.

ARTICULUS QUARTUS.

DE PAUPERTATE PROFESSORUM ET COADJUTORUM FORM.

645 — De hac sermo jam fuit in Parte quinta, ubi agebatur de effectibus votorum solemnium, quæ Professi emittunt. Per exceptionem et ex positiva constitutione Pontificum iidem paupertatis effectus obtinent etiam in Coadjutoribus formatis, quamvis eorum vota sint simplicia tantum. — Gregorius XIII. in Bulla „Ascendente" 25 Maj. 1584: „quibus [votis ultimis] emissis, tam hi qui spirituales quam qui temporales Coadjutores formati fuerunt, certum in Societate gradum habent, suntque omnis hæreditariæ successionis incapaces, nihilque omnino proprii juxta Constitutiones easdem habere possunt. Nec propter emissa hujusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato in illorum, sicut nec in Professorum bonis, domus ulla aut ecclesia, vel Collegium dictæ Societatis succedere potest." — Sunt igitur hi effectus voti Coadjutorum ex jure pontificio speciali pro Nostra Societate, quo Coadjutores formati in paupertate omnino æquiparantur Professis. Unde est, quod ex bonis Collegiorum vivere non possunt, nisi aliquo munere in Collegio fungentes ibi degunt. — P. 6. c. 2. §. 4: „cum autem desierint utiles esse Collegiis, desinent in eis habitare, et in domibus
646 Societatis, ut de Professis est dictum, habitabunt."

Ponamus igitur effectus paupertatis utriusque hujus classis, Professis nimirum et Coadjutoribus formatis communes:

a) incapacitas cujusvis dominii temporalis: nihil omnino proprii habere possunt. — P. 6 c. 2. §. 11.

b) incapaces sunt cujusvis hæreditariæ successionis, tum ab intestato, tum ex testamento. — Ib. §. 12.

c) nulla beneficia ecclesiastica possunt retinere, nec a fortiore accipere. — Ex. c. 4. §. 5.

d) nullum jus habent in reditibus Collegiorum. — P. 6. c. 2. §§. 3. et 4.

Professi dum domi sunt, vivant ex eleemosynis. — Coadjutores, quamdiu in domibus sunt, quæ ex eleemosynis vivunt, et ipsi eodem modo vivent. — Vivent, sicut reliqui, ex Collegiorum reditibus, quamdiu eorum opera Collegia indigebunt.

SECTIO TERTIA.

De regulis Paupertatis.

Legenti Constitutiones nostras vel alias partes Instituti, multa occur-

runt, quæ constituta sunt circa paupertatem, vel prohibendo vel injungendo. Regulas has spectare ad omnes, cujuscunque classis sint in Societate, patet per se. Unde non sufficit proposuisse præscripta singulorum paupertatis votorum in genere, sed necesse est descendere ad particularia; eo magis, cum ex his particularibus observandis maxime formetur vita nostra quotidiana, meritumque observandæ paupertatis plurimum pendeat.

ARTICULUS PRIMUS.

PRINCIPIA GENERALIA.

Cum regulæ nostræ per se non obligent sub culpa, recte infertur, 647
non fieri eo ipso peccatum contra votum paupertatis, si quis agat contra regulam, in materia hac paupertatis aliquid prohibentem vel præcipientem. An fiat peccatum et quale, pendet non solum a materia regulæ, sed sæpissime etiam a modo, quo regula læditur. Juvat proin proponere principia generalia circa hanc rem.

1. — Tenendum est, voto paupertatis prohiberi quemvis usum et quamvis dispositionem de rebus externis ad modum proprietarii; tum omne rerum temporalium dominium, excepto dominio directo in eo, qui, post emissa vota simplicia in fine novitiatus, nondum se abdicavit bonis suis, modo tamen supra explicato.

2. — Quamdiu igitur non eatenus se extendit regula, ut prohibeat 648
aliquam actionem ad modum proprietarii exercendam, sive in usu et dispositione sive in dominio, ejus transgressio nondum est peccatum contra votum, sed potius defectus et imperfectio in materia paupertatis. Nihilominus in transgredienda etiam tali regula plerumque committitur peccatum contra aliam virtutem, v. g. contra temperantiam, parcimoniam, obedientiam, cum tales regulæ læsiones plerumque ex affectu quodam minus ordinato procedant. Quod si tamen fiat ex ignorantia vel inadvertentia adsitque intentio bona, facile omne peccatum abest.

3. — Porro norma generalis hæc est, ut possessio vel usus alicujus rei tunc habeat naturam proprietatis, si sit sine consensu et licentia Superioris, vel expressa, vel saltem rite præsumpta.

4. — Gravitas vero culpæ, ceteris paribus, deducitur ex gravitate materiæ; quæ in eadem re diversa esse potest. Sic retentio et usus alicujus rei ad breve tempus et in quo nec res ipsa consumitur, nec alteri gravis molestia fit, non est peccatum grave contra paupertatem, etsi res ipsa pretiosa sit. Quare v. g. mutuo dare vel accipere ad

usum libros pretiosos sive manuscripta, præsertim inter nos, non esset peccatum grave, nisi forte domui ex tali actione detrimentum vel damnum grave oriatur. — Suarez l. 4. c. 8. §§. 1. et 2.

5. — Recte distinguitur inter obligationes paupertatis negativas et positivas, sive non uti rebus, et uti recte. Quum vero paupertas proprie consistat in carentia rerum externarum, nemo non videt, obligationes negativas sive prohibentes frequentiores esse debere, faciliusque voto obversari. Usus vero rerum ad vitam necessariarum non videtur directe cadere sub votum paupertatis, sed esse potius materia aliarum virtutum. Attamen paupertatis est, etiam in hoc usu præscribere rectum modum; et potest paupertas etiam quasdam actiones paupertatis directe præscribere, qualis esset v. g. mendicare ostiatim etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

OBLIGATIONES PAUPERTATIS NEGATIVÆ.

649 1. — Non licet nobis rem aliquam tanquam propriam tenere, nec ea tanquam propria uti, in iis nimirum quæ vitæ necessaria sunt, uti victus, potus et similia. Quare non est permissum, talia in proprio cubiculo habere, nec facile in hac re dispensatur. Valde ad rem sunt, quæ habet Suarez l. 4. c. 7. n° 2:

„Non habere proprium et privatum dominium rerum [ad vitam necessariarum] commune est omnibus religiosis. Non posse autem habere privatam possessionem harum rerum, vel in magna vel in parva quantitate, cum generali facultate utendi illis, non est commune omnibus. Multis enim licet, vel per regulam vel per consuetudinem non prohibente regula, privatim hæc possidere, i. e. in propriis cellis, sub propria custodia illas tenere et suo arbitrio illis uti, non ex dominio, sed ex generali licentia. Alii vero ex sua regula et consuetudine carentiam hujus usus et possessionis profitentur. Et non est dubium, quin intra latitudinem paupertatis hoc sit ex suo genere melius, ceteris paribus; tum quia magis distat a sufficientia divitiarum et in rebus maxime necessariis, cujusmodi sunt eæ, de quibus loquimur; tum etiam propter difficultates multas, quæ superandæ sunt, si vel necessitati vel appetitui corporis ex solis rebus communibus, quæ sub possessione et custodia religionis sunt, subveniendum sit; idque semper judicio et arbitrio Superioris, et non propria voluntate, et petita semper facultate; quod eo magis est onerosum, quo materia est contemptibilior magisque humana, atque adeo religiosæ personæ pudibunda. Tum denique, quia hæc

paupertas plures aufert occasiones vel intemperantiæ, vel superfluæ delectationis, vel inutilis aut otiosæ conversationis." — n° 3: „ex hac sequitur alia observantia paupertatis, ut si quidpiam hujusmodi alicui religioso in particulari mittatur, admittendum non sit in ejus peculiarem possessionem vel usum."

2. — Non permittitur, in proprium usum aliquid accipere; sed quod donatur, communi usui inserviat. — C. 6. D. 21: „non licere Nostris... 650
quidquam ad proprium usum et dispositionem accipere, neque ad id Superiores concedere facultatem posse [confessariis Principum]. Idem voluit Congregatio intelligi de aliis confessariis, concionatoribus, præceptoribus et similibus erga pœnitentes, devotos, consanguineos, amicos; et maxime observari debere ab iis, qui in missionibus versantur. Quodsi sponte ab aliquo quid offeratur, aut alicui [particulari mittatur, id juxta regulas in communem usum accipiatur et dispensetur. In casibus vero particularibus et prudentia Superiorum videbit, quid fieri expediat, et ubi dubium esset, ad R. P. Præpositum Generalem recurretur." — Reg. Præp. 64. — Rect. 60. — Ord. c. 4. §. 9. — C. 12. D. 43: „ut vita communis... incolumis ac illibata servetur in posterum, decrevit Congregatio... nulli licitum esse ea, quæ ad victum... pertinent sibi alia quacunque via [nisi per Superiorem accipiendo] quærere aut per alios procurare, nec penes ipsos Superiores, ac etiam Provinciales vel quoscunque alios esse, hanc illis facultatem dare." — Idem in Instr. 1. §. 6. — Instr. 15. c. 1. §. 2.

Quo vero sensu hæc restrictio dandæ facultatis ex parte Superiorum accipienda sit, habet Responsum ad Postulatum n° 8. Austriæ 1633: „verba illa, C. 6. D. 21. et Ord. c. 4. §. 9: „nec Superiores ad eam rem ullam facultatem concedere possunt," intelligenda sunt de facultate generali." — cf. n° 778.

3. — Abusum esse dicitur, in cubiculo duplices vestes servare. — 651
Instr. 1. §. 5: „tollendus videtur ille abusus, ut alias ordinatum est, ne scilicet in Nostrorum cubiculis duplices vestes habeantur, sed apud vestium custodem, ut est communis Societatis consuetudo, serventur; quod etiam de aliis rebus, quæ in usu non sunt, qualia sunt instrumenta quædam ad iter agendum et his similia, intelligendum est." — At eo magis serio monentur Superiores, ut tales res in communi sat abundanter habeantur. — Instr. 14. §. 2: „liberalem se exhibeat [Superior], debito cum amore, ne dum paupertatis velimus amantes nimium videri, charitas ipsa lædatur, et occasio illis [missionariis et conciona-

30

toribus] detur, dum aliunde, inconsulto Superiore, sibi providere coguntur, aliquid patrandi, quod proprietatem sapiat. Quare Provincialibus enixe incumbendum erit, ut in majoribus Collegiis, et proportione quadam in minoribus, impensis provinciæ vel aliqua alia ratione, peculiaris quispiam locus sit, in quo hujusmodi res asserventur, ex quo necessaria concionatoribus atque iter agentibus abunde suppeditentur."

Nota. — Jam vero ut ipsi paupertati consulatur, dum a consuetudine honestorum sacerdotum non recedimus, permittitur, ut duplicem vestem talarem sacerdotes habeant; et præterea pro æstivo tempore vestem superiorem leviorem, saltem pro operariis. — 1838. — Tolerari possunt argentea perspicilia, si ab honestis sacerdotibus passim usurpantur, et ceterorum pretium non multum excedunt. — 1845.

652 4. — Prohibitum est, libros habere proprios, in libris aliquid inscribere, eos de uno loco nobiscum in alium transferre. — Reg. Com. 8: „libros nemo habeat sine facultate; in iis vero, quibus uti licet, nec scribat quidquam, nec notam ullam imprimat." — P. 4. c. 6. G. — Ord. c. 4. §. 15: „nemo in libris, quos de Superiorum licentia apud se habet, inscribat „ad usum", quod paupertatis perfectioni et puritati repugnat; sed in iis, quos de Superioris licentia externorum pecunia coëmerit, ut ipse utatur (qui tamen ex uno in aliud Collegium asportandi non erunt), satis erit inscribere nomen Collegii vel domus, cui sunt applicati."

Nota. — Aliæ religiones plures in retinendis secumque ferendis libris indulgentiores sunt; Societas secundum suum vivendi modum juste strictiorem sequitur regulam paupertatis. Mirum enim est, quantopere viri alias optimi et sancti ad libros suos tenaciter sæpe afficiantur, non sine jactura paupertatis charitatisque fraternæ. Et quot expensæ deberent fieri pro libris transmittendis, si quis transferatur in aliam domum, secum portans suam quasi bibliothecam. Ferret hoc paupertatis lex pro una alteraque fortasse vice; sed cum nostræ vocationis sit, ut ita dicam, peragrare mundum, eædem expensæ, majoresque etiam sæpe repetendæ essent.

653 5. — Obstat regula, ut quis clausum quid teneat. — Reg. Comm. 11: „nullus ita cubiculum suum claudat, quin aperiri extrinsecus possit; aut arcam seu quidquam aliud habeat obseratum absque Superioris facultate." — P. 4. c. 10. §. 5. et D. — Ratio est, quia tenere clavem denotat aliqualem saltem potestatem rei clausæ quoad dispositionem ejus; fortior etiam ratio, quod res clausæ Superiori non præsto sunt ejusque arbitrio subtractæ. Imo res clausæ quasi propriæ sunt ejus qui eas tenet, nec patent usui ceterorum, quum tamen apud nos omnia communia sint communique usui inservire debeant juxta regulam nostram.

6. — Non fert usus noster, dare vel accipere munuscula, nec tunc etiam, si sint devotionalia quæ vocantur. — Instr. 13. c. 5. §. 3.: „usus vero accipiendi mittendique [talia devotionalia] etiam cum facultate omnino corrigendus videtur; nec tam faciles se Superiores exhibeant in facienda hujusmodi potestate præsertim generali.“ — Ratio affertur in C. 6. can. 7: „ut illi [confessarii] integre suum obeant munus, utque nullum in Societatis ministeriis paupertatis nostræ puritas detrimentum patiatur.“ 654

Nota. — Inter sæculares mos invaluit tradendi in signum grati animi amicæque affectionis photographias propriæ personæ, in cujus vicem acceptans tunc tradit suam, ad servandam mutui amoris memoriam. Periculum est, ne sint inter Nostros, qui hunc morem sequantur paulatimque suum efficiant. Absit; ne imitemur morem hunc sæcularem et plerumque mere naturalem. Quodsi enim talis consuetudo invaluerit, revera paupertatis lex non ferret has expensas omnino superfluas et irrationabiles. Et quod magis gravat: ex tali donatione mutua, maxime si fiat inter confessarium et filias spirituales quæ vocantur, vix non oritur affectus ille naturalis, imo sensualis, qui impedit solidum et vere supernaturalem fructum nostri ministerii, estque non raro magnorum periculorum origo.

Qui nunc sequuntur duo numeri: de non accipiendo temporale pretium pro ministerio et de non faciendo negotium nec ejus speciem, tanti momenti sunt, ut non possint, quo ceteri modo brevi absolvi. Quare juvat de iis facere separatos articulos.

ARTICULUS TERTIUS.

NIHIL ACCIPIENDUM PRO MINISTERIO.

Statim ab initio quo S. Ignatius cum suis Sociis aliquam vitæ 655
agendæ normam constitueret, ex omnium consensu vetitum fuit, pro iis, quæ in salutem proximorum operabantur, aliquod temporale pretium admittere. Legimus enim in Orlandini Hist. Soc. p. 1. l. 1. n° 91., ubi narratur de primis votis, quæ emiserunt Parisiis in Monte Martyrum, festo Assumptæ in cœlum Deiparæ 1534: „Voverunt præterea, nihil se unquam in Missæ sacrificium accepturos, tametsi id honeste et suo jure possent. Obstruenda videlicet jam tunc erat cupiditati janua; quo et paupertas evangelica custodiretur arctius et calumniantibus occurreretur hæreticis, quibus videri possent pietatis specie quæstus et lucra facere.“ — Habetur etiam ibidem l. 3. n° 3. de B. Petro Fabro: „Interim tamen perficiendo animo suo et cœlestis militiæ exacuendis armis intentus, sciens quantæ essent in paupertate evangelica vires ad opem supernam demerendam et infernos spiritus profligandos, novum

ejus votum adjecit. Nam 14 Cal. Dec. 1541 proprio se voto obstrinxit, nunquam se vel pro evangelio, Missæ sacrificio, vel pro cognoscendis laxandisque peccatis aliquid accepturum." — Mirum igitur non est, hanc rem in formula Instituti contineri, quæ summo Pontifici exhibita fuit ab eoque approbata: — „Exposcit debitum" 21 Julii 1550, ubi enumeratis singulis ministeriis a Nostris suscipiendis ita pergitur: „[Societas] ad reliqua charitatis opera, prout ad DEI gloriam et commune bonum expedire visum erit, exsequenda, gratis omnino et nullo pro suo in prædictis omnibus labore stipendio accepto, se utilem exhibeat."

Ex. c. 1. §. 3: „nec etiam (quamvis aliis sit licitum) pro Missarum sacrificiis vel prædicationibus vel lectionibus vel ullius sacramenti administratione vel quovis alio pio officio ex iis, quæ juxta suum Institutum Societas potest exercere, stipendium ullum vel eleemosynam, quæ ad compensationem hujusmodi ministeriorum dari solet, ab alio quam a DEO (ob cujus obsequium omnia pure facere debent) possunt admittere."

P. 6. c. 2. §. 7: „omnes qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint, se gratis dare debere quæ gratis acceperunt, nec postulando, nec admittendo stipendium vel eleemosynas ullas, quibus Missæ, vel confessiones, vel lectiones, vel visitationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur, ut sic majori cum libertate possit et proximorum ædificatione in divino servitio procedere." — Et decl. G: „quamvis quicunque voluerint, domum vel ecclesiam eleemosynis juvare possint (sive in spiritualibus ipsi ab ea juventur sive non), tamen non debet quidquam accipi tanquam stipendium, vel eleemosyna pro iis, quæ ob solum CHRISTI Domini nostri obsequium eis communicantur, ita ut hoc detur aut accipiatur pro illo." — P. 4. c. 7. §. 3. — P. 7. c. 4. §. 4.

P. 10. §. 5: „refert plurimum ad conservationem et augmentum totius hujus corporis, procul admodum omnem avaritiæ speciem ablegasse: nullos reditus, vel possessiones, vel stipendia pro verbi DEI prædicatione aut lectione aut missis aut administratione sacramentorum aut demum rebus quibuslibet spiritualibus (ut est in sexta Parte dictum), admittendo nec ad suam utilitatem reditus Collegiorum applicando."

C. 12. D. 39: „ne tamen in ea re ullus supersit dubitandi locus, declarat insuper [Congregatio], nullius Superioris ac ne Generalis quidem posse super ea vel licentiam vel dispensationem seu licitam seu validam esse." — C. 16. D. 21: „postulatum fuit a Congregatione, ut declararet, an contra regulam et paupertatem peccet is, qui oblatam pro Missa eleemosynam non accipit pro se, sed ut eam pauperibus

largiatur. Censuit Congregatio, eum utique peccaturum, si oblatam eleemosynam non omnino relinquat offerentis arbitrio, sed de illa etiam ad pios usus quacunque ratione disponat." — C. 22. D. 42 et 43. de extraordinario Collegiorum statu.

In re tanti momenti juvat distincte proponere, tum, quis sit hujus regulæ formalis sensus, tum quæ ejus obligatio et efficacia.

I. QUIS SIT SENSUS HUJUS REGULÆ.

Si loquimur de sensu hujus regulæ, intendimus proferre, quæ ea prohibeantur, quæ permittantur.

1. — Vetitum est in Societate, pro ministerio exhibito postulare, 656
acceptare, admittere temporale quid, sive pecuniam, sive quod pecuniæ pretio æstimetur, tanquam stipendium seu solutionem ex obligatione factam, vel etiam eleemosynam tanquam compensationem pro ministerio, cujus eleemosynæ exigendæ jus habeamus. Et vetita sunt hæc, sive fiant in ipsius personæ ministerium præstantis favorem, sive etiam in bonum Societatis, sive etiam personæ tertiæ, si donatario dispositio rei acceptæ relinquatur. Et omnia hæc vetita quidem sunt, non solum, si intentio solvendi ex debito in offerendis talibus manifesta appareat, sed etiam tunc, si ea quodammodo lateat et præsumatur tantum. Et proin essentia hujus prohibitionis in eo est, ut non fiat nobis ex ministerio vel minimum jus postulandi aliquid, neque ex altera parte obligatio ulla solvendi quid pro eo.

2. — Ministerium intelligitur proprie sacrum seu functiones sacræ: dicere Missam, audire confessiones, concionari, theologiam docere, et similia. Hoc expressis verbis dicitur in Ex. c. 1. §. 3: „pro ullius sacramenti administratione vel quovis alio pio officio ex iis, quæ juxta suum Institutum Societas potest exercere." — Ergo pia officia, sacræ functiones.

Sed latius patent, quæ habentur in P. 6. c. 2. §. 7: „vel confessiones vel lectiones vel visitationes vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta nostrum Institutum exercere potest." — Clare hic enuntiatur, non solum pia sive sacra ministeria intelligi, sed omnia prorsus, etiam magis sæcularia, quæ juxta Constitutiones nostras perficiuntur: instruere in Collegiis, grammaticam vel alias disciplinas ibi docere. — In P. 10. §. 5. ubi refertur ad locum modo prolatum, explicatur quidem ejus sensus sic: „demum pro rebus quibuslibet spiritualibus, ut est in sexta Parte dictum", ita ut verba Partis sextæ:

„quodvis aliud officium" hoc iterum restringi videantur per verba: „rebus quibuslibet spiritualibus" ad spiritualia proprie dicta. Hoc tamen non obtinet, et sensus latior tenendus est; nam Societatis usus et traditio semper fuerunt, ut omnia ministeria, tum sacra, tum profana gratis omnino exhiberentur. Quod jam P. Natalis ita explicavit.

Confirmantur hæc per varia Responsa Generalium primis jam temporibus edita. — In Aragoniam 1581 · „pro nullo officio licet accipere stipendium, ne pro lectione grammaticæ quidem." — Et 1590: „pro lectione linguæ Indicæ vel grammaticæ potest accipi quotannis aliqua summa pecuniæ, non ut stipendium, nam hoc repugnat Const. P. 6. c. 2. §. 7., sed ad necessariam Nostrorum sustentationem." — Quid vero „necessaria sustentatio" esse intelligatur, eruitur ex comparatis inter se C. 14. D. 25. et C. 12. D. 40. et C. 22. D. 42 et 43.

557 3. — Non obstat regula, quin post facta a nobis ministeria, etiam si spiritualia sint, v. g. administratio sacramentorum, acceptemus eleemosynam, ultro et ex gratitudine nobis oblatam; nam talis pura eleemosyna nec naturam nec finem habet vel stipendii vel compensationis. Nec refert, quod hæc eleemosyna detur *post* exhibita a nobis ministeria vel cum *respectu* ad ea; quia liberalitas et gratitudo non supponunt pactum aliquod factum esse, neque intendunt stipendium vel compensationem præbere.

Huic interpretationi tamen obstare videtur Ord. c. 1. §. 14. ubi omnia prohibentur accipi, quæ intuitu ministerii etiam tanquam eleemosynæ offerantur: „sed si eleemosynæ ab iis mittantur, quorum filii scholas nostras frequentant, et conjectura sit (sumto judicio ex circumstantiis personarum ac modo dandi et loquendi), mitti pro compensatione vel intuitu ministerii, admitti non debent, donec plane intelligant, accipi non posse, nisi nomine eleemosynæ, secluso omni alio respectu; atque hoc eodem modo ipsi quoque largiantur. Idemque est judicium de eleemosynis, quæ postquam Nostri alicubi concionati sunt, ad domus vel Collegia interdum mittuntur a Prælatis vel a civitatibus vel aliis." Claudius. — Hæc ordinatio primo intuitu sat stricta est, continet tamen ipsa jam sufficientem hujus rei explicationem. Et exstant alia documenta sat multa, ex quibus intelligitur, etiam post præstita a nobis ministeria accipi posse eleemosynam puram et simplicem, quæ alias oblata non fuisset. Afferamus quædam.

a. — Pater Southwellus, Secretarius Societatis, interrogatus de hac re respondit 1 Maji 1605; „etiam multos alios torsit dubium Reverentiæ Vestræ, et satis stricte concepta fuit illa Patris Claudii expli-

catio §. 14. Recentiora Responsa Generalium sunt aliquanto molliora, et permittunt admitti eleemosynas etiam post ministeria, quando offeruntur ex gratitudine, et præmissa, ut sæpe fit, ex parte nostra protestatione, nos non posse accipere pro compensatione aut stipendio etc. Ita accipiuntur v. g. Parisiis, præmissa protestatione, quotannis post conciones quadragesimales in variis parœciis, eleemosynæ, quæ sine intuitu ad illud ministerium certe datæ non fuissent. Ita in domo Professa Romana, quoties Nostri navant operam in audiendis confessionibus alicujus monasterii juxta privilegium Concilii Tridentini, solent illa monasteria mittere eleemosynam aliquam ad domum nostram; et ita alibi. Quare verba illa, Ord. c. I. §. 14: „pro compensatione vel intuitu ministerii" intelligi debent: „intuitu ministerii per compensationem vel stipendium remunerandi." Et congruit Declarationi seu Decisioni, quam invenio approbatam manu sancti Ignatii, qua dicebatur, ponendum esse in Bulla pro Instituto: non posse nos accipere pecunias seu illarum valorem pro Missis, nec pro administratione Sacramentorum, nec pro verbo DEI, vel pro aliis ministeriis; ita tamen, ut nullus scrupulus relinqueretur accipientibus eleemosynas *post* ejusmodi Missas, etc., sed *non pro* illis. Hæc prohibuit Ignatius circa annum 1548."

b. — In Congregatione duodecima agebatur expresse de hac re, et præscriptus est modus, quando et quomodo post peractos labores aliquid accipi posset. — C. 12. D. 40. n° III: „si tamen urgeat ille, velitque ultro et sponte, ac titulo puræ et liberalis eleemosynæ dare, poterit in eo casu Superior in utilitatem domus seu Collegii cui præest, accipere." — Ita res sancita fuit ab auctoritate in Societate suprema, post varia Generalium Responsa in eundem sensum edita, præsertim 1651 et 1655.

c. — Recentiori tempore exstat Responsum Patris Roothaan ad Procuratorem Prov. Paris. 1841: „dans les circonstances où la Compagnie se trouve en France, il suffit qu'on sache, d'une manière quelconque, que la Compagnie n'accepte pas d'honoraires pour les ministères qu'elle exerce. Cette opinion sera bientôt établie, si nos prédicateurs ne montrent aucun empressement, mais se contentent de ce qu'on donne; si l'espérance de recevoir une bonne aumône n'influe pas trop sur les choix des stations, missions, etc., et qu'on soit également disposé à aller où l'on est sûr de ne rien recevoir."

4. — Huic nostræ regulæ: „gratis accepistis, gratis date", non congruere videtur, quod Societas acceptat Collegia fundata, in quibus omnes litteræ, etiam sacræ docentur, omniaque etiam sacra ministeria exer- 658

centur; fit igitur, dicunt, ex fundatione compensatio vera pro laboribus. — Non sufficit quidem respondere, fundationem seu reditus esse ad Nostrorum sustentationem, et non proprie ad compensandos labores in Collegio præstitos. Hic titulus sustentationis præbendæ non plene explicat rem. Nam sacerdos sæcularis acceptans pro celebrando sacro stipendium etiam ad sustentationem suam illud acceptat; et tamen est verum stipendium cum obligatione justitiæ ex utraque parte, et offerentis et acceptantis. Ergo nil juvat recurrere pro nostris Collegiis ad hanc explicationem; quare aliter dicendum est:

a. — Societas acceptat quidem fundata Collegia, sed se non obligat ad ministeria *sacra*; hæc post acceptum Collegium fidelibus exhibentur omnino libere et ex sola gratitudine. Stricta hæc explicatio invenitur in P. 4. c. 7. §. 3: „quum tam proprium sit nostræ professionis, nullum temporale præmium accipere pro spiritualibus ministeriis, in quibus juxta nostrum Institutum in proximorum auxilium occupamur, non convenit, ullam Collegii dotationem admittere, per quam ad dandum concionatorem aut confessarium aut lectorem aliquem theologiæ Societas obligetur. Quamvis enim æquitatis et gratitudinis ratio nos ad serviendum cum majori diligentia in dictis ministeriis, quæ nostri Instituti sunt propria, moveat in Collegiis, quæ majori cum liberalitate et devotione fundata sunt, non tamen sunt recipiendæ obligationes vel conditiones, quæ sinceritatem impediant nostri in procedendo modi, qui est dare gratis, quæ gratis accepimus: quamvis pro eorum sustentatione, qui communi bono Collegiorum serviunt, vel propter illud student, dotatio, quam fundatorum charitas assignare ad gloriam divinam solet, admittatur." — Hunc textum Ignatius statim in decl. E. aliquatenus ampliorem reddit: „ubi Præpositus Generalis vel Societas curam susciperet alicujus universitatis, non repugnaret hujus Constitutionis intentioni, ut sese *ex consequenti* obligaret ad lectiones illius ordinarias, quamvis inter illas aliquæ theologicæ essent."

Res clara fit ex modo, quem primitus jam Patres nostri in accipiendis Collegiis fundatis sequebantur, in Hispaniis maxime, ubi jam ab initio ortæ Societatis Nostri tantopere compellebantur ad docendos erudiendosque pueros. Hoc eodem modo in recipiendis Collegiis in Germania, Ratisbonæ nimirum et Spiræ, Pater Natalis agebat: fundatores offerebant donabantque Societati Collegium sine ulla prorsus obligatione, quæ contractum diceret obligationemque justitiæ secum traheret. Quum vero Societati satis constaret eo ipso, quæ sint fundatorum desideria quæque eorum intentio in fundando Collegio, ipsa Societas Nostris explicat imponitque, quæ in Collegio acceptato agenda faciendaque

sint, utique secundum mentem fundatorum, quæ non poterat esse alia, quam ut in Collegiis nostra ministeria exercerentur. Non fit igitur inter offerentem et acceptantem pactum sive contractus, ex quo Nostri ex justitia obligentur; sed est voluntas Societatis, seu potius Patris Generalis mandatum, ex quo in Collegiis Nostri teneantur ad diversos istos labores suscipiendos paragendosque.

S. Franciscus Borgias, quocum Pater Natalis hanc rem communicavit, non prorsus convenire hunc modum puritati paupertatis nostræ existimavit. Nihilominus hic modus postea etiam a Generalibus tenebatur et approbabatur, uti est in Consult. Rom. 1598: „potest tamen et subinde solet Generalis mandare Nostris, ut perpetuo doceant lectiones istas in illo loco, ubi facta est donatio ad illas lectiones; ita ut Collegium ad eas maneat obligatum non donatori seu fundatori, sed Generali mandanti." — Ita de ministeriis Collegiorum proprie sacris, in quibus comprehenduntur lectiones theologiæ.

b. — Quoad functiones non sacras in acceptandis Collegiis Societas cum fundatoribus conventionem aliquam inire et ad eas etiam se obligare potest. Sanctus Ignatius jam ipse scripsit 25 Aprilis 1556: „Collegium summum obligari potest ad inferiores classes, non ad sacras." — Et resp. Venet. 1596: „philosophiam et mathematicam possunt Nostri conventione aliqua promittere." — S. Franciscus Borgias Ratisbonam scripsit, 24 Jan. 1570: „circa fundationem Collegii Trevirensis, quoad Capitulum sese opposuerit eo quod Societas nullam vellet obligationem: non ita est, quia potest accipere aliquas, quamvis non theologiæ, confessionum aut concionum."

Nota. 1 — Ceterum hæ obligationes, quas admitti in Societate diximus, non 659 sunt obligationes justitiæ, quales in stipendiis reperiuntur, quæ a Societate usquequaque aliena et proscripta sunt; sed sunt obligationes tantum ex promissione fidelitatis, ex quibus ad stipendium jus nullum existit. Atque ideo, cum dicitur, Societatem pacisci posse de lectione grammaticæ, rhetoricæ, philosophiæ, mathematicæ, non intelligitur pactio seu contractus justitiæ obligationem inducens; qualis est, quando datur alicui pecunia in sustentationem illius sub obligatione operis peragendi, et ille hanc obligationem acceptat; qua ratione pecunia illi data vocatur stipendium: sed est pactio ex promissione, fidelitatis tantum obligationem inducente, quæ non dat actionem fundatori; neque inde, quod in sustentationem datur, inducit obligationem stipendii. Scilicet Societas accipit fundationem a fundatore oblatam, ac tum libere se obligat, promittendo lectiones grammaticæ et aliarum liberalium artium, ex virtute fidelitatis procurandas per Societatem.

Notandum autem, in his ipsis obligationibus suscipiendis nihil temere agi in Societate, neque suscipi eas ubivis et a quovis posse, sed pertinere ad Præpositum Generalem, quid et quantum in quoque loco suscipiendum sit, judicare et concedere. Quod expresse habetur in Const. P. 4. c. 2. §. 4. B. hisce verbis: »de aliis obliga-

tionibus lectionum vel lectorum non hic agitur. Verumtamen et hæ ipsæ in Collegiis et Universitatibus non sine magna consideratione nec ultra limitem, quem Præpositus Generalis convenire ad commune bonum et ipsius Societatis, ad Dei et Domini nostri gloriam, judicaverit, assumentur.«

Ex his omnibus patet: — 1) recte dixisse Castropalaum, lib. 16. disp. 3. p. 11. n' 5. in fine, Societatem in fundatione Collegiorum duobus modis obligari posse, scilicet ex gratitudine, ut fit in spiritualibus ministeriis, et ex fidelitate, quod fit in reliquis; non item ex justitia. — 2) Quid dicendum sit absolute ad quæstionem hujus paragraphi: scilicet Societatem accipere fundationem in sustentationem Suorum, sed sine omni obligatione justitiæ. — Cap. Œtting. n⁰ 275. seqq.

560 *Nota.* 2. — In C. 22. D. 42. et 43. sermo fit de extraordinario statu Collegiorum, quæ nostris temporibus pluribus in locis exstant. Quæ non sunt (uti prius fiebat) fundata, nec ex fundatione Nostris sustentationem tribuunt, sed hanc hauriunt Nostri ex iis, quæ scholares et alumni offerunt. — 1) Plurima pars Patrum declaravit in D. 42: non esse contrarium nostro Instituto, loco dotationis a scholaribus seu eorum parentibus retributiones pro sua sustentatione accipere, ubi agitur de debita ac necessaria Nostrorum sustentatione, quæ aliunde haberi non potest, quamvis nihil liceat Nostris pro ministeriis vocationis nostræ accipere in compensationem seu stipendium. Attamen de hac re decretum formare noluit Congregatio, sed potius potestatem dedit Patri Generali, ut hisce temporibus extraordinariis de Nostrorum in Collegiis sustentatione modo Instituto nostro conformi provideret, normasque præscriberet tenendas juxta leges paupertatis nostræ. — 2) De conditione autem horum Collegiorum statuit in D. 43: domos, quæ bona stabilia non habeant, scholas autem habeant et numerosissimos convictores, tamquam Collegia inchoata habenda, juxta C. 20. D. 14., quorum fundatio suppleatur convictorum pensionibus. — C. 24. D. 18. approbans C. 22. D. 42. assumptis ipsissimis ejus Congregationis verbis, pergit: »quare, quum iniqua temporum conditio iniquior diebus nostris evaserit, declarat Congregatio: præsentem Collegiorum statum, in quo retributiones scholarium externorum ad sustentationem Nostrorum accipiuntur, posse permitti, dum talia adjuncta perduraverint: Nostrosque, in tam sanctum opus strenue incumbentes, non solum tutos in conscientia, sed etiam maximis laudibus dignos esse propter labores, quos in salute juventutis procuranda quotidie exhauriunt. Conandum tamen et omni ope nitendum erit Patri Nostro, ut, quum per rerum et temporum adjuncta licebit, Collegia nostra in pristinam et Instituto nostro magis consentaneam formam, quoad fieri possit, restituantur.«

II. QUÆ SIT HUJUS REGULÆ OBLIGATIO.

561 Quæritur nimirum, quæ et quanta sit obligatio hujus præscripti de non accipiendo pretium temporale pro laboribus nostræ vocationis, scilicet utrum sit mera regula, ita ut contravenientes lædant directe regulam tantum; an vero sit materia voti, ita ut in transgrediendo fiat peccatum contra votum et consequenter contra religionem. Afferuntur rationes pro utraque sententia, et res non est formaliter definita.

1. — Dicitur in P. 4. c. 7. §. 3: „cum *tam proprium* sit nostræ professionis, nullum temporale præmium accipere, pro spiritualibus ministeriis." — Est proin res spiritui vocationis nostræ mentique Instituti omnino conformis et una quasi ex substantialibus ejus; unde est, ut toties et tam severe in Constitutionibus Congregationibusque ad eam recurratur. Saltem igitur est regula una ex gravissimis præ multis aliis, cujus dispensatio in Societate omnino fieri non potest. Nam in C. 12. D. 39. definitur, nullius Superioris, ac ne Generalis quidem posse super ea vel licentiam vel dispensationem seu licitam seu validam esse.

2. — In Ex. c. 1. §. 3. Sanctus Ignatius, postquam egit de tribus votis religiosis, immediate transit ad ea, quæ paupertatis sunt: „sic paupertatem accipiendo, ut nec velit nec possit reditus ullos ad suam sustentationem, nec ad quidvis aliud habere... Nec etiam, quamvis aliis sit licitum, pro Missarum sacrificiis vel prædicationibus vel lectionibus vel ullius sacramenti administratione vel quovis alio pio officio... stipendium ullum... possunt admittere." — Videtur sanctus Ignatius hanc rem, de qua agimus, cum ipso paupertatis voto connectere, quum eam uti explicationem voti paupertatis adjungat. Inde motus est dicere Suarez tr. 10. l. 4. c. 7. §. 8: „constat hanc obligationem non esse ex simplici directione regulæ, sed ex vi voti paupertatis oriri; nam eodem contextu hoc ponitur sub materia paupertatis, ac non habere reditus ullos [unumquemque in particulari aut domos professas]." — Narrat dein idem Suarez c. 8. §. 9., jam in secunda Congregatione de hac materia egisse Patres, et eorum partem sat magnam sensisse, quod revera sit materia voti paupertatis et quod in hunc sensum Decretum sit formandum. Pergit: „postea vero justis de causis id prætermissum est; quod est signum, non satis constitisse apud ipsos, sensum prædictarum Constitutionum fuisse, constituere actionem illam speciali ratione sub materia voti paupertatis; et ideo, ne novam obligationem ad peccatum mortale addere viderentur, quod in Societate propter periculum vitandum maxime cavetur, ab illa declaratione abstinuerunt." — De hoc facto in ipsis Congregationis Decretis nihil continetur nec innuitur quidem; unde præsumemdum est, Patrem Suaresium hoc vel ex Actis Congregationis hausisse, vel ex traditione quadam per decursum temporum ad ipsum perlata.

3. — Quod a Patre Suaresio narratur de secunda Congregatione, hoc idem etiam postea semper obtinuit; nimirum Societas semper detractabat, hanc prohibitionem de accipiendo præmio pro laboribus nostris præstitis declarare esse materiam voti paupertatis. Videre hoc

est quam clarissime in Congregationibus quinta et duodecima, in quibus præterea formaliter definitur, quid in hac re tenendum sit. — C. 5. D. 29: „circa Ex. c. 1. §. 3. et Const. P. 6. c. 2. §. 7, postulatum fuit, ut Congregatio declararet, an accipere aliquid pro ministeriis Societatis tanquam stipendium vel eleemosynam in compensationem, sit contra votum paupertatis Societatis, vel contra Constitutionem tantum. Et cum hæc quæstio serio et accurate per plures dies agitata fuisset, tandem placuit Congregationi, nihil in alterutram partem definire aut declarare; sed exactissimam illius gravissimæ Constitutionis observationem ad majorem ædificationem et paupertatis nostræ sinceritatem ac puritatem retinendam pernecessariam, vehementer omnibus commendare, ac omnino prohibere, ne ullus Superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis in ea dispenset." — C. 12. D. 39: „fuit item a Congregatione postulatum, ut declararet, an accipere aliquid tanquam stipendium vel eleemosynam in compensationem pro Missis, concionibus aliisque id genus Societatis nostræ ministeriis, ita sit contra paupertatis nostræ votum, ut non tantum id re ipsa non liceat, sed neque ex ulla Superiorum licentia fieri licitum possit, censuit Congregatio, ex C. 5. D. 29. videri satis clarum, ex nulla Superiorum licentia id fieri licitum posse. Ne tamen in ea re ullus supersit dubitandi locus, declarat insuper, nullius Superioris, ac ne Generalis quidem, posse super ea vel licentiam vel dispensationem seu licitam seu validam esse." — Utraque igitur Congregatio, tum quinta tum duodecima rem formaliter definire declinavit, urgens simul exactissimam hujus regulæ observationem statuendo, ne a summæ quidem in Societate auctoritatis persona in ea dispensari posse.

4. — Ex iis, quæ de hac re dicta sunt, non licet inferre, eum qui acceptat retributionem pro ministerio, nunquam contra votum paupertatis offendere, nec offendere posse. Nam etsi talis actio non sit directe et intrinsece contra votum, potest tamen esse per accidens. Nam quoties agit quis tanquam proprietarius in acceptando, retinendo, disponendo, patet lædere votum. Quod eo facilius fieri potest, quia certum est, Superioris licentiam adesse non posse, neque formalem et expressam, neque juste præsumptam, ex qua actio subditi rectificetur. Omni autem actione proprietaria peccari contra votum paupertatis supra explicatum fuit.

662 *Nota.* — Cum a nullo Superiore Societatis dispensatio hujus regulæ obtineri possit, recurrendum est, si pro temporum conditione ea necessaria videtur, ad altiorem auctoritatem, sive ad Congregationem Generalem, sive potius ad ipsum summum Pontificem. Et sic revera pro nostra provincia Germaniæ, propter

magnam ejus penuriam dispensavit Generalis ex speciali potestate concessa a Pio IX. 10 Maji 1859: dedit Patri Generali facultatem dispensandi in regula non accipiendi pro Missis et reliquis sacris ministeriis eleemosynam, ad normam aliorum sacerdotum. Attamen Superiorum cura continua fuit eo perveniendi, ut hanc dispensationem, quo citius fieri posset, resignaret provincia.

III. MOTIVA HUJUS REGULÆ STATUTÆ.

Rationes, quibus mota est Societas ad tam severam regulam statuendam, gravissimæ sunt, ex fine quem prosequitur et ex conditione qua vivit; suntque istæ rationes in Constitutionibus manifeste declaratæ. 663

1. — Hic modus exercendæ paupertatis denotat purius DEI servitium majusque perfectionis studium. — Ex c. 1. §. 3: „[nec] stipendium ullum vel eleemosynam, quæ ad compensationem hujusmodi ministeriorum dari solet, ab alio quam a DEO, ob cujus obsequium omnia pure facere debent, possunt admittere." — Ex. c. 4. §. 27: „quandoquidem exigit nostræ professionis ratio, ut parati, et in procinctu simus ad ea omnia, quæ quovis tempore in Domino nobis injuncta fuerint; nec petendo, nec exspectando præmium ullum in præsenti hac et labili vita, sed eam quæ undecunque æterna est, ex summa DEI misericordia semper sperando." — P. 4. c. 15. §. 4: „videat etiam Rector, ne Magistris vel ullis aliis de Societate sibi aut Collegio pecuniam aut dona quævis ab ullo pro re quavis in ipsorum utilitatem facta accipere permittat, quandoquidem præmium nostrum solus CHRISTUS Dominus juxta nostrum Institutum futurus est, qui est merces nostra magna nimis." — P. 10. §. 5: „refert plurimum ad conservationem et augmentum totius hujus corporis, procul admodum omnem avaritiæ speciem ablegasse." — Recte quidem eo tempore maxime, quo inter ipsos clericos avaritiæ et simoniæ vitia tantopere grassabantur.

2. — Hæc liberalitas in gratis dando magis liberos nos reddit ex omni parte magisque ab omni respectu independentes, efficitque eo ipso conatus nostros magis efficaces. Quod clare exprimitur in P. 6. c. 2. §. 7: „ut sic majori cum libertate possit et proximorum ædificatione in divino servitio procedere." — Vix invenies, quod magis nos retineat impediatque in agendo, quam iste respectus humanus, quem exhibere nos debere putamus ex gratitudine erga personas, quibus pro temporalibus nos obstrictos videmus. Sæpissime tunc accidit, ut obcæcati quodammodo rationes quæramus inveniamusque vel silendi, vel excusandi, vel defendendi res et actiones, quas alioqui damnare et reprobare non prætermitteremus. Quod quam perniciosum sit, quum agatur de negotio gravissimo salutis proximorum deque uno necessario, nemo

non videt. Contra si liberi sumus a tali respectu et fortes inde in agendo cum proximo, facile nobis erit, etiam Magnatibus et Principibus cum sancto Joanne Baptista dicere: „non licet tibi." — Præterea magnæ ædificationis est, temporalia spernere, eo magis, quod multis sacerdotibus turpis quædam nota nimiæ cupidinis rerum temporalium inusta est.

3. — Sequentes hanc paupertatis regulam gratos nos exhibemus DEO Domino nostro, et quidem modo omnino convenienti. Quum liberalissime nobis DEUS dederit omnia gratis, naturalia et supernaturalia: vires corporis, ingenium, gratiam, etc., nonne æquum est, quæ gratis accepimus, gratis ei reddere, impendendo ejus dona in ejusdem gloriam et honorem promovendum? — Sed hominibus quoque gratos nos ostendimus, cum pro temporalibus, quibus ab iis donamur, spiritualia rependimus, non quærentes, quæ nostra sunt, sed quæ JESU CHRISTI.

4. — Quid dicamus demum? Nonne CHRISTUS pauper factus est pro nobis, ut nos divites essemus? Elegit paupertatem et exercebat ab initio vitæ usque dum nudatus ab omnibus rebus, ipsis etiam vestimentis, caput in cruce inclinavit. Hoc exemplum dedit omnibus suis Apostolis, ut sequantur vestigia ejus; quod fecerunt, uti dicit sanctus Paulus: in siti, fame, frigore, nuditate, nihil habentes et omnes locupletantes. Sequamur et nos vestigia eorum.

ARTICULUS QUARTUS.

NON PERMITTITUR NEGOTIATIO NEC SPECIES EJUS.

664 Prohibitum est Nostris, negotiationem exercere, vel quidquam agere, quod habeat speciem negotiationis; et quidem severius quam in jure communi clericis est prohibitum.

Negotiatio est emptio alicujus rei eo animo, ut non mutatam carius vendas et sic lucreris. Ut quis dicatur negotiationem exercere tria requiruntur: — *a)* ut in emendo rem habeat intentionem iterum vendendi; — *b)* et quidem immutatam, et non melioratam sua industria; — *c)* ut adsit intentio hoc modo lucrandi. Quodsi una tantum ex his conditionibus absit, non dicitur esse negotiatio; v. g. si quis in usum proprium emat equum, quem tamen mox vendat, occasionem fortuitam nactus aliquid lucrandi. Nec si quis animalia emat eo animo, ut postea in pratis suis saginata carius vendat. Et plura alia similia.

1. — Vetitum est religiosis et clericis ex jure communi, negotia-

tionem exercere. — Lig. l. 3. n° 831: „communiter docetur, negotiationem prohiberi tantum clericis in sacris constitutis et religiosis professis (i. e. omnibus vere religiosis, quamvis professionem *solemnem* non fecerint); qui omnes peccant mortaliter, si multam negotiationi dant operam, et incidunt in suspensionem et excommunicationem. Non vero peccaret graviter clericus bis vel ter exercens negotiationem non turpem, nec in magna quantitate, quia jura loquuntur de *exercente* negotiationem."

Eadem pœna extenditur in eos, qui nomine alieno negotiantur; Benedict. XIV. „Apostolica," 25 Febr. 1741; „ad clericos illicite sub alieno laico nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos ac proprio eorum nomine negotia illis illicita exerceant." — Etiam Clemens XIII. „Cum primum" 27 Sept. 1759. — Et dicitur recte negotiatio ab Ecclesia prohibita, si quis emendo „actiones" quæ vocantur, socium se faciat alicujus associationis institutæ ad negotiandum vel cambiendum pro rata parte suæ pecuniæ, etiamsi hæc associatio per officiales constitutos agat.

2. — Jus privatum nostræ Societatis ultra progreditur, prohibens 665 etiam ea omnia quæ *speciem* habent negotiationis, quamvis non sit proprie negotiatio verificatis ejus tribus conditionibus. — C. 2. D. 61: „omnia, quæ speciem habent sæcularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus et similibus intelligantur prohibita esse Nostris." — cf. n° 790. — Hunc terminum sat generalem explicat paulo accuratius C. 7. D. 84: cum postulatum esset, quænam essent illa, quæ negotiationis speciem habent, a quibus Nostri juxta can. 25. C. 2. abstinere jubentur, censuit Congregatio, varia illa esse neque omnia recenseri posse. Inter alia tamen enumerari hæc posse:

1) „conducere agros alienos, ut ex iis lucrum et quæstum facias. 666 Non tamen habere speciem negotiationis, eos conducere ad prædiorum nostrorum administrationem, vel animalium nostrorum sustentationem." — Sic v. g. non esset prohibitum, conducere agrum vel pratum ad habendum stramen et fœnum pro animalibus, si proprii agri et prata ad hoc non darent sufficienter olera et obsonia.

2) „emere aliqua, ut nostra postea industria carius vendantur. Emere tamen animalia ad prædiorum pascua consumenda quæ postea divendantur, non censuit negotiationis speciem habere; sicut nec emere quæ putantur usibus Nostrorum necessaria, quæ superflua postea vendantur." — Primum istud jure communi non est vetitum, quia non est proprie negotiatio, cum res mutata vendatur, in Societate autem vetitum, quia

habet speciem quandam negotiationis, cum inde lucrum fiat. Quoad secundum P. Claudius rescripserat in Germaniam: „non est permittendum, ut Nostri in suis prædiis boves emant macilentos, quos pinguiores effectos revendant, cum id aperte mercaturæ rationem habere videatur." Hoc Responsum non valet amplius, ex C. 7. D. 84. — Prohibitum tamen esset, saginare boves in alienis pascuis; Mutius 20 Dec. 1622: „est negotiatio nobis prohibita, boves in pascuis conductis ad hoc saginare, ut carius vendantur." Non est hæc quidem negotiatio proprio et communi sensu; sed nobis est prohibita, quia intentio lucrandi in eo sat manifesta apparet.

3) „typographiæ sumptus pro edendis Nostrorum libris suppeditare, exemplaque damno lucroque nostro divendenda accipere. Quæ res licet absolute negotiatio clericis interdicta non sit, Nostris tamen videtur omnino interdicenda, nec nisi gravissimas ob causas a Patre Nostro permittenda." — Eandem rem priora quædam Responsa prohibuerunt: Castell. 1594 Claudius: „negotiationis habet speciem, cum Collegium assumit provinciam imprimendi libros alicujus, ut hac ratione lucrum ex ea reportet. Quare potius mutua accipienda est pecunia ab aliquo cum obligatione restituendi, facta distributione librorum per aliquot Collegia pro pretio moderato." — Postea Vinc. Carrafa 2 Martii 1648: „per provinciam exerceri a nonnullis negotiationem quandam librariam, tum suo, tum Sodalitatum B. M. V., quibus præsunt, nomine imprimendo et distribuendo libros pios, et lucrum in usum Sodalitatum vel alios privatos convertendo. Reverentia Vestra diligenter invigilet, et nihil fieri permittat præter paupertatem nostram et consuetudinem Societatis."

667 4) „Typographiam in Collegiis habere, in qua libri excussi externis divendantur. In utraque tamen India partibusque septentrionalibus, pro libris piis et religionem spectantibus scholarumque nostrarum, cum vel typographi desunt vel catholici desunt, judicio Patris Nostri rem totam committendam censuit."

668 *Nota.* — Pater Lainez jam detrectavit concedere typographiam. Scripsit per Patrem Polancum ad Patrem Victorinum: »quoad typographiam, hoc onus esse supra nostras vires, dicit Pater Noster, et deponendum: quamvis haberi possit prelum, si velint, ad inprimendas conclusiones et similia minuta.« — Cum nostris temporibus typographia et bibliopolia sint pars mercaturæ quam maxime, plurimique homines in iis exercendis occupentur cum magno omnino quæstu, odium sibi pareret Societas gravissimum, si in hac re quidquam susciperet ageretve, quo his hominibus videretur lucrum eripi et sustentatio vitæ præcludi. Unde convenit potius, Nostrorum libros aliasque res scriptas bibliopolis quidem imprimendas divensendasque tradere; nihilominus non erit abs re, in faciendis contractibus vigi-

lantes esse, ne ex Nostrorum labore et sudore sæculares ditescant, dum nostris scriptoribus ipsis vix relinquatur sustentatio pro vita laboriosa necessaria.

3. — Præter has Constitutiones et Decreta exstant adhuc multa 669
Generalium Responsa de variis rebus frequenter occurrentibus, in vetere præcipue Societate: quæ afferre placet propter eorum utilitatem.

Mutius Gallobelg. 22 Jan. 1630: „non permittendum illud negotiationis genus, ut quis imagines a se emptas aliis cum lucro vendat. Huic emptioni et venditioni non video quid ad veram negotiationem desit." — Claudius in Poloniam 1594: „non permittendum, ut in navi conducta ad vehendum triticum, ne vacua redeat, salem emant, quem postea vendant; nisi forte ex charitate in pauperum gratiam eodem pretio quo emerunt revendant." — Idem 1594: „non habet speciem negotiationis, si ligna nostrarum silvarum comburantur et cineres vendantur; nec etiam, si ex materia in nostris prædiis proveniente calx fiat et vendatur." — Claudius in Poloniam 1594: „nullo modo ferendum, ut Nostri, etiam per famulos cauponam exerceant, et minutatim cerevisiam vendant." — „Potest a famulis nostris coqui et vendi cerevisia, quæ fit ex frumento non empto, sed quod in fundis Societatis nascitur." — Claudius 1582: „in villis nostris non alantur equæ ad prolem, sed oves, vaccæ etc."

Mutius in Bohemiam 1 Sept. 1635: „non habet speciem negotiationis, si in propria textrina tot panni conficiantur, ut vendi possint, et Collegium ex propriis ovibus sufficientem lanam colligat." — Mutius in Lithuaniam 2 Febr. 1639: „vendere cerevisiam conflatam ex lupulo et hordeo emptis, non est permissum; secus si ista sint fructus propriorum fundorum." — Mutius 16 Martii 1640: „est negotiatio nobis prohibita, si quis Nostrorum præstet mercatori pecuniam ad incertam aleam quæstus vel damni." — Mutius in Angliam 3 Sept. 1639: „cum in Marylandia, ubi nullæ sunt pecuniæ, pecuniarum loco fiat permutatio aliarum rerum, etiam videtur a Nostris exerceri posse sine negotiationis invidia." — Idem in Consult. 1621.

Mercurianus in Sardin. 1579: „habere pecora vel armenta, quæ externis dentur alenda pro medietate et vendenda ab iisdem, ut ex eorum manibus excipiatur pretium, non est contra canonem 25. C. 2." — Idem eodem anno: „vendere, quod de gregibus superest, licet: id enim non mercatura, sed quoddam vectigal est."

Vinc. Carrafa in Poloniam 1646: „ubi peculiare jus coquendi cerevisiam vel diversorii habemus, si lupuli et hordei satis in nostris fundis non provenit, ad illud jus tenendum et conservandum licet illa emere et cerevisiam vendere; non autem, ubi tale privilegium non habemus,

quia adversari videtur C. 7. D. 84. n° 2. Consultissimum tamen est, talia diversoria elocare aliis." — „Quæ doctrina longe magis procedere videtur in locis, quibus jus coquendæ et vendendæ cerevisiæ est magna pars fundationis, cujusmodi jus habemus Eberspergæ, ex veteri monasterio translatum in Societatem."

ARTICULUS QUINTUS.

PRÆSCRIPTA PAUPERTATIS POSITIVA.

Hucusque de iis, quæ paupertatis lex in Societate prohibet. Sunt etiam præscripta positiva, quibus edocemur vitam nostram modo religioso componere. Quod vero in aliis mandatis positivis obtinet, etiam in his continetur: dum præcipiunt, eo ipso etiam indicant, quæ vitanda manent.

670 1. — Modus vivendi in exterioribus exemplar sacerdotalis et religiosæ simplicitatis præ se ferat. Quod jam Tridentinum postulat a religiosis omnibus, in sess. 25. de regular. c. 2: „mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit: nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur."

Qualis vero sit ista paupertas in Societate, exhibet Julius III, „Exposcit." 21 Julii 1550: „in iis, quæ ad victum, vestitum et cetera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem et approbatum usum sequentur; ut quod inde pro cujusque necessitate vel spiritualis profectus desiderio subtractum fuerit, ex devotione et non ex obligatione, rationabile obsequium corporis, Deo prout expediet offeratur." — Dum autem dicimus „honestos clericos", patet hoc non intelligi de quibuscunque prælatis et dignitariis, sed de parochis v. g. et operariis, ceterisque in communi conditione constitutis. — P. 6. c. 2. §. 15. 16: „in vestitus itidem ratione tria observentur: primum, ut honestus ille sit; alterum, ut ad usum loci, in quo vivitur, accommodatus: tertium, ut professioni paupertatis non repugnet. Videretur autem repugnare, si sericis vel pretiosis pannis uteremur; a quibus abstinendum est, ut in omnibus humilitatis et submissionis debita ad majorem Dei gloriam ratio habeatur." — „In iis, quæ ad rationem victus, somni ac usus reliquarum rerum vitæ necessariarum vel convenientium spectant, quamvis communis illa sit minimeque diversa ab eo, quod medicus illius loci, in quo vivitur, judicabit: ita ut quod quisque sibi inde subtraxerit, ex devotione, non ex obligatione subtrahat. Habenda tamen semper erit ratio

humilitatis, paupertatis ac spiritualis ædificationis, quæ semper nobis in Domino ob oculos versari debet." — Quæ mediocritas simplicitasque in rebus externis ut conservetur colaturque, plura nominantur in specie, quæ nobis vitanda sunt:

a. — nil pretiosum sit in rebus ad usum necessarium concessis. — Ord. c. 4. §. 14: „nulla ratione permittatur, ut Nostri apud se habeant secumve ferant quædam, quæ pauperibus, quales nos sumus, minime conveniant, ut sunt horologia rotata et affabre facta, imagines multi valoris, reliquiaria curiosa et pretiosa, quæ aurei unius valorem excedant; aliaque id genus." — Inst. 13. c. 5. §. 3. — C. 7. D. 80. §. 4. — C. 22. D. 24: „cum mutata temporum conditione, rerum quoque usualium æstimatio alia jam sit ac olim fuerit, Congregatio PP. Deputatorum judicium secuta decrevit, quæ in Ord. Gen. c. 4. §. 14. de horologiis præscripta sunt, ita esse intelligenda, ut prohibita esse conseantur horologia aurea, atque illa, quorum valor pretium vulgare excedit; tum R. P. nostro commendavit, ut ad Superiorum directionem hac in re præscriberet, quæ expedire judicaverit; utque secundum hoc decretum immutarentur verba in Monitis generalibus §. 14."

b. — modus itineris instituendi ne sit secundum morem opulentorum 671
nobiliumve. — C. 3. D. 37: „ad religiosam disciplinam et paupertatis rationem pertinet, ut in peregrinationibus et profectionibus Nostri, quos ipsorum Superiores id præstare posse judicaverint, pedestri itinere in toto vel in parte utantur. Et ob eam causam R. P. Generalis eam hac in re moderationem per se et suos Provinciales adhibebit, quæ Societatis nostræ Instituto consentanea sit; curabitque, ut in equitando solius necessitatis sive personæ sive negotiorum (quam Superiores mittentes judicabunt) ratio habeatur." — Ord. c. 4. §. 13: „Nostris iter agentibus, ut necessario viatico debito cum amore et charitate providendum erit, ita nulla ratione permittendum, ut pecunia illis detur ad superflua coemenda et quæ religiosæ paupertati minime consonant, ut sunt curiosa et pretiosa; multoque minus, ut ab externis seu consanguineis, cum ædificationis jactura conquiratur."

Nota. — Quæ de modo iter faciendi, v. g. pedestri, dicta sunt, nunc quidem 672
ad litteram observare plerumque non convenit, cum in utendo via ferrea aliisque facilis communicationis mediis et tempori parcatur et expensis. Nihilominus etiam in iis media via tenenda est; sic permittitur vehi in secunda classe, defenditur in prima. Plurimis tamen in regionibus satis decens est nihilque parit offensionis, sedere in classe tertia, qua utuntur etiam alii homines ceterum honestissimi. — Sed etiam in concedendis corpori necessariis, cibo et potu, valde cauti simus in itinere, ne sæculares lautitia nostra scandalizentur. Ne sit nobis peregrinatio quasi occasio excedendi naturæque indulgendi; magis paupertati congruit,

et ante iter ingrediendum et post iter confectum domi corpori necessaria præbere, in ipso itinere vero per parcimoniam modestiamque religiosam externis ædificationi esse.

673 *c.* — Etiam in cubiculis nostris modestiæ et religiosæ mediocritatis memores simus. Ne sit supellex superflua, præter mensam, lectum, sellas; nec pretiosa et elegans, in imaginibus et tapetis similibusve, imo nec in ipsis libris retinendis. — Instr. (ad Prov. et Sup.) 1, §. 5; „tollendus videtur ille abusus, ut alias ordinatum est, ne sc. in Nostrorum cubiculis duplices vestes habeantur, sed apud vestium custodem, ut est communis Societatis consuetudo, serventur. Quod etiam de aliis rebus, quæ in usu non sunt, qualia sunt instrumenta quædam ad iter agendum et his similia, intelligendum est." — Si vis de hominis religiosi solida virtute certior fieri, intres in ipsius cubiculum: ubi mundities, ordo, paupertas inveniuntur, recte plerumque concludes de hoc ordine externo ad bonum interni hominis statum, qui quasi ultro se in istis rebus manifestat.

674 2. — Contenti esse monemur rebus vilioribus minusque pretiosis, imo, si in nostro arbitrio est, tales præ aliis sponte eligere; effectus paupertatis de facto experiri, et rerum alias etiam convenientium carentiam interdum saltem tolerare, tum maxime, si quasi ultro in circumstantiis non consuetis se offert.

Ex. c. 4. §. 26: „sui victus, potus, vestitus et lecti rationem, si Societatem sequi velit, sibi persuadeat, fore ut pauperibus accommodatam; quodque quæ vilissima sunt ex iis, quæ domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius majorem abnegationem et spiritualem profectum et ut ad quamdam æqualitatem et veluti mensuram ab omnibus perveniatur. Cum enim qui primi in Societatem convenerunt, per hujusmodi indigentiam ac penuriam majorem rerum corpori necessariarum probati fuerint, qui post eos accedent, curare debent, ut quoad poterunt, eo pertingant, quo illi pervenerunt, vel ulterius etiam in Domino progrediantur." — P. 3. c. 1. §. 25: „diligant omnes paupertatem ut matrem et juxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus ejus effectus aliquos experiantur." — decl. V: „conferet, ut Superiores aliquando occasionem præbeant iis, qui probantur, exercendi obedientiæ et paupertatis virtutem, eosdem tentando ad majorem ipsorum utilitatem spiritualem eo modo, quo Dominus Abraham tentabat, ut specimen virtutis suæ præbeant et in eadem crescant. In eo tamen, quoad ejus fieri possit, mensura et proportio juxta uniuscujusque vires, ut discretio dictabit, observetur."

Si loquitur regula de „effectibus paupertatis", certo intelligitur etiam rerum temporalium penuria hujusque penuriæ molestia, maxime tunc, quando hæc carentia molestiaque ultro se offert, v. g. in itineribus, in laboribus operosis, in conversando cum externis, in habitando extra domum. Quodsi nobis tales occasiones experiendi paupertatis effectus in victu, vestitu, habitatione, lecto, occupatione eo ipso offeruntur, ne negligamus tunc recordari, DEI ipsius providentiam parare nobis ista media virtutis exercendæ meritique acquirendi. Proh dolor! talia DEI dona prætermittimus sine ullo nostro spirituali fructu, imo sæpius in ipsis peccamus. Dicamus tunc nobis ipsis: hic necesse est esse Jesuitam; hic regula servanda. Quam sæpe Nostrorum in talibus circumstantiis impatientia, ne dicam arrogantia, hominibus externis offendiculo fuit laborumque fructus irritos reddidit. Quid enim? num concionatoris verba de contemnendo mundo, de mortificatione exercenda, homines movere possunt, si ipso exemplo contrarium exhibet, spiritum mundanum et sensualem? Prius facere, dein docere; exempla enim trahunt, dum verba tantum movent.

3. — Parati esse debemus ad mendicandum, si necessitas vel obe- 675
dientia id exigit. — Ex. c. 4. §. 27: „ad hæc, præter reliquas peregrinationes et probationes sic declaratas, antequam Professi suam professionem, et Coadjutores sua vota emittant, et (si Superiori videbitur) Scholastici, antequam approbati censeantur, et vota sua ac promissionem superius dictam faciant, per triduum suis constitutis temporibus, vestigia sequendo primorum, de quibus mentionem fecimus, ostiatim pro CHRISTI Domini nostri amore mendicare debent; ut contra quam est communis hominum sensus, ad divinum obsequium et laudem magis se possint submittere magisque in spiritu proficere, ad gloriam divinæ Majestatis; ut etiam magis sint dispositi ad id ipsum faciendum, quando illis injunctum fuerit vel conveniens aut necessarium fuerit, dum per varias mundi partes... discurrent." — P. 6. c. 2. §. 10: „parati sint ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia vel necessitas id exigit. Et sit unus vel plures ad eleemosynas petendas, quibus personæ Societatis sustententur, destinati: quas eleemosynas simpliciter amore Domini nostri petent."

Nota. — Ne miremur, quod etiam ad mendicandum obstringimur, cum id a natura status nostri minime sit alienum. Præcipua enim Societatis pars, Professi nimirum, ex eleemosynis acceptis vivunt, cum reditus habere vetentur; atque adeo in missiones proficisci jubentur, non petito viatico, proin ex eleemosynis erogatis viventes. Decet etiam, dum »mendicantium« privilegiis fruimur, mendicantium more nos vivere.

Attamen in ipsis eleemosynis petendis tria nobis præscribuntur:

676 *a.* — Ne nimii simus in iis petendis — Ord. c. 4. §. 8: „in eleemosynis petendis modum haberi oportet, ne nimii aut importuni simus: alioqui fideles a nobis et a nostris ministeriis arcentur, unde fructus spiritualis peribit, imo et temporalis."

677 *b.* — Eleemosynas perpetuo duraturas petere nobis non licet. — P. 6. c. 2. §. 6: „quamvis ad bona et sancta opera, et maxime perpetuo duratura, incitare laudabile sit, ob majorem tamen ædificationem nullus de Societate debet, nec potest quemquam ad eleemosynas perpetuas domibus vel ecclesiis ejusdem Societatis relinquendas incitare." — Nam hoc esset quasi reditus stabiles procurare, quod est contra paupertatem.

c. — Monenur omittere ea, quæ mendicandi speciem quidem non præ se ferunt, intentionem tamen continent. — P. 6. c. 2. §. 9: „eadem de causa munuscula, quæ Magnatibus ad res majores ab ipsis obtinendas offerri solent, ne offerantur." — Sic agere dedecet hominem religiosum et sincerum; non vetamur tamen, in grati animi significationem aliqua etiam donare, v. g. libros Nostrorum scriptaque. — cf n° 773.

d. — Non convenit, mendicando impedire opera nostræ vocationis regularia. — §. 10: „et sit unus vel plures ad eleemosynas petendas destinati." — Et ipsi Superiores ne detrectent hoc paupertatis exercendæ bonum exemplum, quo subditi animentur.

678 4. — Vita communis ab omnibus et in omnibus observanda est in quantum fieri potest. — C. 12. D. 43: „ut vita communis, quæ hactenus Dei beneficio in Societate semper floruit, incolumis etiam ac illibata conservetur in posterum, decrevit Congregatio, ut in his, quæ pertinent ad victum, vestitum cubiculique supellectilem, et alia vitæ communi necessaria, uniformitas tam Superiorum cum inferioribus, quam inferiorum inter se omnino retineatur; eaque omnia teneantur Superiores inferioribus suis, qua par est charitate, suppeditare. Ideoque etiam voluit, nulli licitum esse ea sibi alia quacunque via quærere aut per alios procurare; nec penes ipsos Superiores ac etiam Provinciales vel quoscunque alios esse, hanc illis facultatem dare." — C. 16. D. 27: „ut vita communis, quæ ad religiosam disciplinam tantopere confert, illibata servetur, statuit Congregatio, ut Provinciales in visitatione omnia, quæ vitæ communi adversantur, omnino resecent, et Superiores, qui vel dissimulant hac in re subditorum defectus vel iis necessaria non suppeditant, officii sui graviter admoneant." — „Et si forte peculiare quid alicui ob infirmam valetudinem necessarium judicetur, censendum non est, id

vitæ communi repugnare." — C. 20. D. 7. §. 3. — Idem C. 22. D. 25. — Instr. 1. §. 4. eadem dicuntur, cum addito: „ex qua præter multa alia illud im primis sequetur commodum, ut ea ratione facilius superflua et quæ proprietatis speciem habent, tolli possint. Qua in re antiquiores et graviores Patres, et Superiores etiam ipsi, omnibus prælucere debent exemplo." — Recte tamen intelligantur hæc:

a. — non est contra vitæ communis præscriptum, imo prorsus ex 679
mente Constitutionum justis de causis: ætatis provectæ, morbi curandi vel prævertendi, gravis laboris perficiendi vel perfecti, a consuetis et communibus recedere exceptionesque facere. — P. 6. c. 1. §. 16. N: „in particularibus, si magis vel minus necessarium erit, juxta circumstantias personarum, relinquetur discretioni eorum, qui ipsis præsunt, ut quemadmodum eis conveniet, provideant." — C. 16. D. 27: „omnia paterna charitate debent suppeditari [necessaria]. Et si forte peculiare quid alicui ob infirmam valetudinem necessarium judicetur, censendum non est, id vitæ communi repugnare." — C. 20. D. 7. §. 3. — C. 22. D. 26. §. 2: „quodsi quid peculiare alicui necessarium foret, id omnino a Superiorum charitate subministrandum erit, nullo tamen habito respectu ad pecuniam, quam forte ille depositam apud Superiorem habeat." — Talis enim respectus adulteraret motivum charitatis, ex quo Superior subditis providere tenetur ex communibus domus bonis.

b. — Rationes cur diligentes et accurati simus in sequenda vita 680
communi, neve facile a consuetis et ordinariis declinemus, hæ fere sunt:

α. — tenentes modum communem, omnino certi sumus de impleta voluntate divina, acquirimusque meritum obedientiæ exercendæ in regula servanda. Quod meritum eo solidius est, quo incedentes in via vulgari omnem occasionem vanæ gloriæ complacentiæque effugimus.

β. — facile in judicando de rebus præter communia nobis necessariis vel utilibus amor proprius nos fallit; facillime enim sequimur sensualitatem et pigritiam in sequendis rebus extraordinariis. Sæpissime irrationabilis hæc indulgentia initium fuit innumerabilium defectuum, imo etiam peccatorum.

γ. — nil magis juvat ad servandam in domo religiosa charitatem fraternam unionemque domesticam, quam communis omnium in rebus vitæ necessariis uniformitas. Sumus omnes pares coram DEO, qui in eandem nos religionem vocavit ejusdemque gratiæ et conditionis nos participes effecit; agamus ei gratias pro communibus his donis internis eo quod communem etiam vitæ ordinem sequamur æqualitatemque internam in externis rebus manifestemus.

681 *Nota.* — Quæ hucusque de lædenda paupertate diximus, maxima ex parte referuntur ad votum paupertatis vel ad regulam. Posse etiam peccari contra paupertatis virtutem, manifestum est. Quod fit, ut summatim dicamus v. g. — *a*) interne, si doleas de relictis mundanis lautioribus; si ægre feras paupertatis religiosæ exercitium; si inordinate afficiaris erga res, et similiter- — *b*) externe, si superflua quædam tibi indulgeas; si rebus concessis non debite parcas, (quo etiam peccari potest contra votum;) si a communibus sine causa recedas; et similia.

ARTICULUS SEXTUS.

DE PECULIO IN RELIGIONE.

682 Peculium intelligimus pecuniam, vel quod pecunia æstimatur, v. g. pensiones, census, esculenta, utensilia, alia, de quibus ad usum proprium disponit religiosus in majori vel minori dependentia a Superiore. Statuendum est, quidnam paupertatis lex in religionibus prohibeat, quid permittat, tum in genere, tum speciatim in Societate.

1. — Peculium cum independenti usu, i. e. de quo religiosus suo prorsus arbitrio disponat, pugnare contra votum paupertatis, manifestum est. Nam minimum quod interdicit votum paupertatis est, uti quacunque re et disponere de ea pro suo arbitrio et independenter omnino a voluntate Superioris. Quod supra ostensum est. Quapropter talia pecula nemini neque in ulla religione permitti possunt.

683 2. — Peculium vero cum dependenti usu per se non est contra votum paupertatis, nec contra naturam status religiosi; quod clarum est ex iis, quæ de utraque hac re jam disseruimus. Votum enim paupertatis non prohibet quemcunque usum et quamcunque de rebus dispositionem; sed tantum usum et dispositionem proprietariam. Unde sequitur, hoc peculii genus nec jure naturæ prohiberi nec esse in se illicitum.

684 3. — Jus vero positivum expressis verbis peculia prohibet. — Trid. sess. 25. de regul. c. 2.: „nemini igitur regularium, tum virorum tum mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab iis acquisita, tanquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur conventuique incorporentur." — Probabilissimum est, Concilium hoc in loco quævis peculia interdicere quamvis nonnulli putent, solum prohibere, ea „apud se" habere. Sed verba: „statim Superiori tra-

dantur conventuique incorporentur", hanc interpretationem non permittere videntur.

Clariora sunt, quæ dicit Clemens VIII. in decreto: „Nullos": „quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia vel mobilia, pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis tam in propria ecclesia, quam ubicunque celebratis, alioque ipsorum justo labore et quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitione legata aut donationes fuerint, tanquam propria aut etiam nomine conventus possidere posset; sed ea omnia statim Superiori tradantur et conventui incorporentur atque cum ceteris illius bonis, reditibus, pecuniis et proventibus confundantur, quo communis illis victus et vestitus omnibus suppeditari possit." — Hæc sunt verba juris positivi.

4. — Ex consuetudine vero nunc legitima, et secundum hodiernam 685
Sedis Apostolicæ praxin peculia permittuntur haberi in iis religionibus, in quibus hic usus invaluit. Ita etiam ipse sanct. Ligorius, l. 4. n. 15., addens tamen: „modo sint parati, bona a se abdicare ad Superioris nutum, semper si illis sufficienter subveniatur; nam alias non tenentur peculium dimittere." — Etiam Bellarminus: „si consuetudo inobservantior est legitime proscripta, videntur posse excusari illæ moniales, quæ religionem sic relaxatam invenerunt. Nam talis religio sic relaxata, in qua tantum serventur omnia substantialia, est vera et bona religio, ergo potest eligi, et qui in ea vivunt, sunt in statu perfectionis." — Imo ipse Clemens VIII., non obstante decreto supra citato, habet in Brevi 1602: „quod liceat abbatissæ cujuslibet monasterii permittere monialibus, ut unaquæqe earum ex subventionibus, quæ iisdem monialibus dantur, aliquid expendere possit absque eo, quod per manus officialium erogetur, et sine onere, aliis de iis rationem reddendi. Summa autem sit unius scuti quolibet mense pro minutis causis." Addit: „ut in posterum neque ad habitum neque ad professionem aliqua recipiatur, nisi sub integra reformatione vitæ communis." Attamen cum interpellaretur, declaravit: „moniales vero, quæ in posterum admittentur in iis monasteriis, in quibus subventiones retinentur, nullatenus invitæ cogantur ad vitam communem." — Eadem postea plures Pontifices et Congregationes sentiebant.

5. — Eodem sensu sunt verba sancti Ligorii: „omnes conveniunt, 686
quod in conventibus, in quibus non observatur vita communis, ob

paupertatem vel incuriam Superiorum subministrandi subditis necessaria, possunt concedi peculia ad nutum prælatorum. Ratio, quia Tridentinum tunc præcipit religiosis vitam communem, cum a conventu nihil, quod sit necessarium, denegetur."

Quando vero vel ipsa religio, vel a fortiori Sedes Apostolica relaxatam vitam communem iterum reformare peculiaque prohibere vult, omnes religiosi se subjicere tenentur, supposito, quod omnia necessaria ipsis e communibus bonis subministrantur. Item: ubi vita communis in rigore observatur, peccant graviter Superiores, qui peculia iterum permittunt, quum hic usus habendi peculia semper secum ferat periculum lædendæ paupertatis indulgendique sensualitati et commoditati. Accedit, quod ocassio datur invidiæ, discordiæ, murmurationi et ejusmodi defectibus.

687 6. — In quibus religionibus peculia adhuc permittuntur, necesse est hæc observari, ut sint licita: — *a)* subditus peculium suum non potest „apud se" habere, quia directe contradicit Tridentino, nisi ex usu legitimo etiam in hac re dispensetur. — *b)* non potest de eo plane pro suo arbitrio disponere, sed tantum cum licentia Superioris — *c)* nec potest hanc dispositionem sine licentia aliis cedere, v. g. consanguineis. — *d)* sufficit tamen licentia generalis ad expendendum aliquid ex peculio. — *e)* potest peculium etiam sequi personam in aliam domum translatam, v. g. census vitalitius vel ejusmodi. — Propositis sic principiis generalibus, accedamus ad jus nostrum.

688 7. — Quæ in Societate in hac parte tenenda sunt, eruuntur ex sequentibus locis — C. 12. D. 42: „ut prohibere universim non expedit, ne quis unquam possit cum Superioris facultate quidquam habere pecuniæ in honestos usus destinatæ, ita id raro tantum justasque ob causas, junioribus præsertim et Coadjutoribus, permittendum, Congregatio censuit. Si tamen concedendum aliquando visum fuerit, voluit insuper eadem Congregatio, ut in eo etiam casu religiosæ disciplinæ magis consulatur, ejusmodi pecunias apud ipsum totius domus Superiorem deponi, a quo deinde id quisque accipiet, quo ipsi uti necessarium fuerit, cum ejusdem aut mediati Superioris facultate." — Quæ confirmantur in C. 16. D. 35: „quod a C. 12. D. 42. statutum fuit, confirmat iterum præsens Congregatio, declaratque, decretum illud non posse eludi eo prætextu, quod qui utitur in usus proprios et arbitrarios pecunia, de qua ibi fit mentio, sit merus voluntatis alienæ exsecutor; pravamque hanc et detortam interpretationem detestatur." — Eadem iterum in C. 20. D. 7. §. 2. cum addito: „vultque omnino [Congre-

gatio], ut si quando ea [deposita] permittantur, integra pecunia sit apud Superiorem totius domus, neque posse dispensare Superiores, ut aliquis Nostrorum pecuniam hujusmodi, sub quocunque prætextu, apud se retineat." — C. 22. D. 26: „Congregatio ita decrevit: illud vocabulum „deposita," quod legitur C. 12. D. 42. et C. 20. D. 7. §. 2., non aliud significare quam certam pecuniæ summam apud Superiorem quidem ab aliquo e Nostris depositam, sed cujus liberum usum minime habere possit, qui deposuit; adeo ut liceat Superiori, illam pecuniam, sicut expedire visum sibi in Domino fuerit expendere, invito aut inscio deponente, cui nulla propterea sit justa querelarum causa. Idque ipsum dicendum de pecunia ab aliquo externo alicui e Nostris tradita in certum aliquod opus impendenda; quam tamen in aliud præterquam in hoc ipsum opus expendere Superiori minime licebit." — §. 2: „nemini liceat, hujusmodi pecunias impendere ad ea sibi comparanda, quæ ad victum, vestitum, cubiculi supellectilem, aliaque vitæ communi necessaria pertinent, neque in ullos usus mere personales et proprios adhibere; omnesque meminerint, neque penes ipsos Superiores etiam Provinciales vel quoscunque alios esse, hanc facultatem dare."

Veniunt etiam quædam Generalium Responsa. — Resp. Aragon. 1628: „non permittenda privata deposita apud Procuratorem vel alium, nisi Provincialis ex speciali causa dispenset." — Gallobelg. 6 Junii 1620: „quum deposita pecuniaria Magistrorum v. g. apud Procuratorem ad pia munuscula comparanda adversari videantur puritati paupertatis nostræ, non facile toleranda sunt, sed potius ad alios usus domesticos adhibenda, etiam non præmonitis deponentibus." — Germaniæ 26 Martii 1622: „si quando gravi ex causa Superior illa permiserit, interdum aliquid ex illis depositis in alios usus expedit impendi, ne tales putent, id non posse facere Superiorem sine suo consensu."

Ex his locis jus Societatis circa peculia eruitur: 689

a. — In Societate non est usus consuetudine approbatus, talia deposita sive peculia habere.

b. — ex causis gravibus potest Superior dispensare et talia permittere, raro tamen id faciat.

c. — nemini unquam permittitur, apud se habere depositum; apud solum Superiorem omnia deposita maneant.

d. — licentiam generalem expendendi pro arbitrio ex iis ne Superior quidem dare potest; invalida esset.

e. — sed singulis vicibus licentia expendendi a Superiore petenda et ab ipso danda est.

f. — etiam ipso deponente inscio vel invito, Superior ex iis expendere potest, imo consulitur, ut aliquando id faciat.

Nota. — Plurimum interest statim ab initio Nostros assuefieri vitæ communi in omnibus; plerumque tota vita futura inde pendet. Nec vereor dicere, eum qui ad communia et ordinaria facienda et ferenda aptus non sit, non esse vocatum in Societatem. Et multo melius est, tales mature dimittere, quam per annos et annos tolerare cum multis exceptionibus; fiunt plerumque sibi aliisque oneri, maxime Superioribus.

SECTIO QUARTA.

Paupertas Domorum et Communitatum.

690 Religiosa paupertas obstringit non tantum singulas personas in religione existentes, præscribendo, quomodo vitam suam componant actionesque suas dirigant, sed afficit etiam communitates et domos, in quantum sunt totum quid, sive juridicum subjectum seu moralis persona, quæ vocatur. Et plurimum interest, non solum scire generalia principia in hac re, sed singularum etiam religionum statuta, quum ex speciali fine, quem prosequuntur, maxima ex parte etiam conformetur earum paupertas in communi.

ARTICULUS PRIMUS.

GENERALIA DE PAUPERTATE IN COMMUNI.

691 Ante Concilium Tridentinum plurimæ exstabant religiones, quæ ne in communi quidem, uti dicitur, possidere bona temporalia poterant. Hoc Concilium vero statuit in sess. 25. de regular. c. 3: „concedit sancta Synodus omnibus monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum, etiam mendicantium, exceptis domibus Fratrum sancti Francisci Capucinorum et eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. — Hanc licentiam à Concilio oblatam poterant singuli ordines aut acceptare et secundum eam jus suum possidendi reformare, aut etiam in eam resignare et persistere in suis statutis pristinis, quod plures revera fecerunt. Sunt igitur nunc in materia paupertatis diversæ communitates.

1. — Sunt communitates religiosæ sive domus, quæ ex jure non solum bona mobilia sed etiam immobilia possident pleno et perfecto

sensu. Quum tales communitates sive religiones circa jura possidendi et disponendi non aliter se habeant, atque personæ et communitates sæculares, possunt etiam omnes actus proprietarios licite et valide exercere, i. e. possidere, acquirere, alienare, hæreditare, et cetera, non secus ac jura civilia de sæcularibus constituunt. Sic est in omnibus fere novis Congregationibus religiosis, quibus etiam licet annuos reditus habere in sustentationem suorum et in usum ad prosequendum suum finem specialem, v. g. educationis.

2. — Aliis ordinibus vi Constitutionum prohibitum est possidere in communi bona immobilia, at licet habere mobilia. Bona immobilia esse intelliguntur non tantum agri, fundi et ejusmodi, sed etiam reditus stabiles vel annui, capitalia, greges et similia, quæ repræsentant perdurans quid et non mutabile. Attamen non obstante hac regula de non possidendo in communi immobilia, possunt habere quæ ad vitam quasi immediate necessaria sunt: ecclesiam, domum, villam etiam seu potius hortum; omnia hæc tamen ad solum usum proprium, non ad locandum. Plerumque hi ordines talia etiam accipere et habere possunt pro ecclesia sua, sicuti et fixos reditus. Tum vero non ipse ordo est subjectum, cui inhæret possessio, sed ecclesia vel fabrica ejus. Ita Carmelitæ et Jesuitæ; hi tamen cum eo discrimine, quod in Societate pro ipsa etiam ecclesia omnis possessio omnesque reditus excluduntur. Quid autem in ceteris ordinibus hac in re tenendum sit, ex ipsorum Constitutionibus erui debet. 692

3. — Sunt demum ordines, quibus interdictum est, vel mobilia vel immobilia possidere; quod supra de Capucinorum et Franciscanorum familiis jam declaratum est. Hæ familiæ religiosæ ne mobilia quidem necessaria, uti supellectilem domorum, possident ipsæ, sed habent tantum eorum usum facti, dum jus possessionis manet vel penes ipsum Pontificem, vel penes Ecclesiam universam. Etiam his licet tamen, pro ecclesiæ suæ usibus cultuve accipere donationes vel legata, nimirum more eleemosynarum, ita ut neque ipsi, neque eorum syndicus habeat actionem in ea, si non ultro tradantur. Inde tamen non sequitur, hæredem non ex justitia teneri, talia legata solvere, nam loco ecclesiæ ordinis ad fabricam sancti Petri devolveretur jus ea exigendi.

4. — Dicendum demum est, quid sint „Ordines Mendicantes," et quæ requirantur, ut sensu juris ordo hanc qualitatem habeat: 693

a. — Requiritur, ut non solum pro particularibus, sed etiam in communi paupertatem profiteatur, ita ut saltem non possideat bona immobilia in communi; et quidem vi Constitutionum et juxta regulam, non solum ex mero usu mendicandi.

b. — dein necesse est, ut vi Constitutionum sequatur „vitam mixtam" quam vocamus, i. e., ut non mere contemplationi vacet, sed etiam laboret in auxilio proximi; nam præcise ad hunc finem exsequendum tales ordines cursu temporum approbabantur. Sunt autem Augustiniani, Carmelitæ, Dominicani, Franciscani et plures aliæ religiones approbatæ. — Ita propositis generalibus, accedamus ad jus nostrum.

ARTICULUS SECUNDUS.

PAUPERTAS COLLEGIORUM ET NOVITIATUUM.

694 Quum Societas JESU sit corpus organicum, compositum ex membris diversæ speciei non tantum quoad personas, sed etiam quad communitates et domos, facile intelligitur, etiam paupertatis leges alias et alias esse circa domos et communitates pro diversa earum qualitate. Notandum, in Societate in hac parte Novitiatus æquiparari Collegiis.

1. — Satis notum est, Collegia Societatis non profiteri paupertatem in communi, neque quoad bona stricto sensu immobilia, neque quoad stabiles reditus et alia jura temporalia. Imo juxta Constitutiones sine sufficienti rerum temporalium dotatione ne acceptari quidem possunt. Collegia igitur nostra et domus probationis pleno sensu jura proprietatis habent, tum ad bona immobilia tum ad mobilia. — Rationes vero, quibus motus Ignatius statim ab initio hanc formam Collegiorum constituit, habet jam sanctus Thomas, 2. 2. q. 188. a. 7: Collegia nimirum sunt ex iis communitatibus, quas vocat Thomas contemplativas, „quia ducunt in cognitionem veritatis," i. e. quoad Collegia per studium litterarum. Dicit autem experientia constare, defectu rerum ad vitam necessariarum et sollicitudine curaque eas comparandi, studium litterarum impediri; hinc magis expedire, tales communitates ut sint liberæ ab his curis.

Paulus III. „Regimini": „possint tamen habere... Collegia habentia reditus, census seu possessiones, usibus et necessitatibus studentium applicandos; cet." — Julius III. idem iisdem verbis in „Exposcit" et Gregorius III. in „Ascendente." — Ex. c. 1. §. 4: „et quamvis habeat Societas Collegia et domos probationis reditibus dotatas, ad Scholasticorum sustentationem, antequam in Societatem professam vel ejus domos recipiantur, cet." — P. 4. c. 2. per totum, de possessione et administratione bonorum. — C. 1. D. 73: „quia etiam videmus, quam sit incommodum quantumque impediatur divinum obsequium, cum domus et ecclesia exercitiis nostro Instituto consentaneis apta non

habetur, cumque Nostri necesse habent, occupationes spirituales relinquere, ut vacent victui et rebus temporalibus ad studium necessariis quærendis, similiter statuimus, ne ullum mittatur Collegium ad locum aliquem, ubi domus conveniens ad Nostrorum habitationem et scholas tenendas et ecclesia ad spiritualia exercitia in proximorum auxilium tractanda non assignetur, sive proprietatem ejus, sive usum liberum relinquant." — De subministranda Nostrorum in Collegiis degentium sustentatione in eodem Decreto statutum jam erat. — Idem C. 2. D. 8. — C. 5. D. 69. — Ord. Gen. c. 16 §. 6. — cf. n° 764.

2, — Simul tamen in Constitutionibus provisum est, ne pro humana 695
fragilitate, dum possidentur bona temporalia, iis qui in Collegiis degunt nocumentum accrescat vel occasio declinandi a stricta paupertatis lege. Propterea tum acceptatio tum administratio bonorum non est penes Collegium ipsum, sed penes Societatem professam; similiter atque pupilli sub tutore, quod supra in Parte quarta jam explicatum est.

„Regimini": „retenta penes Præpositum et Societatem professam omnimoda gubernatione seu superintendentia supra dicta Collegia." — „Exposcit" et alibi. — P. 4 c. 2. C: „Societas in usum Scholasticorum suorum juxta litteras Apostolicas redituum administrationem exercebit per Præpositum Generalem, vel Provincialem vel alium, cui Generalis id commiserit, ad defendendas et conservandas possessiones et reditus Collegiorum, etiam in judicio, cum id conveniens vel necessarium fuerit." — C. 1. D. 59. — Ord. Gen. 20.

Pius V. „Innumerabiles fructus" 29 April. 1568: „omnimoda Collegiorum ipsius Societatis gubernatio ad pro tempore existentem Præpositum Generalem vel ipsam Societatem spectet; indeque fit, ut neque Collegia præfata Capitulum habeant, neque capitulariter ad quævis peragenda congregentur, omnisque facultas celebrandi contractus... penes Præpositum præfatum resideat." — Quæ præterea ordinata sunt, ut in Collegiis, quæ habent sufficientiam aut abundantiam rerum temporalium, paupertatis puritas conservetur, habentur jam in Parte quarta et P. 6. c. 2. §. 7. seqq., ad quæ hic referimus, quum satis jam supra per singulas partes explicata sint.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DOMIBUS PROFESSIS EARUMQUE PAUPERTATE.

Quum hic primum sermo inferatur de domibus professis, necessarium esse videtur, antequam de earum paupertatis lege dicatur, ea præmittere,

quæ de earum natura, fine, gubernatione tenenda sunt. Agamus igitur de utraque re numeris separatis.

I. DOMUS PROFESSÆ QUID SINT.

696 1. — Quid sint, nomen jam indicat, scil. domus in quibus degunt Professi ad exercenda ministeria juxta Constitutiones sibi convenientia. Finis proin earum non est in studia incumbere, sed ea exercere, quæ studiis jam comparata sunt, ita tamen, ut in iis minime excludatur studium ad exercendum sacrum ministerium vel necessarium vel utile.

P. 3. c. 1. §. 27. et X: „studia vero litterarum, in universum loquendo, in domibus non erunt, nisi cum quibusdam peculiaribus de causis dispensatione opus esse videretur. Collegia enim ad litteras addiscendas sunt, domus vero ad eas, quas didicerint, exercendas." — „Quamvis in genere loquendo studia litterarum in domibus Societatis non teneantur, quicunque tamen prædicationi et confessionibus audiendis vacant, studium adhibere possunt ad ea, quæ ipsis usui futura sunt. Et si alicui particulariter conveniret, aliis etiam rebus studere, prudentiæ Superioris relinquitur, ut id consideret et in eo dispenset."

697 2. — Facultas erigendi domus professas, sicut etiam Collegia, penes solum Patrem Generalem est. — P. 9 c. 3. §. 17: „[Generalis] poterit, non exspectata Generali Congregatione, *domos*, Collegia, Universitates Societati oblatas accipere." — Et cordi sit Generali, tales domus habere. — C. 3. D. 17: „[Patri Generali] commendandum censuit Congregatio, ut erigendis domibus Professorum applicaret animum; ipsius tamen prudentiæ tempus et locum et modum reliquit, quo id effici deberet." — In restituta Societate idem sensus fuit, uti videre possumus in C. 20. D. 13; attamen Congregatio ipsa sibi persuasum habuit, propter temporum mutatas conditiones rem esse difficillimam, domus professas erigere. — C. 22. D. 16. — C. 24. D. 23. idem.

3. — Quid requiratur, ut quis sit fundator domus professæ, habetur in C. 3. D. 41: „domus professæ fundatorem habere possunt, quemadmodum et Collegia. Fundator autem professæ domus ille censeri debet, qui dat ecclesiam necessariis rebus ad cultum Dei ornatam; præterea domum supellectili domestica et libraria sufficienter instructam. Pro hujusmodi autem fundatore ea suffragia in ipsa domo et provincia, in qua domus erigitur, exhibebuntur, quæ Constitutio P. 4. c. 1. pro Collegiorum fundatoribus in tota Societate exhiberi præscribit, excepta candelæ traditione."

4. — Dissolvere has domus non potest Generalis, sed sola Congregatio Generalis. — P. 3. c. 3. §. 18: „transferre vel dissolvere *domos* vel Collegia jam erecta, aut in usum Societatis professæ reditus eorum convertere, Præpositus Generalis, ut in quarta Parte dictum est, non poterit." — cf. n° 209. seq. 699

5. — Superior in domo professa sit aliquis Professus quatuor votorum. — C. 3. D. 21: „quæ (C. 1. D. 28. tit. 2., et decl. 3. Part. 8. c. 8. §. 1.) cum decernit, ne Professi trium votorum, aut alii non Professi, Professis quatuor votorum præesse possint, de præsidentia in domibus professis vel integris provinciis, ubi subditos communiter Professos esse quatuor votorum oportet juxta Constitutiones, intelligendum est." 700

Coroll. — Licet ex iis, quæ de domibus professis breviter exposita sunt, hæc eruere: 701

1. — In corpore Societatis domus professæ sunt membra præcipua ad formandum ejus organismum; reliqua omnia proprie ad hoc sunt, ut præparent ad ea facienda, quæ in domibus professis peraguntur.

2. — Et cum sint Societatis partes primariæ, præprimis etiam in iis Instituti nostri puritas et perfectio eluceat. Quod quam verum sit circa paupertatem, mox clare videbimus.

3. — Quare domus professæ ut in principalibus urbibus erigantur, placet omnino. — C. 3. D. 17. supra, et potius hæ domus, quam residentiæ. — C. 19. D. 7: „censuit Congregatio, fovendas et, quoad fieri potest, conservandas domus professas, et huic postulato [de mutanda domo professa in residentiam] ægre admodum a R. P. N. esse annuendum; nec talem mutationem, nisi post tentata nequicquam alia media, et in solo casu gravissimæ necessitatis, permittendam." — Nostris temporibus in plurimis regionibus fere impossibile esse, domus professas erigere, consideranti mutatas conditiones ultro patet. — C. 24. D. 23.

4. — Domus professæ ad ministerium exercendum proprie institutæ sunt; et quidem omnis generis ministerium, scholis exceptis. Ita est in locis citatis, imprimis P. 3. c. 1. §. 27. X. — Necessaria vero et utilia studia abesse non debent; inde etiam collatio casuum. — C. 13. D. 17.

II. DE PAUPERTATE DOMORUM PROFESSARUM.

Quæ sit hæc paupertas legitur in Pauli III. „Regimini" 27 Sept. 1540: „voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, declarantes, quod non solum privatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione aut usu ad bona aliqua stabilia, aut ad pro- 702

ventus seu introitus aliquos jus aliquod civile acquirere; sed sint contenti usum tantum rerum sibi donatarum ad necessaria sibi comparanda recipere."

Julius III. „Exposcit" 21 Jul. 1550: „sic voveant singuli et universi paupertatem, ut non solum privatim, sed neque etiam communiter possint Professi, vel ulla eorum domus aut ecclesia, ad aliquos proventus, reditus, possessiones, sed nec ad ulla bona stabilia, præter ea quæ opportuna erunt ad usum proprium et habitationem, retinenda jus aliquod civile acquirere, rebus sibi ex charitate donatis ad necessarium vitæ usum contenti." — cf. n° 757. 758.

Ex. c. 1. §. 3: „sic paupertatem accipiendo, ut nec velit nec possit reditus ullos ad suam sustentationem, nec ad quidvis aliud habere. Quod non tantum in particulari de unoquoque, sed etiam de ecclesiis et domibus Societatis professæ est intelligendum." — P. 6. c. 2. §. 5: „non solum reditus, sed nec possessiones ullas habeant in particulari nec in communi domus vel ecclesiæ Societatis, præterquam quod ad habitationem vel usum necessarium eis aut valde conveniens fuerit; cujusmodi duceretur, si in usum convalescentium vel eorum, qui ut rebus spiritualibus vacent, se ab hominum frequentia recipiunt, locus aliquis a communi habitatione separatus, qui aëre salubriori et aliis commodis polleret, admitteretur: et tunc hujusmodi ille sit, ut nec aliis locetur, nec fructus, qui redituum loco esse possint, habeat." — Conferantur etiam quæ habentur §. 14. Decl. A. F. K. — cf 759.

703 1. — Ex hoc igitur generali principio, quod domus professæ et earum ecclesiæ nulla possunt habere bona stabilia cujuscunque generis, nec ulla jura ejusmodi, sequuntur multa specialia, qualia recenset Lacroix l. 4. n. 147-151.

a. — „non est licitum domui professæ, fructus horti vendere vel hortum elocare, neque ex uvis facere provisionem vini, neque ex frumentis panem aut cerevisiam; posset seri frumentum, ut a jumento in herba consumeretur. Item est illi licitum, alere gallinas et harum ova vel pullos edere; item porcillos, ut suo tempore mactentur; item piscinam, in qua pisces, non tamen in magna copia, adolescant." — „Licitum est etiam habere commune cum aliis jus modice piscandi in præterfluente amne." — „Quodsi fructus uno anno abundantes non possunt a domo consumi, non ideo licitum est vendere ad emenda alia necessaria, uti nec permutare, v. g. uvas cum tritico. Quoties enim res est prohibita vendi, etiam censetur prohibita permutari." — P. 6. c. 2. §. 5. decl. F.

b. — „Domui professæ licitum est relinquere colono horti fructus etiam cum potestate vendendi, si velit, ne hortus maneat incultus, retento tamen jure habitationis et recreationis. Non est autem licitum, accipere unam partem fructuum, relicta illi altera parte velut in mercedem laboris; id enim esset elocare hortum. Imo nec videtur licitum, cum colono concurrere ad expensas culturæ, et tunc pacisci de parte fructuum ad solvendam mercedem colono. Sed si ex cultura redundet in nos pars fructuum vel utilitas, debet aliunde præstari merces colono. — Similiter nec licitum est, vendere fructus ad necessarias expensas pro fabrica vel sepimentis horti; nam sic censeremur habere pro his annuos reditus. — Ratio autem omnium est, quia bona immobilia non possunt aliter domui professæ fructificare, nisi ad solos usus ejusdem domus."

c. — „Domus professa potest institui hæres aut legataria bonorum etiam immobilium, dummodo hæc alienet et se exuat omni jure civili ad ea, quam primum commode potest. Si tamen desit emptor, potest retinere ad modicum tempus, quale censetur quod est infra decennium." — Lugo,

d. — Quodsi ei legetur v. g. domus, non poterit eam vendere Titio ad vitam, cum potestate recipiendi dominium post mortem Titii; hoc enim esset vel elocare, accepto semel et simul illius temporis locagio, vel vendere solum dominium utile, retento dominio directo proprietatis. Imo nec videtur esse licitum, vendere cum pacto retrotrahendi, quando volet pecuniam refundere; quia sic reipsa non plane alienaret, nec se exueret omni juri civili ad illam. — Potest forte excipi, si talis res non esset quidem nunc, attamen prævideatur futura necessaria ad usum, v. g. ad constituendum novum ædificium, augendam recreationem, instituendum Collegium. Potest enim censeri tunc retineri ad usum proprium, imponendo emptori solam obligationem personalem ad revendendum."

e. — „Si testator obligaret hæredem ad offerendos pro eleemosyna omni anno centum aureos domui professæ, hanc potest acceptare; quia per hoc ipsa nullum jus vel actionem acquirit, sed hæres habet obligationem ad solum testatorem. — Si tamen testator relinqueret hæreditatem Collegio, cum obligatione annue annumerandi centum aureos domui professæ, Constitutiones in P. 6. c. 2. §. 2. id prohibent, etiamsi esset ad conservationem templi a testatore fundati, quia non voluerunt penes Societatem esse ullam actionem, dispositionem aut dispensationem ejusmodi rerum domui professæ applicandarum. — C. 7. D. 50. — Gravari tamen potest Collegium ad ædificandam domum professam, uti admittit Lugo."

704 2. — Domus professæ non possunt sublevari ex bonis Collegiorum, hoc lex paupertatis non admittit. — P. 6. c. 2. §. 3: Professi vivant ex eleemosynis in domibus, cum aliquo non mittantur... nec Collegiorum reditibus in domibus utantur." — Attamen decl. D: „res minimæ ducuntur pro nihilo; et ita ad scrupulos eximendos declaratur, ubi Rector eum, qui iter per ipsius Collegium haberet, ac viatico egeret, viatico aliquo ac eleemosyna prosequeretur, recipi eam posse. — Sic etiam intelligitur, contra Constitutionem non esse, quod in aliquo horto Collegii aliquid recreationis infirmi vel sani, qui sunt in domibus, sumant; dum tamen expensis Collegii, quamdiu sunt in domibus, non alantur; et tantumdem de rebus potest judicari."

P. 4. c. 2. §. 5: „Generalis nec in suum nec in ullorum consanguineorum suorum, nec in professæ Societatis usum bona temporalia Collegiorum potest convertere." — Et decl. F: cum dicitur, non posse Societatem professam vel ejus Præpositum Generalem juvari reditibus Collegiorum, intelligendum est juxta litteras Apostolicas, quod non possint in proprios ipsorum usus reditus converti, cet. — Posset [tamen] expendi aliquid, quod exiguum sit cum quovis homine de Societate, mensa per diem aliquem eum excipiendo vel modicum quid viatici, cum per Collegia in hanc vel illam partem transit, vel quid simile donando. Quod enim tam est exiguum ut nihilum ducitur, et scrupuli eximuntur, hinc quidem inhumaniter se habendi, inde vero contra Sedis apostolicæ intentionem agendi."

705 3. — Legata vero vel alia subsidia temporaria admittere possunt domus professæ, v. g. ad reparandam vel ædificandam ecclesiam vel domum; nam sunt istæ meræ eleemosynæ. Modo duo observentur: primum ne sit eorum dispositio apud ipsos Professos, alterum, ne habeant eorum jus proprium. — P. 6. c. 2. B: „si aliquis ex fundatoribus domorum vel ecclesiarum vellet reditus aliquos ad fabricæ usum relinquere, dommodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio in illos (quamvis id illi curæ esset, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret); et sic in rebus similibus; non esset id a paupertate Societatis alienum." — Cf. supra: c. et d.

706 *Nota* 1. — C. 24. D. 16: »ad interrogationem Congregationi propositam: quo sensu intelligenda sint verba, quæ habentur in Const. P. 6. c. 2. litt. B: »et sic in rebus similibus,« responderunt Patres Deputati, hoc sensu intelligenda esse: — 1° ut non solum ad fabricæ usum aliqui reditus relinqui possint, *dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit, unde ei competat actio in illos,*

sed ad alios etiam similes fines, ut ad sacristiæ vel bibliothecæ usum, atque etiam in sustentationem; — 2° ut hujusmodi eleemosynæ accipi queant, sive a Domorum vel ecclesiarum fundatoribus relinquantur, sive a quocunque alio benefactore. Quam declarationem Patres Congregati unanimi suffragio approbarunt.«

Nota 2. — Quamdiu nondum possident, quæ sibi licita sunt, fas est adhibere media, quibus illa sibi comparent. — Vide n° 758. — Similiter atque in Residentiis comparandis et instruendis. — n° 723.

4. — Pro ministeriis, quæ exercentur, non licet ullum præmium 707
temporale admittere in compensationem. Quod cum constitutum sit pro tota Societate, maxime obtinet pro domibus professis, unde Nostri in sacro ministerio plurimum exercentur. Nec accipiantur fundationes Missarum in ecclesiis nostris dicendarum. — P. 6. c. 3. §. 6: „obligari etiam ad Missas perpetuas in suis ecclesiis dicendas, vel ad curam similem, quam libertas nostro procedendi modo in Domino necessaria non patitur, minime convenit." — Decl. C: „domibus quidem omnino convenit, tale onus non suscipere."

5. — Administratio rerum temporalium, sicut in Collegiis ita et in 708
domibus professis fit per Generalem. — P. 9. c. 3. §. 5: „est penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quosvis contractus, emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium, tam domorum quam Collegiorum Societatis." — Hic vero domus ipsas alienare sine facultate Societatis, i. e. Congregationis Generalis potestatem non habet. Requiritur etiam facultas Sedis Apostol. — n° 732.

6. — Modus rogandi eleemosynas exprimitur in P. 6. c. 2. §. 10: 709
„et sit unus vel plures ad eleemosynas petendas, quibus personæ Societatis sustententur, destinati; quas eleemosynas simpliciter amore Domini nostri petent." — C. 1. D. 103: „consideretur modus mendicitatis in Urbe et aliis in locis tenendus, an scil. ostiatim, ut fit Romæ bis in hebdomada, emendicari oporteat, necne, sed potius per procuratorem sint eleemosynæ petendæ, ut modo fit per procuratorem domus nostræ in Urbe. Priorem ex his modis, quamvis permisit ad tempus P. N. Ignatius, significavit tamen sibi non placere." — Reg. Præp. 59: „habeat procuratorem, qui eleemosynas petat, cui alios ad eam rem substituere poterit, si necessarium judicabit; ita tamen, ut quam paucissimi in mendicando occupentur."

Coroll. I. — Supra dictum est, a Concilio Tridentino omnibus 710
religionibus factam esse facultatem possidendi in communi bona immo

bilia. Quæritur nunc, quænam sit conditio paupertatis in Societate post hoc decretum Concilii:

1) — Quod a Concilio ordinibus mendicantibus offerebatur, quum ab auctoritate summa Ecclesiæ emanaret, poterant hi assumere non obstantibus eorum Constitutionibus quibuscunque. Attamen quum hæc concessio non esset privilegium, cujus resignatio *statui* religioso qua tali injuriosa fuisset (qualis est v. g. immunitas ecclesiastica, cujus resignatio fieri non potest, utpote *statui* clericali injuriosa), poterant æquæ bene hunc favorem acceptandum resignare. Quod fecerunt v. g. Carmelitæ, et Societas JESU quoad domos professas. — Suarez de rel. tr. 10. l. 4. c. 9. n° 11.

711 2) — Sed num debuit Societas hanc resignationem facere vi voti, quod Professi emittunt de non relaxanda paupertate; an potuit stante hoc voto tamen hunc favorem oblatum acceptare? — Habet Suarez tr. 10. l. 6. c. 6. §. 16: „in Constitutionibus solum ponitur pro materia hujus voti, non procurare ullo modo, neque esse causam hujus mutationis (de relaxanda paupertate); ergo acceptare illam, si a Pontifice fiat, non est contra hoc votum. Neque est contra verbum illud: „non consensuros", nam ibi est sermo de consensu cooperativo in actionem seu negotiationem huic voto contrariam, cujus modi esset suffragium in Congregatione. Acceptatio vero hæc neque est consensus cooperativus, sed receptivus, ut sic dicam; neque etiam est in actionem voto contrariam, sed in eam tantum, quam summus Pontifex auctoritate sua efficere poterat."

3) — Societas igitur non quia debuit et obligabatur, sed solo studio majoris perfectionis impulsa hunc favorem resignavit — C. 2. D. 33: „cum Concilium Tridentinum sess. 25. de regul. c. 3. facultatem dederit omnibus religiosis, exceptis Observantibus Minorum et Capucinis, habendi bona immobilia in communi, non obstantibus quibuslibet Constitutionibus eorum, propositum fuit Congregationi, an, restringendo sanctam paupertatem, placeret cedere juri cuicunque ad habenda bona immobilia in domibus Professorum, quod ex decreto Concilii prædicto nobis esset acquisitum. Et placuit magno consensu Patribus, ut cederemus cuicunque juri ex Concilio nobis provenienti, et juxta nostras Constitutiones et vota, quæ post professionem emittuntur, paupertatem in Professis ac ipsorum domibus retineremus."

712 4.) — Sed tunc quæritur: num potest decretum alicujus ordinis particularis generale quoddam statutum ecclesiasticum, quale est Trid. 25. de regul. c. 3., et quo etiam Societas capax fiebat possidendi in communi bona immobilia, num potest, dico, tale decretum generale istud

decretum sibi tollere sine competentis ecclesiasticæ auctoritatis consensu? Quidquid est de hac facultate, certe in hac re etiam sufficiens approbatio Sedis Apostolicæ accessit. Dicit enim Sanchez. theol. moral. l. 6. c. 18. n. 14: „hanc auctoritatem pontificiam absque dubio tunc accessisse credo. Nec enim credendum est, Societatem tunc congregatam renuntiationem tanti momenti celasse Pontifici, sed ipsum absque dubio certiorem fecit, ab ipsoque renuntiatio hæc approbata est, priore ecclesiastico statuto illæso perseverante. Et dato, hæc non accidisse, postea Constitutiones approbavit Gregorius XIII. anno 1584: „Ascendente Domino," ubi totum Societas Institutum retulit et confirmavit, decidens, Coadjutores formatos Societas Jesu per simplex paupertatis votum et per solemne Professos reddi incapaces cujuscunque proprii habendi, et domos professas Societatis nullos reditus habere posse."

5) — „Dices, si Societas Jesu professa nunc velit uti concessione 713
facta a Tridentino Concilio, posset id facere sine læsione hujus voti? Respondetur negando sequelam, quia res non est integra neque in eodem statu. Postquam enim Societas cessit illi privilegio, virtute confirmavit votum solemne ejusdem paupertatis, non obstante illo. Et in eodem sensu professi sunt eandem paupertatem successores omnes; et consequenter per hoc votum promittunt, paupertatem illam, quam sic professi sunt illæsam conservare, nihil ex parte sua innovando, quod ad relaxationem pertineat. Revocare autem cessionem factam, præsertim postea a Sede Apostolica cum reliquo Instituto toties confirmatam, esset magna relaxatio, et ideo sine dubio esset contra hoc votum. Secus autem erit, si vel summus Pontifex vel aliud Concilium Generale in futuro tempore denuo similem facultatem faciant; nam tunc habebit Societas eandem libertatem renuntiandi vel acceptandi illam, quam habuit secunda Congregatio Generalis circa decretum Concilii Tridentini." — Suarez l. 6. c. 6. §. 17.

Coroll. II. — Quodsi comparamus paupertatem Societatis professæ 714.
cum aliis ordinibus strictæ paupertatis, v. g. cum Franciscanis, dicendum est, illius paupertatem strictiorem esse ex una parte, quum non admittat reditus pro fabrica ecclesiæ, quod alii faciunt. Ex altera tamen parte minus strictam, quum domus professæ possideant domum ejusque mobilia, quod alii vetantur, qui habent tantum eorum usum facti.

Coroll. III. — Domus professa Romana, quum prima sit origine, 715
et in qua plerumque residet Generalis, ex his rationibus prærogativam quandam habet præ aliis, et specialia quædam statuta.

1) — Immediatus ejus Superior est Pater Generalis ipse. — C. 2. D. 49: „propositum fuit, an R. P. Generalis Præpositus, hujus Romanæ domus Præpositus particularis esse deberet, necne; et placuit Congregationi pro affirmativa." — D. 73: „Pater Generalis erit præpositus domus Romanæ et habebit Ministrum et alios officiales, quorum opera utitur ad gubernationem particularem ejusdem domus."

716 2) — Est autem liberum Generali, Vice-Præpositum nominare. — C. 4. D. 28: „decretum fuit, nihil jam esse innovandum, sed servanda esse decreta 49. et 73. Congregationis secundæ. Posse tamen ab eodem P. Præposito Generali constitui pro suo arbitrio ac prudentia Vice-Præpositum cum ordinaria Præpositorum Societatis potestate, qui habeat suos Consultores, Admonitorem et alios officiales, et particularem domus gubernationem exerceat"

717 3) — Hic Vice-Præpositus ne sit unus ex Assistentibus, habeat tamen jus ad Congregationem Provincialem. — C. 4. D. 32: „ut Assistentes officio sibi commisso impensius ac melius vacare possint, juxta C. 2. D. 74., statuit Congregatio, ut Vice-Præpositus domus professæ Romanæ sive Minister non sit ex numero Assistentium. Præterea definitum est, ut prædictus Vice-Præpositus possit interesse Congregationi Provinciali cum jure suffragii, sive Professus sit sive non; quamvis curandum erit, quoad ejus fieri poterit, ut semper sit Professus quatuor votorum."

718 4) — Si forte post mortem Generalis Pater Provincialis Romæ non adsit, præsidet electioni Vicarii, modo Professus quatuor votorum sit. In form. Congr. ad. elig. Vicar. §. 2. et 3: „statim post sepulturam Generalis demortui convocabit Congregationem Præpositus Provincialis, si aderit, vel eo absente, Præpositus domus professæ, si ea ibi sit, et Romæ Vice-Præpositus, si Professus quatuor votorum fuerit; sin minus, antiquissimus Professorum, qui ibi aderunt." — Et eodem ordine proceditur in electione Vicarii.

719 *Coroll. IV.* — Societas semper plura Collegia habebat, domus vero professas pauciores; quod sæpissime ei objiciebatur. — cf. Ribadeneyra c. 14. — Gagliardi p. N. de paupertate.

1) — Non est secundum mentem Tridentini, sess. 25. de regul. c. 3., multiplicare monasteria, quæ ex eleemosynis ad quotidianam sustentationem vivant, ne populus nimia earum erogatione gravetur. Quæ etiam est ratio, cur in magnis urbibus tantum, ubi numerus donatorum major est, domus professæ sint erectæ.

2) — Collegia quam maxime necessaria erant ad educandam juven-

tutem; et in ipsis etiam sacrum ministerium exercebatur. Unde fiebat, ut populus catholicus præferret Collegia domibus professis, propter eorum quasi duplicem utilitatem.

3) — Et ipse finis Societatis postulabat Collegia. Nam ex ipsis maxima pars Candidatorum habebatur, imo etiam pro educandis suis Scholasticis Collegia necessaria erant.

ARTICULUS QUARTUS.

DE PAUPERTATE RESIDENTIARUM.

720 Residentiæ vocantur in Societate eæ domus, quæ non inserviunt ad nostros juvenes educandos, quæque nec novitiatus sunt nec Collegia. Neque sunt de jure domus professæ, quamvis quoad ministeria in ipsis exercenda plurimum, et si sint Residentiæ absolute, etiam quoad paupertatem, istis æquiparentur. Qui in iis præest, vocatur Superior, nominatur a Provinciali et confirmatur a Generali, nisi hic ipse, quando bene visum fuerit, Superiorem nominet. Distinguimus tria genera Residentiarum, in quibus etiam juxta variam earum qualitatem paupertatis lex varia est. — C. 24. D. 15.

721 1. — Residentiæ, quæ sunt pars alicujus Collegii, cujus Rectori Superior Residentiæ subest. In iis viget eadem lex paupertatis, quæ in Collegio, cujus sunt pars: id est, possunt possidere bona mobilia et immobilia. Quorum tamen administratio fit superintendente et disponente ipsius Collegii Rectore; reditus ipsi impendendi sunt proxime in bonum Residentiæ; quæ supersunt, vel ex intentione fundatorum sive donatorum in pios usus expendi, vel, si de ista non constat, bonis Collegii incorporari debent. Potest etiam Residentia erigi, ita ut omnia ejus bona possideantur a Collegio, cum onere, tradendi proventus horum bonorum tanquam eleemosynam Residentiæ. — cf. nº 762.

722 2. — Sunt Residentiæ, quæ acceptantur, cum ea intentione et spe, ut paulatim in vera Collegia crescant, quæque ea de causa etiam Collegia inchoata vocantur. Etiam hæ eandem atque Collegia paupertatem habent. — C. 9. D. 18: „declaravit Congregatio, eas tantum domos Collegia inchoata censeri, quæ a Patre Nostro non tantum in spem futuri Collegii, sed etiam, quamvis ad complementum multa desint, acceptatæ sunt in Collegium, et Superiores habent a Patre Nostro aut de expressa ejus commissione constitutos, qui sint et in

posterum nominentur Rectores, vel etiam sint horum Vice-Rectores. Superiores autem, qui a Provincialibus institui possunt et amoveri, et non sunt Vice-Præpositi aut Vice-Rectores, nullum habent jus ad Congregationem Provincialem." Priores tamen habent hoc jus. — cf. nº 762.

723 3. — Sunt Residentiæ proprio et absoluto sensu dictæ, de quibus habet C. 23. D. 28: „eæ quæ proxime subsunt ipsi Provinciali. Coarctata quæstione ad Residentias hujus generis, censuit Congregatio, pertinere ad Patrem Generalem, definire auctoritatem seu jura Superiorum earum; regulas vero pro iis conscribendas esse Congregatio negavit." — Earum Superiores habent tamen jurisdictionem ordinariam quam delegare possunt, sicuti etiam Superiores domorum professarum; non vero jus adeundi Congregationem Provincialem, ut supra dictum est ex C. 9. D. 18. Attamen jam exceptio statuta fuerat in præcedenti C. 8. D. 51: „demum rogata Congregatio, ut in gratiam missionum Indicarum, ex omnibus Superioribus Residentiarum, quas alicubi vocant Doctrinas, ei qui primariam Provincialis judicio designandam administrat, liceret adesse Congregationi Provinciali, annuendum censuit. Et cum eadem gratia peteretur Superiori totius missionis Hollandicæ, eandem similiter concessit. Ita tamen, ut uterque supernumerarius sit, quando jure antiquitatis interesse non possunt."

Harum Residentiarum paupertas eadem est, quæ definitur in P. 6. c. 2. §§. 2. et 4. pro domibus et ecclesiis, quæ a Societate ad auxilium animarum admittuntur. Intelliguntur quidem primo loco domus professæ; sed comprehenduntur etiam hæ domus, quæ quoad ministeria exercenda eandem omnino rationem sequuntur. — C. 24. D. 15. nº 2: „quoad paupertatem æquiparantur Domibus professis, atque adeo reditus stabiles habere non possunt, sive pro sustentatione Nostrorum sive pro sacristia et ecclesiæ fabrica." — cf. nº 760.

724 *Nota 1.* — In Societate restituta non aliæ fere domus erant et sunt, quam Residentiæ; quæ si nascerentur modo quo supponitur in Constitutionibus, i. e. plenæ et perfectæ cum ecclesia annexa ex donatione fundatorum, jam statim ab initio ea, quæ de earum paupertate dicta sunt, in iis valebant et tenebantur. Plerumque tamen earum origo et instructio soli ipsorum Nostrorum curæ commissa erat. Nimirum Provincialis domum quandam magis minusve aptam in urbe vel conducebat vel etiam pecunia mutuata emebat, in qua degentes aliquot Patres ministerium Societatis consuetum in salutem animarum exercebant, sive in sacello quodam annexo, sive in aliis urbis ecclesiis a parochis requisiti. Vivebant hi Nostri quidem ex eleemosynis erogatis vel ultro oblatis; sed ad solvenda debita ex emptione et instructione domus contracta necesse fuit, summam aliquam pecuniæ sufficientem colligere et asservare, donec satis esset ad solvendos annuos census

et ad reddendam paulatim ipsam sortem. Nemo non videt, hunc modum erigendi domus sive residentias, non esse modum consuetum et in Constitutionibus suggestum, sed ex necessitate rerum assumptum. Injustum igitur esset, Societatem arguere læsæ paupertatis religiosæ ex eo, quod pecuniæ summam colligeret et asservaret, de qua disponeret solum ad erigendas instruendasque domos sibi necessarias, quia necessitate cogente hic modus unicus erat ad habendam facultatem exercendi Societatis ministeria. Et bene advertendum, quod pecunia collecta non expendebatur pro victu quotidiano et aliis vitæ necessariis. Nam in his vigebat stricte lex vivendi ex eleemosynis, ita ut (quod tamen ex indulto permissum erat) nec Missarum stipendia acciperentur in proprium usum, sed maxima ex parte in sustentationem Collegiorum seminariorumque nostrorum. — cf. n⁰ 758.

Nota 2. — Quæ de quodam genere Residentiarum in C. 23. D. 28. n. 2. habentur, nimirum »earum, quæ ab alia Residentia principaliori, adeoque ab ejus Superiore dependent,« nihil mutant in legibus paupertatis sibi servandis. Videtur tamen, qui in iis præest dependenter a Superiore Residentiæ principalioris, fungi simpliciter munere Ministri, hujusque solum habere potestatem et non ulteriorem. 725

Nota 3. — De seminariis Pontificiis aut Episcopalibus, de Scholis Apostolicis et Convictibus vide n⁰ 766.

ARTICULUS QUINTUS.

De administratione Bonorum.

Cum Societas Jesu, olim præsertim, multa Collegia, domus, aliaque bona temporalia tum immobilia tum mobilia possederit, multum interest, accurate definire, quid sit subjectum juridicum proprietatis rerum temporalium in Societate, et qua ratione v. g. singulæ communitates quoad ea, quæ possident, alteræ ad alteras mutuo se habeant circa possessiones suas earumque administrationem. Quæ res eo majoris est momenti, quum non defuerint neque desint nunc, qui prætendant, Societatem totam in solidum teneri quoad temporalia omnia, ita ut, si v. g. quid peccetur in una domo vel ab uno Societatis homine, eo ipso tota Societas qua talis implicetur damnumque factum ex justitia teneatur reparare. 726

1. — Ex jure communi et abstrahendo a propriis et specialibus statutis alicujus religionis, quævis domus religiosa est persona juridica et utitur jure proprietatis quoad omnes res suas temporales, neque ullam habet dependentiam in usu hujus juris ab alia quavis domo ejusdem religionis, nec ullam cum ea solidaritatem. Quod valet etiam in iis religionibus, quarum singula membra singulæque domus communi Superiori Generali subsunt. Sunt quidem membra ejusdem familiæ 727

mutuoque amoris vinculo uniuntur, non minus ac fratres germani, qui habent singuli patrimonium suum separatum, et non ligantur solidaritate in suis rebus temporalibus. Quamvis charitas mutua, qua animantur alter ad alterum, eos impellat ad succurrendum alteri indigenti, tamen ad hoc non tenentur ex justitia, neque ulla actio potest eos cogere, ut hoc faciant.

728 2. — Hanc juris communis dispositionem Ignatius etiam in Societate valere voluit; erant enim et sunt in ea Collegia, domus, novitiatus, residentiæ, separata altera ab alteris quoad omnia temporalia bona eorumque usum. Sunt hæc non bona communia universæ Societatis, sed propria unicuique domui, destinata ad hujus solius domus sustentationem et usum. Inde est, quod ne ipse quidem Generalis, cui competit ex commissione Societatis professæ summa omnium bonorum temporalium in Societate administratio, habet potestatem disponendi pro suo arbitrio de bonis Collegiorum, sed tantum in singulorum utilitatem et bonum. — P. 9. c. 3. §. 5. — Ita v. g., si plura sunt accepta alicujus domus, quam quæ ipsi necessaria sunt pro sua sustentatione, necesse est, impendantur hæc superflua in proprium ipsius commodum, puta ad extinguenda debita, augendam fundationem pro majori numero Scholasticorum, et ejusmodi. — Hanc juris canonici dispositionem, omnibus religionibus communem, etiam lex civilis agnovit semper, pro Societate JESU quoque, donec anno 1760 incautus unius ex Nostris agendi modus tribunalibus Galliæ optatam præbuit occasionem, hanc normam juris relinquendi totamque Societatem pro defectu unius responsabilem faciendi.

Non habet igitur Societas JESU, quamvis sit unum corpus sub uno eodemque capite, qua Societas, ullam proprietatem, sicut nec singulæ provinciæ ut tales. Sed proprietarii in Societate sunt ipsæ domus ipsaque Collegia distincta; unde sequitur, posse inter ea justitiam lædi eodem modo, quo inter fratres germanos, separatum patrimonium habentes. — Hæc de proprietate. — cf. n° 751.

729 *Nota.* — Concordat C. 24. D. 17: »quæsitum fuit a Congregatione, num Provinciæ et Missiones ad sumptus communes faciendos arcam habere possint. et qua ratione.

Respondit Congregatio: — ad 1°, Provinciam, proprio sensu acceptam et prout a Collegiis et Domibus suis contradistinguitur, reditus habere non posse ex bonis stabilibus, quorum dominium non sit penes Collegium aliquod. Quare, si qua ejusmodi bona eidem obveniant, ab A. R. Patre Nostro applicanda erunt, vel fundationibus instituendis et perficiendis, vel etiam peculiari alicui Collegio cum onere reddendi Provinciæ fructus annuos ex eisdem bonis perceptos, ad expensas

communes sublevandas. Quodsi Provincia talibus reditibus plane caruerit, aut eosdem insufficientes habuerit, eleemosynis incertis et contributione Domorum et Collegiorum ad sumptus communes juvabitur. Licet enim Societas professa suis bonis ita applicatis uti non poterit ad suam sustentationem, licebit tamen Nostris, ingruente gravi necessitate, propter calamitosas rerum publicarum perturbationes, ex iisdem sustentari, si donatorum voluntas hæc fuisse præsumatur. — ad 2°, Missiones, sive independentes illæ fuerint, sive dependentes quidem ab aliqua Provincia, sed quæ pluribus domibus constent et a peculiari Superiore regantur, eadem paupertatis lege teneri, qua tenentur Provinciæ.« — cf. n° 781.

3. — Superintendentia autem et summa administratio omnium bonorum temporalium in Societate est penes professam Societatem, quæ eam ordinarie exercet per Generalem. Recte et proprie dicit igitur Suarez, Collegia et domos Societatis esse sicuti pupillos perpetuos sub tutore; i. e. possident quidem domus et Collegia vero et pleno sensu, sed non possunt nec licite nec valide disponere de suis rebus sine superiore auctoritate Generalis quasi tutoris. — P. 9. c. 3. — Suarez tr. 10 l. 4. c. 11. §. 7. — Generali autem interdicitur, ne Collegia, domus, Universitates dissolvat vel eorum bona stabilia alienet sine prævio consensu Societatis, qui datur ei vel per Congregationem Generalem, vel (casu quo) per Provinciales et alios jure nostro constitutos. — Vide n° 209 seqq. — etiam n° 767. 730

4. — Porro ut valide procedatur in alienandis bonis Societatis, non sufficit servare ea, quæ lex nostra specialis in hac re requirit, sed requiritur omnino, ut etiam accurate teneantur, quæ jus ecclesiasticum commune statuit. — cf. n° 771. — Sit igitur: 731

a. — Per Constitutionem Pauli II. (1464-71), „Ambitiosæ" (lib. 3. Extravag. comm. anno 1468) prohibentur omnes Superiores religiosi, ne vendant quæcunque bona immobilia et pretiosa mobilia sine prævia licentia Sedis Apostolicæ. — Bona vero immobilia intelliguntur esse agri, prædia, domus; etiam servitutes, census, obligationes, actiones ad immobilia. Nomine autem „pretiosorum mobilium" veniunt ea, quæ sunt de thesauro ecclesiæ, quæve propter magnum suum pretium, suam raritatem seu antiquitatem ecclesiæ specialem præbent splendorem. Etiam bibliotheca pretiosa, vel grex pecudis magnus, reliquiaria magni valoris, et similia. — Nunc quæritur inter doctos, num hæc Constitutio „Ambitiosæ" adhuc vim legis habeat, an ei derogatum sit sive ex consuetudine contraria, sive ex privilegio; cum constet, plurimas religiones de facto hanc Constitutionem non observasse.

b. — Quare Urbanus VIII. ex Decreto 7 Sept. 1624 intra fines 732
Europæ omnes tales exemptiones ac privilegia extinxit: „omnium rerum

et bonorum immobilium et pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos seu vitalicios, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, cessionem in feudum" a quibuslibet ordinum regularium moderatoribus fieri, perpetuo prohibet, non obstantibus indultis, privilegiis, quibus Sanctitas Sua derogat. — In alio Decreto, 21 Martii 1626, prohibet idem Pontifex: „ne accipiantur pecuniæ ad cambium, vel mutuo, cum solutione lucri cessantis aut damni emergentis." Habes igitur in his Constitutionem „Ambitiosæ" redintegratam et accuratius definitam. — Verum etiam privilegia, quæ post hanc derogationem extra Europam integra permanserant, recentissime revocata sunt per Constitutionem Pii IX. „Apostolicæ Sedis," 12 Oct. 1869, exigentem beneplacitum Apostolicum ad formam Extravag. Ambitiosæ, de rebus ecclesiæ non alienandis. — cf. Nov. Comp. privileg. „Alienatio" n° 22.

733 In Societate hæ alienationes valide fieri non possunt sine prævio recursu ad Generalem, Resp. 1652 et 1655; Generalis igitur est videre quid possit ex jure communi vel ex indulto Apostolico. — Resp. Lithuan. 2 Novembr. 1682: „omnibus Superioribus localibus et Provincialibus prohibitæ sunt permutationes et alienationes quæcunque absque facultate Generalis, eoque nomine irritæ. Neque satisfit Instituti nostri legibus, si inconsulto Generali a Curia Romana immediate licentia petatur." — Resp. Rect. Vienn. 18 Sept. 1655: „ad renuntiationem parochiæ Collegio incorporatæ non minus opus est auctoritate Apostolicæ Sedis, quam fuerat ad incorporationem." — Resp. Prov. Lithuan. 25 Maji 1655: „Reverentia Vestra severe monita nostro nomine illi Rectori declaret, subreptitiam et irritam fore omnem licentiam a Sede Apostolica alienandi bona Collegii nobis inconsultis impetratam, nosque graviter in illum animadversuros." — cf. n° 771.

734 5. — Restat ergo, quod Superior non possit propria auctoritate alienare, nisi mobilia non pretiosa, scil. ea quæ usu consumuntur, aut ultra triennium durare non solent, aut non excedunt 25 scutata aurea Romana sive usque ad 500 libellos italicos. Si autem pertineant ad ecclesiam vel bibliothecam, nonnisi in earundem utilitatem alienari possunt. Quoad immobilia autem quæcunque, etiam infra 40 scutatorum valorem, mittant informationes ad Generalem. — Nov. Comp. Privil. „Alienatio" n°. 20.

735 6. — Non licet Societati sive Generali, v. g. bona unius Collegii opulenti, quamvis ei superflua, transferre in aliud Collegium indigens ad ipsum sublevandum; quod ex sequentibus decisionibus fluit.

„A Procuratore Generali ordinis Prædicatorum postulabatur: „an alienationes, in quibus agitur in Decreto de rebus regularium non alienandis, quatenus inter monasteria ejusdem ordinis, et quidem cum monasterii utriusque utilitate fiant, ita prohibitæ et interdictæ censeantur, ut absque S. Congregationis licentia perfici non possint." — Et die 27 Febr. 1666 responsum fuit: „ita prohibita esse." — A fortiori igitur prohibentur, si alteri parti inde non fit utilitas.

In una Congregatione „Montis Oliveti" S. Congregatio censuit, non esse concedendam facultatem convertendi, uti inquit, „gli avanzi e frutti dei monasteri ricchi e ben governati" in solutionem debitorum, quæ ab aliis monasteriis solvi debent. — 27 Julii 1647. — Hæ decisiones fundantur in eo axiomate, quod unaquæque domus religiosa sua propria habet; quibus ne a Superioribus quidem privari possit. Huic non obstat, Superiores domorum ditiorum ex charitate obligari ad succurrendum domibus indigentibus. Imo non excedit facultatem Generalis vel Provincialis, ex singulis domibus exigere contributionem pro alendis v. g. nostris Scholasticis vel novitiis in Collegiis et domibus probationis indigentibus.

ARTICULUS SEXTUS.

DE ARCA SEMINARII.

Quid sit „arca seminarii", et quæ de ea tenenda sint, clare constat 736
ex Ordinatione R. P. Beckx, 19 Martii 1859, quam juvat proin hic inserere: — cf. etiam n°. 753.

„Ex Instituti nostri norma probationis domus et Collegia Nostrorum haud secus atque cetera sic constituenda sunt, ut suam quodvis dotem propriam possideant, eamque per se ipsa, invigilante Præposito Provinciali, administrent. Quoniam vero hac nostra ætate non una in regione perdifficile est domicilia ad hanc normam fundare nec non fundata si quæ fuerint tuta possidere, hinc probante antecessore meo p. m. R. P. Roothaan, in nonnullis provinciis institutum est, ut ex donis pro Nostrorum educatione acceptis summa pecuniæ conflaretur, Provincialis cura administranda. Hæc arca seminarii provinciæ dici consuevit, quippe quam domus, in quibus Nostri educantur, in communi possideant, et cujus proventu singulæ sustententur. Jam vero, ne hæc praxis occasio fiat violandi ea, quæ nobis in Instituto de paupertate ac bonorum possessione et administratione præscripta sunt, auditis PP. Assistentibus aliisque viris peritis, sequentia mihi sive declaranda sive statuenda visa sunt: — cf. n° 782 seqq.

737 1. — Quandoquidem hujus arcæ usus de speciali Præpositi Generalis licentia nec nisi compellente temporum iniquitate introductus est, Provinciales intelligant, non solum sibi permissum non esse, arcam hujusmodi, ubi nondum exsistit, introducere; sed etiam ubi exsistit, eo se diligenti et vigilanti cura collineare debere, ut, quanto citius fieri potest, domus probationis et Collegia, ubi Nostri student, ad consuetam Societatis normam fundentur. Quapropter ubicunque collecta hactenus pecunia ad id sufficere videatur, Provincialis, auditis suis CC., rationem, qua inter domus et Collegia illa dividantur, nobis proponat.

738 2. — Hac facta divisione Rectoris est, sortem domui cuique attributam secundum Societatis regulas per procuratorem administrare. Quodsi, quæ possidentur, ejusmodi sunt, ut a singulis procuratoribus commode curari nequeant, id quod nominatim in iis, quos vel *titulos* vel *obligationes* dicunt, contingere solet, eorum administratio sive Procuratori provinciæ, sive alii a Provinciali deputato committi quidem potest, ita tamen, ut hic cujusque domus rationes distinctas habeat, et singulis Rectoribus eorum, quæ gessit rationem reddat. — cf. n° 768-769.

739 3. — Ubi vero divisio prædicta fieri nondum potest, atque propterea arca seminarii communis retinetur, Provinciales fixum animo teneant, omnium bonorum, quæ seminario provinciæ applicata sunt, etsi a Provinciali per procuratorem ab ipso constitutum administrentur, proprietatem tamen nequaquam penes provinciam, quippe quæ omnis possessionis incapax sit, sed penes domos et Collegia esse, quæ seminarium constituunt.

740 4. — Quemadmodum igitur, ubi domus ad consuetam Societatis normam fundatæ sunt, fas non est Provincialibus, earum bonis vel reditibus ad alios fines uti, ita nec seminarii pecuniis domus ullas aut ecclesias, quæ ad seminarium non pertinent, ædificare vel instruere, aut reditibus ejus alias personas, nisi quæ domibus seminarii justis de causis applicatæ sunt, sustentare licet.

741 5. — Neque in usus provinciæ communes aut alia opera quantumvis pia reditus aut bona seminarii impendi possunt: in exigenda autem contributione ad sumptus communes, servetur reg. Provincialis 83. — cf. n° 780. — C. 24. D. 17. n°. 1.

742 6. — Etsi per se vetitum non sit, ex arca seminarii aliis domibus vel Collegiis pecuniam mutuo dare, ad gravissima tamen incommoda præcavenda prohibetur, ne id unquam fiat sine Præpositi Generalis expresso consensu.

743 7. — Si quæ sunt bona stabilia vel summæ capitales censuum

ad usus communes provinciæ donata, ea, ut sæpe a prædecessoribus meis declaratum est, sub proprietate alicujus Collegii constituenda sunt, ea conditione, ut fructus annui ad mentem donatorum fideliter ad hos solos usus communes provinciæ expendantur. Licet igitur ejusmodi applicatio etiam ad seminarium provinciæ fieri possit, non tamen hæc bona et reditus cum bonis et reditibus seminarii in unam velut massam confundi licet. — cf. n° 786.

8. — Quoniam Præpositi Generalis est, de iis, quæ neque certæ 744
domui neque ad finem determinatum, sed ita donantur, ut Societas iis pro arbitrio suo uti possit, disponere, Præpositi vero Provinciales eam partem hujus facultatis habent, quam ipsis Generalis communicaverit (Const. P. 9. c. 3. §§. 6. et 7.); permissum sit Provincialibus, ejusmodi dona, si summam mille scutatorum romanorum non excedunt, seminario provinciæ, aut si huic provisum est, alii Collegio applicare, nisi ejusmodi dona pro occurrente quavis necessitate ad tempus (non tamen ultra duorum annorum spatium) deposita servare maluerint. — cf. n° 783.

9. — Cordi quam maxime habeant Provinciales, ut seminarii domibus 745
certa et sufficiens fundatio obtineatur. Ad quam etsi procul dubio apta quoque ædificia pertineant, caveant tamen, ne his magis, quam vera necessitas requirit, amplificandis vel adornandis seminarii pecuniæ ad Nostros sustentandos necessariæ consumantur. Atque hic in memoriam revocari juvat, quæ de ædificiorum ratione Congregationum Generalium decretis præcepta sunt, ut scilicet ad habitandum et officia nostra exercenda utilia, sana et fortia, sed nec sumptuosa nec curiosa, sed paupertati et simplicitati religiosæ consentanea sint. — C. 1. D. 113.

10. — Quamvis in eundem finem, ut scilicet seminarii domus con- 746
venienter fundentur, donatores suaviter induci possint, ut oblata dona illis domibus præ reliquis applicari sinant, non sunt tamen urgendi nimis. Nostri autem, qui bona renuntiant, si quid Societati elargiri velint, sciant oportet, majoris perfectionis esse, id relinquere dispositioni Patris Generalis, quam tenero affectu descendere ad Collegia vel loca particularia. — Ord. c. 1. n° 10.

11. — Pensiones annuæ, quæ super Nostrorum personis constituuntur, 747
cujuscunque sint generis, judicio Præpositi Generalis certæ alicui domui vel Collegio applicandæ sunt. — Ord. c. ult. — C. 12. D. 37. — C. 14. D. 14. — Ubi vero domus seminarii modo superius dicto (n. 1. et 2.) fundatæ nondum sunt, arcæ seminarii attribuantur.

12. — Denique ubicunque hæc seminarii arca constituta est, cum 748
triennales catalogi Romam mittuntur, adjungatur in posterum etiam

catalogus rerum seminarii provinciæ. Singulis vero annis status temporalis ejusdem seminarii eo fere modo, qui in elenchis visitationis domuum servatur, Præposito Generali exhibendus, atque eo tempore de expensis provinciæ communibus ratio reddenda." — cf. nº 793.

Hactenus P. Beckx. His consona sunt quædem Responsa antiqua; 1651: „si provincia alicubi sumatur pro collectione Collegiorum seu domorum probationis, abstrahendo a domibus professis, residentiis et missionibus, tunc censent theologi nostri posse eam, etiam salva nostra paupertate, habere census activos seu bona stabilia, quæ ad omnia Collegia pertinent, et consequentur posse etiam habere census passivos, pro quibus dicta bona obligentur." — Gallobelgic. 1651: „ut provincia habeat census passivos, non quidem repugnat paupertati nostræ, cum his etiam graventur domus nostræ professæ. Sed quia condi ista non solent, nisi hypothecando aliqua bona stabilia, quæ provincia habere non potest, ideo non apparet, quomodo sub nomine provinciæ possint recte institui."

749 *Nota.* — Præter hanc arcam seminarii sæpius etiam infertur sermo de arca missionis, v. g. Bombayensis, Americæ septentrionalis et ejusmodi. Quidnam de tali arca? Verum est, missionem qua talem non posse possidere, sed etiam in ea singulas domus singulaque Collegia esse pro suis rebus subjectum proprietatis. Attamen potest missio habere summam pecuniæ collectam sive arcam, cujus finis sit, augere et stabilire missionem novis domibus seu Collegiis in posterum data occasione erigendis et instruendis. Sed tunc non ipsa missio est persona juridica, cui insit jus possidendi: sed subjectum proprietatis est Collegium sive seminarium, quod possidet et administrat ad interim istam summam, superintendentibus Superiore, Provinciali et Generali, cum obligatione, ex arbitrio Superioris eam impendere ad novas domus, nova Collegia, nova seminaria condenda, vel ad sustentandos nostros juvenes, donec domus prob. vel Collegium novum ex hac summa asservata erigantur vel fundentur, separata a Collegio primario. — cf. Ord. P[is] Beckx, 19 Martii 1859, de arca seminarii, n. 7. — nº 751. 752. — Nam quum nostris temporibus vix unquam Collegia et domus ab externis benefactoribus fundentur, qui est modus proprius juxta nostras Constitutiones, Societas ipsa debet rationem tenere paupertati nostræ non repugnantem, qua suppleat hunc defectum, et capacem se reddat exercendi juxta finem suum varia ministeria in salutem proximorum. — Eodem prorsus modo potest etiam admitti arca provinciæ, præter arcam seminarii supra explicatam, pro erigendis in posterum Collegiis et domibus, uti de missionibus dictum est. — Imo de singulis assistentiis simile quid est. In antiqua Societate leguntur fuisse procuratores Germaniæ, Lusitaniæ, Poloniæ; et nunc etiam assistentia Franciæ habet suas pecunias. Quod explicatur, ut sit hæc pecunia vel arca seminarii pro omnibus Collegiis assistentiæ, administrante Assistente, vel eo modo, quo de arca missionis et provinciæ dictum est. — Potiori jure permittuntur tales arcæ, sive pecuniæ ad censum datæ et quæcunque alia bona, etiam stabilia, ad pios fines extra Societatem. Quæ bona, etsi fortasse a Nostris administrentur, nequaquam sunt propria Societatis. — cf. nº 755.

ARTICULUS SEPTIMUS.

ORDINATIO A. R. P. LUDOVICI MARTIN DE RERUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONE. FESULIS DIE 21 JUNII 1894.

1. — Quum postulatum esset ab ultima Congregatione generali, ut 750
conficeretur *Ordinatio* aut *Instructio* pro administratione rerum temporalium, Patres Congregati responderunt „opportunum esse et utile id quod petebatur"; mihique *Ordinationis* faciendæ curam committendam voluerunt. Sentiebant, scilicet, „bonorum temporalium, quibus fruimur, naturam in præsenti rerum statu satis mutatam esse," adeo ut subinde non ita facile omnibus pateat, quomodo rerum temporalium administratio componi possit cum legibus paupertatis nostræ, cujus exactam observantiam Constitutiones nostræ tam gravitur urgent. — C. 24. D. 22.

2. — Profecto neminem latet quantas vices subierit rei familiaris conditio. Collegia, ut plurimum, vel nulla vel insufficienti fundatione dotata, alumnorum pensionibus et externorum scholarium retributionibus eam supplere coguntur. Domus probationis et studiorum, quæ antea propriis fundationibus alebantur, nunc partim proventibus *arcae seminarii*, partim annuis Collegiorum contributionibus et eleemosynis undequaque perceptis ægre sustentantur. Domus professæ nullæ sunt; residentiæ quamplures, — quæ tamen neque Domorum professarum sæpe paupertatem observant, neque Collegiis applicatæ sunt. In multis regionibus, lege civili omnis bonorum immobilium possessio familiis religiosis interdicitur; quæ proinde, præter alia media quæ adhibere solent ut res suas in tuto collocent, una cum viris sæcularibus societates civiles ineunt, vel etiam census emunt quos vulgari nomine *titulos*, *obligationes* et *actiones* appellant. Quin etiam ubi tranquilla pace Societas jure possidendi fruitur, fundationes sæpe non constant, ut pridem fere accidebat, ex fundis et prædiis, sed ex iisdem titulis, obligationibus et actionibus, quas modo commemoravi; adeo ut tota ferme bonorum administratio ad redituum perceptionem et collocationem reduci videatur. In Missionibus exteris, præter Superiorem regularem, habetur quandoque Vicarius Apostolicus, cui de bonorum ecclesiasticorum administratione ratio reddenda est. Pluribus aliis in locis, ubi ceteroquin ad normam Instituti vivere licet, difficultatem facessit Seminariorum Episcopalium et parochiarum administratio quam, propter locorum aut temporum adjuncta, Societas suscipere aut retinere debet. Fere ubique terrarum, ob rei familiaris penuriam, ex actuali rerum publicarum mutabili conditione ortam, Missarum stipendia et

retributiones pro ministeriis nostris, ex indulto Apostolico, admittimus. Quæ omnia, nisi debitæ cautiones adhibeantur, religiosam paupertatis nostræ observantiam in periculum adducere possunt.

3. — Voluit igitur Congregatio generalis ut, attentis circumstantiis in quibus plerumque versamur, regulæ quædam tradantur ad bona temporalia administranda, ne Superiores, quid licitum, quid vetitum sit dubitantes, perpetuis angantur timoribus.

Porro, quæ de hoc argumento dicenda veniunt, duobus capitibus commode comprehendi posse videntur: — I. Quæ bona et quo modo a Societate possideri possint; — II. A quonam et quo modo administranda sint.

I. QUÆ BONA ET QUO MODO A SOCIETATE POSSIDERI POSSINT.

751 4. — Secundum jus Societatis, bona temporalia ita propria sunt singulis Provinciis aut Missionibus, Collegiis, Domibus etc., ut ne Generali quidem fas sit ea pro arbitratu suo de Provincia in Provinciam, de Missione in Missionem, de Domo in Domum transferre, quæque unius cujusdam sunt alii donare. — P. 3. c. 1. §. 9. — P. 9. c. 3. §. 5. — C. 2. D. 23. — C. 3. D. 16. — Diversæ Societatis partes, utpote membra moralia ejusdem familiæ religiosæ, amoris quidem vinculo inter sese colligantur, rei vero familiaris communione utuntur nulla; unde sequitur justitiam commutativam inter eas lædi posse, non secus ac inter fratres germanos quorum quisque proprium patrimonium habet. Oportet ergo semper præ oculis habere, quænam bona a singulis partibus possideri possint et de facto possideantur. — cf. nº 728.

5. — *Provincia aut Missio.* — *a)* Provincia aut Missio (sive dependens sive independens), *qua talis* et prout a Collegiis et Domibus suis contradistinguitur, non potest retinere dominium bonorum immobilium nisi ad breve tempus, neque habere potest jus civile ad ullos reditus stabiles ex quocunque capite hi proveniant. — Ex. c. 1. §. 3. et 4. — P. 4. c. 2. §. 5. et E. — P. 10. §. 5. — Hinc non licet illi habere proprio nomine, ad sui ipsius sustentationem, census qui *tituli obligationes* aut *actiones* vocari solent, quippe qui certos et stabiles fructus faciant.

752 Quare, si quæ bona stabilia Provinciæ aut Missioni obveniant, ea nisi quamprimum vendenda sint, a Generali fundationibus instituendis et perficiendis applicanda erunt, vel etiam, eo probante, sub proprietate seu dominio alicujus Collegii constituenda, quo facilius communibus Provinciæ aut Missionis sumptibus provideatur: ita tamen ut ipsa Pro-

vincia aut Missio nullum exinde jus proprie dictum in eorumdem bonorum reditus sibi vindicare possit. — P. 6. c. 2. §§. 2. et 5. — cf. n° 749.

6. — *b*) Quodsi Provincia aut Missio alicubi sumatur minus proprie 753
pro collectione plurium Collegiorum seu Domorum probationis (abstrahendo a Domibus professis, residentiis etc.), tunc censent theologi nostri, posse illam, etiam salva paupertate nostra, habere census activos, seu bona stabilia, quæ ad omnia Collegia pertineant. Huic principio innixi Generales, ad supplendam, meliori modo quo poterant, fundationem Domuum probationis et studiorum, non tantum permiserunt, sed etiam, perspectis nonnullarum regionum circumstantiis, constituendam ad tempus curarunt *arcam seminarii;* quo nomine vocamus varii generis census, et reditus qui *in communi possidentur ab iis Seminariis Nostrorum quae hujus arcae proventu sustentantur.* — cf. n° 736.

7. — Pari ratione, permittuntur summæ pecuniæ ad censum datæ 754
et quæcunque alia bona, etiam stabilia, ad fundationes in Provincia aut Missione instituendas vel perficiendas, sive hæ jam determinatæ sint, sive a Superioribus determinandæ, prout necessitas aut opportunitas suadebit. — cf. n° 749.

8. — Potiori jure, permittuntur pecuniæ ad censum datæ et quæ- 755
cunque alia bona, etiam stabilia, ad pios fines extra Societatem, cujusmodi esset e. g. institutio orphanotrophii aut xenodochii in Missionibus exteris. Quæ bona, etsi fortasse a Nostris administrentur, nequaquam sunt propria Societatis. — ib.

Quæ omnia bona, sive ad arcam seminarii aut ad fundationes pertineant, sive ad pios fines extra Societatem, certos reditus habere possunt, sicut bona Collegiorum jam fundatorum. — P. 9. c. 3. §. 6.

9. — Exinde patet, quid sentiendum sit de arca *Provinciae* aut 756
Missionis. Provincia aut Missio, stricto sensu accepta, non potest habere nomine proprio, et ad propriam sustentationem, arcam quæ *reditibus stabilibus* constet; ast habere potest arcam quæ constet summa eleemosynarum, quæ vel oblatæ vel corrogatæ sunt in Provinciæ vel Missionis bonum, sed minime servandæ ut ex eis fœnori datis annui fructus percipiantur. Interim tamen, dum opportunum eas insumendi tempus advenit, nihil vetat quominus tuto aliquo modo collocentur. — Ex. c. 1. § 4. — P. 6. c. 2. §§. 2., 5. et E. — cf. n° 736.

Patet etiam præter aream Provinciæ aut Missionis stricto sensu acceptam, haberi posse diversi generis arcas, quæ constent reditibus certis, ad varios fines intra Provinciæ aut Missionis limites destinatis, ut sunt arca *seminarii*, arca *fundationum*, arca *causarum piarum ;* quæ quidem arcæ, nec re nec nomine, cum arca Provinciæ dicta confundendæ sunt. — ib.

757 10. — *Domus Professae.* — Vi Constitutionum nostrarum, Domus professæ possidere possunt: 1.mo quod necessarium est ad habitationem et usum, id est, ædes cum horto adjuncto; 2.do quod valde conveniens est, cujusmodi censeretur villa (scu locus a communi habitatione separatus) in usum convalescentium et eorum qui rebus spiritualibus vacent; 3.^{tio} bona mobilia non frugifera. — P. 6. c. 2. §. 5. et E. — n° 702.

758 Quamdiu autem nondum possident ea quæ sibi licita sunt, fas est adhibere media quibus illa sibi comparent; possunt ergo ad *hunc finem* eleemosynas colligere, retinere, administrare, easque fœnori dare aut in *titulos, obligationes* et *actiones* mutare. Item, nihil obstare videtur quominus pecuniam servent, ut ex ejus fœnore pendant gravia tributa quæ bonis sibi propriis a gubernio imponuntur; aut quominus, propriis ædibus carentes, pecuniam sepositam ad censum dent, ut ex ejus proventu locationis pretium solvant. — C. 7. D. 51. — cf. n° 706. 724.

759 11. — Sed nefas omnino est Domibus professis habere, sive nomine proprio sive nomine alicujus Collegii, ulla alia bona stabilia; aut ullos reditus *certos*, nedum ad Nostrorum sustentationem, sed ne ad fabricam quidem, bibliothecam, sacristiam, vel ad ecclesiæ cultum et ad sacras cæremonias peragendas destinatos. Nihilominus, aliquos reditus, a fundatoribus aut a benefactoribus ad hos et similes fines relictos, admittere licet, dummode Societas eorum dispositionem non habeat, nec jus ullum civile ad eos in judicio repetendum. — P. 6. 2. §. 5. et B. — cf. n° 706.

760 12. — *Residentiæ.* — *a*) Residentiæ, quæ non sunt Collegia inchoata nec membra Collegii vel domus probationis, quoad paupertatem æquiparantur Domibus professis: ideoque ea tantum habere possunt quæ licita cunt domibus professis. C. 24. D. 15. §. 2. — cf. n° 703.

761 Quod de ejusmodi residentiis dicitur, de iisdem dicendum etiam est, quando parœciam aut quasi parœciam adnexam habent in qua Nostri curam animarum exercent. Quamvis emin ipsa parœcia bona stabilia et reditus certos habere possit et debeat, Nostris tamen — nisi vi *dispensationis apostolicæ* — præter honestam sustentationem eorum qui parœciæ inserviunt, non licet quidquam percipere ex reditibus ecclesiæ, neque pro Missis et ministeriis stipendia aut retributiones admittere. Quod idem valet de residentiis pure parochialibus, quarum scilicet tam domus quam ecclesia ad parœciam pertinet.

762 13. — *b)* „Residentiæ, quæ sunt Collegia inchoata, prout hæc describuntur C. 9. D. 18., vivere possunt ex reditibus bonorum suorum, secundum declarationem C. 3. D. 43. Si autem membra sunt alicujus Collegii aut Domus probationis, horum reditibus sustentari possunt

atque etiam uti possunt fructibus bonorum quibus donatæ sunt, dummodo talium bonorum dominium sit penes Collegium vel Domum probationis." — C. 24. D. 15. §. 1. — cf. n° 721.

14. — Et quoniam ultima Congregatio generalis decrevit Præpositum 763
Generalem concedere posse, ut „Scriptores, qui conjunctim alicui operi scribendo et edendo allaborant," vel in Collegio aliquo habitent, vel in Domo ipsi Collegio applicata; hinc, Generali approbante, a Provinciali aut Missionis Superiore statuendum erit, utrum hujusmodi scriptores in ipso Collegio habitare debeant an potius in Domo separata quæ sit membrum Collegii. — C. 24. D. 19. — Quodcunque autem lucrum seu pretium librorum aut scriptorum, quæ in vulgus edantur, Superiori totius Domus (i. e. Rectori Collegii) consignetur, cui integrum erit illud impendere, sive ad promovenda studia aliosque usus litterarios, sive ad alium quemcunque utilem finem, prout a Provinciali, cum approbatione Generalis, fuerit constitutum. — Ord. P. Beckx de evulgandis libris, 11 Maii 1862, §. 16. — cf. n° 987.

15. — *Collegia* et *Domus probationis*. — Secundum Constitutiones 764
nostras et Bullas Apostolicas, Collegia et Domus probationis non solum possunt sed debent habere bona stabilia, reditus certos et alia jura temporalia. — Ex. c. 1. §. 4. — P. 4. c. 2 §§ 2., 5., 6. et 9. — P. 6. c. 2. §. 4. — cf. n° 199. Immo ex formula P. Claudii, a Congr. 5. recognita et approbata, nullum Collegium acceptandum esset quod non fuerit necessaria fundatione dotatum. Nihilominus, si dotatio vel omnino vel ex parte deficit, suppleri ea poterit, tum aliis mediis, tum maxime convictorum pensionibus et externorum scholarium minervalibus. — P. 4. c. 2. §. 6. — C. 2. D. 27. — C. 3. D. 25. — C 20 D. 14. — C. 22. D. 42. et 43. — C. 24. D 18. — „Conandum tamen et omni ope nitendum erit ut, quum per rerum et temporum adjuncta licebit, Collegia nostra in pristinam et Instituto nostro magis consentaneam formam, quoad fieri possit, restituantur." — C. 24. l. c.

Provinciales, igitur, ceterique Superiores, minus solliciti de Collegiis 765
undequaque multiplicandis et de ædificiis eorum amplificandis, ad id animum intendant ut media procurent, conservent et augeant, quibus Collegia jam acceptata secundum probatam Societatis normam rite et solide constituantur. — cf. n° 204.

16. — *Seminaria Pontificia aut Episcopalia, Scholæ Apostolicæ et* 766
Convictus bona quidem immobilia stabilesque reditus possidere possunt; at nisi adsint conditiones omnes, intrinsecæ et extrinsecæ, quæ ad vera Societatis Collegia, saltem inchoata, constituenda requiruntur, nec Societas in illorum bona jus ullum habet, neque vi Constitutionum

nostrarum, Nostri, qui eis regendis et administrandis vacant, ullum fructum ex bonis eorum percipere possunt præter honestam sustentationem, et si quid aliud ex conventione cum fundatoribus vel eorum Patronis pactum sit quod ab Instituto non prohibeatur. Utrum autem re vera adsint conditiones quæ ad Collegia saltem inchoata constituenda requiruntur necne, a multis pendet circumstantiis, quæ singulæ expendendæ sunt, et in casibus dubiis ad Præpositum Generalem referendæ — cf. n° 725.

17. — Si quæ Collegia aut Domus coram lege civili possidentur ab aliquo ex Nostris, vel etiam ab aliquo qui non est de Societate, aut a societatibus civilibus quarum Nostri partem constituunt, ea, qua parte ad Societatem nostram pertinent, iisdem legibus subjacent ac alia Collegia et Domus ejusdem generis.

II. A QUONAM ET QUO MODO BONA TEMPORALIA ADMINISTRANDA SINT.

767 18. — Summa omnium bonorum temporalium superintendentia et administratio est penes Societatem professam, quæ eam ordinarie exercet per Generalem. — P. 4. c. 2. §§. 3., 5. et c. 11. §. 2. — P. 10. §. 4 — Provinciales vero et Rectores, aliique Superiores locales, id facultatis habent, quod Generalis eisdem communicandum in Domino judicaverit. — P. 8. c. 1. §. 6. — P. 9. c. 3. §§. 3. 14. 16. — Nihilominus in ipso Instituto sancitum est quid, tum Provincialibus tum Rectoribus, ratione sui officii, concedi soleat. — cf. n° 728.

Sic Provincialis aut Superior Missionis independentis, dependenter a Generali, totius Provinciæ aut Missionis cui præpositus est administrationem habet: „omnes facultates eorum Superiorum qui ei subjecti sunt, ad ipsum quoque pertinent, et ab ipso etiam suspendi poterunt, quando ei expedire videbitur." — Reg. 9. Prov. — C. 8. D. 34.

Similiter Præpositus, Rector vel Superior localis, dependenter a Generali et Provinciali, immediatam totius Collegii vel Domus administrationem habet. — P. 4. c. §. 3. §. 5. — P. 9. c. 3. §. 14. et 16.

Superiores, vicissim, utuntur ope Procuratoris sive generalis, sive provincialis, sive localis, prout negotiorum tractandorum natura postulat et in regulis eorum indicatur. Quare:

768 19. — Provincialis et Superioris Missionis est, per Procuratorem suum ea bona administrare, quæ Provincia et Missio tanquam propria possidere possunt; ut sunt eleemosynæ et contributiones quæ ad communes sumptus solvendos Collegiis et Domibus, servata proportione,

imponuntur. Nihil etiam obstat quominus Procurator Provinciæ vel Missionis curam gerat bonorum quæ arcam seminarii, arcam fundationum, arcam piarum causarum etc. constituunt. — cf. n° 738. 739.

20. — Rectoris et Superioris localis est, per Procuratorem suum, 769
administrare bona Collegii aut Domus; sive hæc bona ad Societatem pertineant, sive ab ea tantum procurentur. — cf, n° 343. — Quodsi bona Collegiorum aut Domorum ejusmodi sunt, ut a singulis Procuratoribus commode curari nequeant (id quod nominatim in iis, quos vel titulos, actiones vel obligationes dicunt, contingere solet) eorum administratio sive Procuratori Provinciæ sive alteri a Provinciali deputato committi quidem potest, ita tamen ut hic singulis Rectoribus et Superioribus localibus eorum, quæ gesserit, rationem reddat, et reditus integros titulorum, actionum et obligationum ad Procuratorem Collegii aut Domus remittat, ab eodem sub Rectore vel Superiore dispensandos. — cf. n° 738.

21. — Ex modo dictis clare apparet quomodo bona temporalia 770
administranda sint: nempe tanquam patrimonium pauperum, vel tanquam bona Domini nostri JESU CHRISTI propria, uti pulchre loquitur S. Pater noster. — P. 3. c. 2. §. 7. — Scilicet Superiores Societatis non sunt proprietarii quibus de bonis suis pro lubito disponere licet, sed villici qui bona ecclesiastica administrare tenentur secundum leges in jure canonico sancitas, additis etiam pœnis in transgressores. — cf. n° 231.

22. — Imprimis ergo, meminerint Superiores tum locales tum pro- 771
vinciales, non licere sibi vendere, permutare vel per hypothecam oppignorare bona immobilia vel mobilia pretiosa (etiam in utilitatem Collegiorum aut Domorum), aut ullum actum alienationis exercere ad quem Sedis Apostolicæ beneplacitum requiritur, nisi prius per Præpositum Generalem a S. Congregatione facultas debita obtineatur. Quare quum tales alienationes faciendæ erunt, ad Præpositum Generalem referatur, qui, perpensa rei necessitate vel utilitate, decernet an ad Sedem Apostolicam recurrere oporteat, et rem tansiget cum Congregatione, cui talem facultatem concedere competat. — cf. n° 731-732.

Bona mobilia non pretiosa et immobilia exigui valoris alienari pos- 772
sunt a Generali et ab aliis Superioribus quibus ipse concesserit. Caute tamen procedendum est etiam in minimis alienationibus. Quare Superiores, ut sciant quid in his rebus tuta conscientia facere possint, consulant Nov. Comp. Privil. verbo „Alienatio" §§. 19-23 et verbo „Census" §. 88, necnon Decr. 50 S. Congr. Conc. sub Urbano VIII. annis 1624 et 1626; et si quod dubium superfuerit, ad Præpositum

Generalem recurrant. — Epist. P. Beckx „de Censibus etc." 19 Mart. 1858, §. 2. — cf. n° 732.

23. — Siquando, ob urgentem necessitatem, pecunia mutua accipienda videatur sine hypotheca, sive ad tempus definitum sive ad tempus indefinitum, summa cautio adhibeatur, status Domus aut Provinciæ antea Consultoribus exponatur, et facultas debita petatur. — Epist. P. Olivæ ad Provinciales Jul. 1665, §. 1. — cf. n° 234.

773 24. — Tum singulis religiosis, tum ipsis etiam communitatibus et ordinibus, sub gravissimis pœnis a S. Sede interdictum est, quominus munera donationesve cuiquam elargiantur, nisi ea moderatione iisque conditionibus quæ in Constitutionibus Apostolicis præscribuntur. — Vide Const. Clem. VIII. ejusdemque declarationem ab Urbano VIII confirmatam, inter Decreta Apost. in publica mensa legenda, mense Januario. — cf. n° 803.

774 25. — Pariter postulat paupertatis nostræ ratio, non solum ut Nostri nihil mutuo dent; — P. 3. c. 1. §. 8. — sed etiam ne se fidejussores quoquomodo præbeant, vel Superiorum aut etiam externorum animos sollicitent commendationibus vel intercessionibus ad pecuniam cuiquam mutuo dandam. Quare caveant, ne parentibus et propinquis ex tenera pietate, amicis, et notis ex inordinato erga eosdem amore, aut aliis quibuscunque ex imprudenti commiseratione pecuniam Societatis fœnerent aut fœnerari procurent. Quin etiam ad pericula, quoad fieri potest, præcavenda quæ ex labili rerum publicarum et argentariorum conditione provenire solent, ipsi Procuratores, et quicunque ex officio vel ex dispensatione Superioris pecuniam Societatis administrant, nihil hac in re temere audeant, neque pecuniam mutuo dent, sine Superioris expressa facultate. Superiores vero locales, quoties Provincialis consuli potest, neque ipsi dent, neque potestatem dandi faciant, nisi eodem consulto et approbante.

775 26. — Sedulo invigilent Superiores ne sumptus ordinarii excedant proventus ordinarios, neve Domus nostræ ex incuria sua ære alieno obruantur; meminerintque quam gravibus verbis Congregationes generales monuerint Præpositum Generalem „ut, pro suo in Societatem affectu, Superiores incuriosos et negligentes vel etiam prodigos rei familiaris Collegiorum et Domorum, quæ Christi pauperum est patrimonium et a qua res spirituales et bonus Societatis status et progressus tantopere pendet, impunitos esse minime patiatur: sed Provincialium (vel in gravibus causis suipsius) judicio, pœnam irroget, non imparem culpæ." — C. 8. D. 15. — C. 7. D. 82. §. 8. — cf. n° 234.

776 27. — Quamquam Superiorum est, summa cum charitate vitæ

necessaria suppeditare, nullo tamen pacto subditis suis superflua et inutilia concedere possunt, aut ea quæ religiosam paupertatem et simplicitatem minus deceant. — Ex. c. 3. §. 26. — P. 3. c. 2. §. 3. — P. 6. c. 2. §. 15. — C. 7. D. 82. — Instr. 21. §. de Prov. n° 7. — Quo magis homines sæculares divitiarum speciem affectant et vitæ commoda quærunt, eo magis invigilent Superiores, ne Nostri de paupertate quam voverunt erubescant, sed effectus ejus tum domi tum foris experiri gaudeant.

28. — Quare, quidquid in victus et vestitus ratione, in recrea- 777
tionibus, in itineribus faciendis, in hospitibus recipiendis ac similibus, mundum sapere videtur, id omne forti manu resecandum sibi esse existiment: consuetudines Provinciæ vel particulares Missionis a Generali approbatas servari curent, quantum locorum temporumque varietas patitur; caveantque ne, dum liberalitatis auram captant, frugi famam amittant. — cf. n° 237.

29. — Quæ de pensionibus et depositis quibuscunque a Congrega- 778
tionibus generalibus constituta sunt, fidelissime servent et ab aliis servari satagant; meminerintque nemini Nostrorum licere, ut „pecunias hujusmodi, sub ullo prætextu apud se retineat,... nemini liberum earum usum esse concedendum.... neque ipsos Superiores, etiam Provinciales aut quoscunque alios, facultatem dare" posse, ut quis „eas impendat ad ea sibi comparanda, quæ ad victum, vestitum, cubiculi supellectilem, aliaque vitæ communi necessaria pertinent, vel in ullos usus mere personales et proprios adhibeat." — C. 12. D. 37. — C. 14. D. 14. — C. 16. D. 27. — C. 20. D. 7. §. 1. et 2. — C 22. D. 26. — cf. n°. 650.

30. — Quum familiæ religiosæ, modo quodam peculiari, devinciantur 779
præcepto charitatis erga indigentes, Superiores possunt, vel potius debent, eleemosynas in pauperes erogare, secundum quod Provincialis aut Superior Missionis, pro cujusque Collegii vel Domus facultate, præscripserit. — Reg. Prov. 96. et 89. — Oportet autem ut charitas ordinata sit; ac proinde, præ ceteris, Nostrorum inopiæ subveniendum est. — cf. n° 240.

31. — Et primo quidem extra omnem controversiam est, licere 780
Provincialibus et Missionum Superioribus, cum approbatione Generalis, annuam contributionem Collegiis et Domibus imponere ad solvendas expensas, quæ in totius Societatis et Provinciæ vel Missionis bonum fiunt. — P. 4. c. 2. §. 5. cf. n° 741. et alibi passim.

32. — Visum est ultimæ Congregationi generali, non tantum pecunias 781
quæ ad communes Provinciæ sumptus exsolvendos serventur, sed

etiam bona fundationibus instituendis et perficiendis applicata, ad Nostrorum sustentationem licite adhiberi posse „ingruente gravi necessitate, propter calamitosas rerum publicarum perturbationes... *si donatorum voluntas hæc fuisse præsumatur.*" — C. 24. D. 17. §. 1. — cf. nº 729.

782 33. — Possunt, immo debent, Collegia et Domus conferre contributiones donationesque ad arcam seminarii, quam Provincialibus et Missionum Superioribus summopere commendatam esse velim, ubi hæc, Præposito Generali probante, introducta fuerit vel introducetur, donec per dotationem Instituto conformem sustentationi Domus Probationis et Collegii, ubi Nostri student, provideri non possit. Quare media quædam subjicere expedit quibus, cum licentia Generalis, hæc arca vel constitui vel augeri possit. — cf. nº 736 seqq.

34. — *a)* Primo ergo, licet ad instituendos scholasticos nostros, seu ad arcam seminarii constituendam vel augendam, a Collegiis tributa exigere, *ad normam Instituti.* — Ex. c. 1. §. 4. — P. 4. c. 2. §. 5. — P. 6. c. 2. A. — C. 5. D. 69. — C. 6. D. 18. — In Collegiis autem fundatis, qualia supponit Institutum, tot scholastici sustentari deberent, quot sunt Operarii Nostri qui iisdem Collegiis inserviunt. Quumque pensiones et minervalia, quæ nunc in plerisque Collegiis a discipulis solvuntur, fundationem Collegiorum quadamtenus supplere censentur, similis norma his Collegiis applicari poterit.

35. — *b)* Oportet ad scholasticorum sustentationem adhibere omnes donationes quæ ad hunc determinatum finem factæ sunt aut fiunt.

783 36. — *c)* Generalis eidem fini destinare potest patrimonia a Nostris ante ultima vota in Societatis bonum renunciata, tum etiam legata et alia quæcunque, quæ ita Societati relinquuntur, ut de iis pro lubito disponere possit. Et „quoniam Præpositi Provinciales eam partem hujus facultatis habent, quam ipsis Generalis communicaverit. — P. 9. c. 3. §. 5. 6. 7.," — permissum sit Provincialibus, ejusmodi dona, si summam mille scutatorum rom. (5000 fr.) non excedunt, Seminario Provinciæ aut, si huic provisum est, alii Collegio applicare nisi ejusmodi dona pro occurenti quavis necessitate ad tempus deposita servare maluerint, non tamen ultra duorum annorum spatium" sine peculiari dispensatione Generalis. — Ord. P. Beckx „de Arca Seminarii." — cf. nº 638. 744.

784 37. — *d)* Applicari quoque possunt arcæ seminarii Missarum et ministeriorum stipendia, quæ ex dispensatione S. Sedis ad Nostrorum sustentationem admittuntur, sive a Patribus qui in Collegiis, sive ab iis qui in residentiis Societati propriis degant, quoties Domus iisdem stipendiis non indigebunt ad propriam sustentationem.

Idipsum potiore quodam jure dicendum est de residentiis mere parochialibus (si nulla sit spes erigendi residentiam veri nominis, Societati propriam), sicut etiam de Seminariis Episcopalibus et Convictibus, quorum Societas solam administrationem habet; siquidem in his casibus non tantum Missarum stipendia, sed etiam cetera omnia quæ, sive ex jure communi et nostro, sive ex indulto Apostolico, Societati acquiruntur, in eum usum adhibenda sunt, quem Præpositus Generalis definiverit. 785

Etenim quum ea omnia sint bona Societatis, nefas est de iis disponere, nedum in favorem parœciæ, Seminarii et Convictus, sed ne quidem in fines Societati propios, absque licentia Superioris qui ea applicare potest. — Vid. Const. „Romanos Pontifices."

38. — Ceterum, caveant Provinciales et Missionum Superiores, ne Collegia et Domus contributionibus imponendis nimium graventur; curentque, quantum fieri potest, ut scholasticorum sustentationi aliis potius mediis provideatur. — C. 7. D. 82. §. 7. — Omni etiam industria elaborent ut Seminaria Nostrorum, sua quæque fundatione dotata, ad pristinam et legibus nostris magis consentaneam formam, quamprimum fieri poterit, reducantur. — cf. n° 738. 786

39. — Reditus et alia bona conservare et augere studeant, ædesque et cetera omnia tempestive reficere et instaurare curent. Reg. Prov. 75. — Proc. Coll. 11. — Quodsi ad hæc et similia, præter expensas ordinarias, opus sit *expensis extraordinariis*, Superiores locales Consultorum suorum sententiam prius audiant, licentiam Provincialis petant ejusque approbationem expectent, nisi de re agatur quæ moram non patiatur; quo in casu quamprimum ad Provincialem referant, quid factum sit. Neque ipse Provincialis facultatem concedat, inconsulto Generali, si summa expendenda 5000 francos excedat. In his vero sumptibus permittendis difficilem se potius quam benignum exhibeat, ubi vera necessitas non adsit; et quoad fieri possit, sententiam suorum Consultorum prius exquirere non omittat. — cf. n° 229. 787

40. — Superiores locorum, inconsulto Provinciali, nihil alicujus momenti ædificare debent; nec permittere Provincialis, ut quidquam, nisi quod necessarium sit ædificent. — Reg. Rect. 63. Ord. Gen. c. 2. §. 9: — „Quodsi quæ ædificanda majoris momenti fuerint, ut esset templum, dormitorium vel aliquid hujusmodi, nisi approbante Generali non fiant, ad quem pertinet, formam et modum nostrorum ædificiorum præscribere." — Reg. Prov. 75. — cf. n° 221. 788

Si ergo ædificium majoris momenti construendum sit (quod hisce temporibus sæpe contingere solet), Rector aut Superior localis Consultorum sententias exquirat; deinde Provincialis vel Superior Missionis,

informationibus a Rectore aut Superiore locali acceptis, similiter Consultorum suorum sententias petat, et tum suam tum aliorum sententias ad Præpositum Generalem referat, respondendo hisce quæstionibus: Quid ædificandum et quare? Quanti constabit ædificium? Suppetuntne opes ad illud perficiendum, an mutuanda pecunia? quanta et quibus conditionibus? Quantum erit totum æs alienum quo Domus gravabitur?

Mittat etiam totius ædificii delineationem, eamque simplicem et non sumptuosam, quæ cum semel a Præposito Generali approbata fuerit, absque ejusdem licentia non est mutanda, nisi forte de sententia Architecti et Superioris auditoque Provinciali, ex natura loci vel alia quadam necessitate, mutatio minoris momenti facienda videatur. Ædificia sint ad ministeria nostra commoda et ad habitandum utilia, sana et fortia, sed nec somptuosa nec curiosa. Ita disponantur, ut lex *clausurae* rite servari possit et in tota constructione appareat *delineationis unitas*. — C. 2. D. 84. — C. 1. D. 113. — C. 24. D. 20.

789 41. — Maximi interest, nostris præsertim temporibus, ut qui Procuratorum munere fungantur, in rebus œconomicis et pecuniariis periti sint, prudentes, fidi et diligentes. Siquidem ipsis incumbit non tantum cura fundorum, prædiorum aliorumque bonorum stabilium, quæ in Instituto et maxime in Instructione „Pro administratione rerum temporalium etc." tantopere commendatur, sed insuper cura collocandi (seu *investiendi*) pecuniam in *titulis*, *obligationibus* et *actionibus* sive ærarii publici sive societatum privatarum, quæ ob frequentes rerum publicarum perturbationes ac fortunæ inconstantiam, et magis adhuc ob notam hujus ætatis temeritatem, maximis sæpe cladibus obnoxiæ sunt. Summa igitur vigilantia et consilio opus est ne Domus nostræ, immo et Provincia ac Societas ipsa, communi opprimantur ruina. — cf. n° 232.

790 42. — Advertendum tamen est, non tantum veram negotationem, quæ omnibus clericis et religiosis interdicitur, sed quæcunque negotiationis aut lucri quærendi speciem habent Nostris esse prohibita. — C. 2. D. 61. et can. 25. — C. 7. D. 84. — Reg. Proc. Coll. 12. — cf. n° 865. — Quod tum in aliis, tum maxime in libris vulgandis, in censibus administrandis et in libris aliisque rebus discipulis vendendis, præ oculis habendum est. — Ord. P. Beckx „de Libris evulgandis" et Epist. ejusdem „de Censibus." — Quod libros in Collegiis nostris vendendos spectat, jam declaravit P. Beckx, licere quidem Nostris ut discipulis vendant libros quibus in scholis indigent, non vero alios; et eo quidem consilio, non ut nobis lucrum inde accrescat, sed ne discipuli exponantur periculo pravos emendi libros; quamvis aliquantulum quæstus ex venditione permittatur, tam pro lucro cessante ex pecunia non

alibi collocata, quam pro opere in libris emendis ac vendendis præstito. — cf. n° 801. — Alias vero parvi momenti res, quibus studiosi litterarum fere uti solent, pariter vendere licet; curandum tamen erit, ut per aliquem alium (v. g. ex convictoribus) minime vero per Nostrum id fiat, et ut lucrum exinde haustum, si quod fuerit, totum in præmia et res similes alumnis proficuas, nec tamen pro pensione quam solvunt debitas, impendatur. — cf. n° 802.

43. — Libros rationum seu computorum tam accurate conficiat 791
Procurator, ut Superioribus quovis tempore de vera rei familiaris conditione constare possit. Quocirca libro cujus meminit Reg. 21, in quo singillatim descripta sint bona Collegii, Domus et arcarum, una cum reditibus suis, clare explicet, quosnam census emerit a quo, quanto pretio, quibus vadibus et cautionibus, qui eorum finis, quid reddant et quantum quando exigantur fructus etc.; et si quid aliud notatu dignum decursu temporis occurat, statim adnotet. Quodsi curam habeat redituum plurium Collegiorum, Domorum vel arcarum, eorum rationem distinctim teneat; ita ut quid et quantum cuique attribuendum sit, facile perspiciatur. — cf. n° 233.

Ex codicibus primo intuitu appareat oportet, quænam bona et reditus a Nostris possideantur, quænam vero a Nostris tantum procurentur. Nulla etiam nimia cura adhiberi potest, præsertim in Missionibus et aliis in locis, in quibus parœciæ vel quasi-parœciæ a Nostris administrantur, ut *inventaria* supellectilis, de quibus in regulis diversorum officialium sermo fit, quam diligentissime componantur et asserventur; unde clare videatur, quænam res ad Societatem quæque ad Episcopum vel diœcesim pertineant. — Const. „Romanos Pontifices."

44. — Accuratissima Missarum, quæ pro stipendiis celebrantur, ratio 792
ducatur, sive a Procuratore, sive ab eo quem Superior ad id munus designaverit, qui in privatos codices referat: quo die, quas Missas, quo onere, quo stipendio celebrandas susceperit. Immo vero ut Decretis Apostolicis hac super re satis faciamus, Procuratoris partes erunt, de Missis acceptis ac celebratis Superiori coram Ministro singulis mensibus rationem reddere. Quod ipsum, et a Superiore coram Provinciali in visitatione annua faciendum erit, et ab ipso Provinciali quum magistratu decedens administratam Provinciam successori committet. — Epist. P. Anderledy „de Stipendiis Missarum" 31 Jul. 1887. — Const. Innocentii XII. „de Celebratione Missarum," inter Decreta Apost. in publica mensa legenda, Fer. 6. post Oct. Corp. X[ti].

45. — Expedit in libris eam referendarum rerum formam tenere, 793
ut exinde facile exscribi possit expensorum et acceptorum ratio, similis

relationi quotannis ad Præpositum Generalem mittendæ; in qua non solum accepti et expensi ratio, sed totus status temporalis, tam actualis quam habitualis, sub uno veluti conspectu exhibeatur. — cf. n° 748.

46. — Ea vero quæ a Procuratore in tabulas relata, et a Superiore Domus coram Ministro initio mensis examinata fuerint, idem Superior probata subscribat: Provincialis vero vel Superior Missionis, tempore visitationis annuæ, eadem per se vel per Socium, diligenter examinet et, accurata omnium negotiorum notitia accepta, chirographo suo muniat. Poterit etiam ad eundem finem uti opera Procuratoris Provinciæ vel Missionis, cujus est, secundum regulas suas, emendare ac supplere defectus Procuratorum in Collegiis Domibusque nostris, et curare omnia negotia sibi a Provinciali commissa ad administrationes, rationes, lites et quosvis contractus ineundos spectantia, quæ ad universa Provinciæ aut Missionis Collegia et Domos pertinebunt. — Reg. Proc. Prov. 2. et 7.

794 47. — Sæpe perlegant et fideliter servent Superiores, Ministri et Procuratores ea omnia, quæ tam in regulis quam in Ordinationibus P. Beckx „de Libris evulgandis" et „de Arca Seminarii," necnon in Epist. ejusdem „de Censibus etc.," et in Epist. P. Anderledy „de Stipendiis Missarum," 31 Jul. 1887, præscribuntur. Ordinatio P. Beckx „de Libris evulgandis" habetur in Instituto (Edit. Rom., typis Civilitatis Catholicæ 1870); Ordinationes vero „de Arca Seminarii et de Stipendiis Missarum" et Epist. „de Censibus," de novo typis excusas, cum hac *Ordinatione* ad R.^{am} V.^{am} mitto, ut ii quorum interest, eas ad manus semper habeant.

48. — Tandem curet R. V., ut hæc mea *Ordinatio* non solum in Consultatione Provinciæ, sed etiam a Rectoribus et Superioribus singulorum Collegiorum ac Domorum, coram Consultoribus suis meditate legatur. Juverit etiam quandoque in consultationibus, quum aliquid ex Instituto legitur, ejusdem memoriam redintegrare; et tam Superiores quam Consultores, in litteris quas statutis temporibus ad Generalem ex officio dare tenentur, certiorem eum faciant quam fideliter servetur.

ARTICULUS OCTAVUS.

PRACTICA QUÆDAM CIRCA PAUPERTATEM.

795 1. — De titulis, obligationibus, actionibus quæ vocantur, est Ordinatio R. P. Beckx 19 Mart. 1858 inter Sel. Epist.: „[Expositum est:] quoniam hac nostra ætate in multis regionibus familiæ religiosæ bona immobilia possidere a lege civili non permittantur atque ea de causa

etiam pecuniam hypotheca accepta fœnori dare tuto nequeant, ab iisdem familiis religiosis census, quos vulgari nomine titulos, obligationes vel actiones sive ærarii publici sive cœtuum privatorum appellant, emere consuevisse. Contingere autem, ut hi census, eo quod valor eorum constans non sit, sæpenumero cum lucro vendantur, interdum vero sine damno teneri non possint. Cum igitur in hujusmodi censibus emendis et vendendis negotiationis periculum intervenire facile possit, opportunam a nobis postulari declarationem, qua cognoscatur, quid ea in re liceat Societatis nostræ hominibus, ut quibus non ipsa modo negotiatio, sed etiam quæcunque negotiationis speciem habent, interdicta sint. — C. 2. D. 61. p. el." — Respondet autem sic:

a. — „Licet Nostris census supradictos emere ad fructum legitimum 796
ex pecuniis propriis percipiendum; non vero emere eos licet eo fine, ut carius postea vendantur. Quoad eos titulos seu actiones autem, quorum census incertus pro majori vel minori lucro ex usu summæ capitalis percepto inter Socios dividendus est, Nostri bene attendant Responsum a R. P. Mutio Vitelleschi 16 Martii 1624 in hæc verba datum: „est negotiatio nobis prohibita, si quis Nostrorum præstet mercatori pecuniam ad aleam incertam quæstus et damni."

b. — „Census emptos vendere et permutare licet, quoties pericli- 797
tantur aut sine damno teneri nequeunt; licet eos etiam vendere, cum occasio alios magis utiles nec minus securos acquirendi datur (cf. C. 7. D. 85); cum vero nulla talis subest causa, non licet census pro variabili ipsorum valore emendo et vendendo permutare, ita ut ipsa hac permutatione lucrum quæratur; multo vero minus licet ejusmodi permutatione pecuniam, quæ patrimonium pauperum est, lucri quærendi gratia velut aleam jaciendo incertæ fortunæ committere."

c. — Propterea ut Nostri omnem negotiationis labem facilius evitent, 798
in his censibus emendis ii præ ceteris seligantur, qui a sæculi fluctuationibus et periculis magis videntur remoti. Unde tituli aut obligationes status, ut vocant, generatim iis, quæ ad privatorum societates spectant, præferantur."

d. — Quodsi hæ regulæ religiose serventur, in censuum istiusmodi 799
administratione nonnisi raro eorum permutatio necessaria erit; Præpositus autem Provincialis non sinet eam a procuratore provinciæ vel Superioribus localibus fieri, nisi prius ab ipso facultatem acceperint, quam quidem cum de notabili summa agitur, non concedet, nisi re cum CC. serio discussa, et si per tempus licet, Nobiscum communicata et a Nobis approbata. Permutatio vero eorum censuum, qui, etsi a procuratore provinciæ asserventur, Collegio tamen vel domui alicui

applicati sunt, Superiore locali inscio fieri non debet, nisi forte periculum inopinatum urgeat." — Sic R. P. Beckx.

800 2. — Ubi est usus communis in aliis ecclesiis, accipiendi pecuniam pro scamnis locandis vel sellis mutuandis, idem Nostris licet in suis ecclesiis, ne speciem præ se ferant, velle ex aliis ecclesiis ad suas homines allicere eo, quod gratis iis præbentur sedes. — Dicit P. Roothaan, 20 Dec. 1833: „ubi hic usus communiter viget, toleratur." — Pecunia hujusmodi tamen pauperibus distribuatur: aut curandum ut innotescat, hanc pecuniam in ecclesiæ cultum insumi. Et convenit, ut accipiatur potius per sæculares, quam per Nostros. — Pro ecclesia satis fundata eleemosynas rogare permittitur tantum pro expensis omnino extraordinariis faciendis, et pro aliis rebus nonnisi ex licentia Generalis, si hic dispensandum esse putet.

801 3. — Quoad libros vendendos a Nostris in Collegiis, exstat ordinatio P[is] Roothaan: — *a)* libros ad usum in scholis licet Nostris vendere discipulis, sed non alios libros; et quidem eo consilio, non ut inde lucrum nobis fiat, sed ne periculum sit discipulis, emendi editiones pravas. — *b)* aliquantulum lucri utique etiam in hac venditione permittitur, tum pro lucro cessante ex pecunia non alibi collocata, tum pro opere præstito in emendis et vendendis libris. — *c)* sed etiam hoc lucrum in bonum discipulorum expendendum est, v. g. pro præmiis, recreatione et ejusmodi. — cf. n°. 790.

802 4. — Quæstura quæ vocatur, i. e. vendere convictoribus res quasdam minutas pro ludis faciendis, vel ad usum scholarum, vel etiam ad edendum, Nostris licet servatis his conditionibus: — *a)* ne res carius vendantur, quam a mercatoribus externis; — *b)* ne lucrum inde haustum in arcam domus tradatur, v. g. ad parandam magistris recreationem; — *c)* sed totum lucrum impendendum sit pro ipsis ementibus convictoribus in genere, v. g. pro augenda eorum bibliotheca, ornanda eorum aula et ejusmodi; — *d)* imo urgendum est, ut venditio rerum fiat per unum ex convictoribus ipsis, non per Nostros.

803 5. — Benefactoribus et aliis personis in auctoritate constitutis vel de nobis bene meritis aliqua dona offerre in testificationem grati animi, Superioribus licet. Vetuit autem Clemens VIII., ne sint nisi munuscula parvi pretii; vetuit imprimis, ne multæ expensæ fierent pro suscipiendis et tractandis hospitibus hujusmodi. — Const: „Religiosæ Congregationes." — Idem statuit cum quadam relaxatione Urbanus VIII.

„Nuper a Congregatione," 1640. — cf. Ferraris: „Regulares," art. 1 — cf. nº 773.

6. — Utrum liceat Superiori, in eleemosynas pauperum erogare 804
omnia, quæ ex sustentatione Nostrorum expensisque necessariis supersint, non potest in genere definiri. Attamen quum Superior non sit proprietarius, sed administrator solum rerum temporalium, imprudenter certe ageret, si non pro futuris contingentibus aliqua residua servaret, expendenda pro occurrente necessitate. — cf. nº 774.

7. — Non permittitur Nostris, edere libros et proprio nomine ven- 805
dere, quæ esset species negotiationis. Non vetantur tamen scriptores cum editore seu bibliopola contractum facere, approbante Provinciali, et pro labore præstito etiam certum numerum „exemplarium liberorum" quæ vocantur, sibi vindicare. De his possunt disponere Superiores, sive etiam ipsi auctores approbante Superiore; imo possunt ea vendere pretio vulgari, juxta dispositionem Superioris.

8. — In C. 22. D. 42. actum est, „an in illis Collegiis, ubi ob 806
acerbitatem temporum necessaria dotatio, qualis in Instituto præscribitur, neque habetur neque haberi potest, liceat Nostris loco ejusmodi dotationis a scholaribus seu eorum parentibus retributiones pro sua sustentatione accipere, quin hoc censeatur esse contra nostrum Institutum; Congregatio censuit: „certissime nihil licere Nostris pro ministeriis vocationis nostræ accipere in compensationem seu stipendium; verum ubi agitur de debita ac necessaria Nostrorum sustentatione, quæ aliunde haberi non potest, major Congregationis pars opinabatur, id Instituto nostro non prohiberi. Attamen quum hic agatur de statu quorundam Collegiorum extraordinario, non communi toti Societati, et quem non duraturum esse in Deo confidimus, cet., Congregatio.... statuit, nullum de hac re fieri debere Decretum, sed hoc negotium R. P. Nostro relinquendum esse; eique enixe commendavit, ut quod domibus illis pro tempore necessarium est, statuat; et sedulam interea curam impendat, quo Collegia hæc, in quantum fieri potest, ad consuetam Societatis normam perducantur; et diligenter caveatur, ne occasione hujus status exceptionalis paupertatis virtus detrimentum patiatur." — Ordinavit consequenter ad hæc R. P. Beckx: — *a)* posse accipi a scholaribus pecuniam non ut stipendium pro ministerio exhibito, sed ut oblationem liberam, cujus exigendæ nullum esset jus; — *b)* qui non solvunt, non esse actione judiciali cogendos; — *c)* Nostros, antequam

incipiant hoc modo sustentationem suam accipere, dispensationem petere debere; — *d)* quando fundatio Collegii usque eo perfecta sit, ut habeatur ex ea dimidia pars necessariorum, licentiam petendam esse a Congregatione pro impendenda pecunia in alios fines.

807 C. 24. D. 18. sententiam Cgnis 22. D. 42. suam fecit; et prolatis ipsis ejusdem verbis, pergit: „quare, quum iniqua temporum conditio iniquior diebus nostris evaserit, declarat Congregatio: præsentem Collegiorum statum, in quo retributiones scholarium externorum ad sustentationem Nostrorum accipiuntur, posse permitti, dum talia adjuncta perduraverint; Nostrosque, in tam sanctum opus strenue incumbentes, non solum tutos in conscientia, sed etiam maximis laudibus dignos esse propter labores, quos in salute juventutis procuranda quotidie exhauriunt. Curandum tamen et omni ope nitendum erit Patri Nostro, ut, quum per rerum et temporum adjuncta licebit, Collegia nostra in pristinam et Instituti nostro magis consentaneam formam, quoad fieri possit, restituantur."

Nota. — In C. 20. D. 14. statutum est, hæc Collegia saltem tanquam Collegia inchoata haberi oportere, quorum Rectores eadem jura easdemque facultates haberent, ac ceteri Rectores.

ARTICULUS NONUS.

SOCIETAS JESU EST ORDO MENDICANS.

808 1. — Ut religio quædam censeatur esse „ordo mendicans" sensu juris, duo requiruntur: primo ut vi Instituti profiteatur non solum paupertatem singularum personarum, sed etiam paupertatem in communi, i. e. quod bona immobilia unde vivatur, ne in communi quidem possidere possit; dein ut vitam mixtam sequatur, seu præter contemplationem etiam ministerium exerceat in salutem animarum.

a. — Dixi, requiri ut religio profiteatur paupertatem vi Instituti sui; necesse igitur est, ut hæc paupertatis species in originaria jam regula definita sit, vel saltem in Constitutionibus regulam explicantibus. Quod si obtinet, ordo etiam tunc sensu juris manet „mendicans", quando ex privilegio Pontificio sibi communicato ei liceat in communi possidere, sicuti est in Dominicanis et Franciscanis conventualibus. Tale privilegium censetur enim esse dispensatio concessa a Papa in majus bonum spirituale hujus familiæ religiosæ; et ita quidem, ut iterum cesset salvis Constitutionibus, quando Papa, causa cessante indulti privilegii, hoc ipsum revocat.

b. — Vitam mixtam debet prosequi. Antiquis enim ordinibus vitam contemplativam imprimis colentibus, quum ex fundatione vitæ necessaria haberent, non opus erat ad quærendam sustentationem cum externis multum misceri. Aliter erat in ordinibus mendicantibus, qui ineunte sæculo decimo tertio potissimum exorti sunt. Qui quum vi regulæ ex eleemosynis petitis et erogatis viverent, eo ipso magis adigebantur, homines externos adire. Quidnam mirum igitur, quod benefactoribus suis pro temporalibus acceptis beneficiis majora beneficia spiritualia rependebant per prædicationem verbi divini, per confessiones audiendas aliaque ministeria spiritualia exercenda. Et revera hoc factum est, eo tempore et postea etiam, ex gratiosa divinæ providentiæ benevolentia, qua episcopis tali adjutorio quam maxime indigentibus, in his ordinibus mendicantibus exoptatissimum validissimumque auxilium parabatur, ita ut in Concilio Viennensi „Coadjutores Episcoporum" vocarentur. Et nostris ipsorum oculis etiam nunc videmus, quanto in honore sint quantumque valeant apud plebem catholicam hi monachi mendicantes, qui suo exemplo contemptum mundi omnibus tam necessarium docent commendantque, quique eo sunt cariores hominibus, quo magis pro amore Dei in omnibus se vitæ hominum communi conformant.

2. — Duplex est genus „ordinum mendicantium", pro varia origine, qua hoc nomen sensu juris adepti sunt.

a. — Prima classis eorum est, qui in jure communi, Cap. unico de 809
relig. domibus in VI. enumerantur; nimirum Prædicatores, Minores, Eremitæ S. Augustini et Carmelitæ; hoc ordine ponuntur non juxta ætatem suam, sed juxta tempus, quo a Sede Apostolica, scriptis Brevibus, approbati sunt. Præeminet inter hos quatuor ordo Minorum, qui originaria sua regula quamlibet possessionem non solum immobilium, sed etiam mobilium prohibebat, aliis hanc ultimam permittentibus.

b. — Altera classis eorum est, qui ex Decreto sive ex Constitutione Sedis Apostolicæ mendicantibus a jure communi adscribuntur: Servitæ, Minimi, nostra ipsa Societas Jesu. Hi tres ordines a Pio V. Bullis editis mendicantibus adnumerantur, „quia actu mendicant et fruuntur privilegiis mendicantium." Jure igitur supponendum est, hos ordines paupertatem mendicantibus propriam jam ab origine ex regula vel Constitutionibus professos fuisse, vel ex istis Bullis pro lege sua accepisse.

c. — Sunt et alii ordines numero non pauci, qui vocantur mendicantes ea solum ex causa, quia ex speciali Sedis Apostolicæ indulto

privilegiis ordinum mendicantium fruuntur, sive, uti dicitur, mendicantium in privilegiis participant, v. g. Somaschi, Clerici Minores, et alii. — Ordines mendicantes etiam dividuntur ratione subjecti, in ordines mendicantes monachales et clericales; primæ classis ii sunt, quorum membra vocantur „Fratres"; alii vocantur „Clerici Regulares."

810 3. — Transeamus nunc ad Societatem JESU, quæ est ordo mendicans sensu pleno et verissimo, quoad omnia sua membra. Vocantur et sunt mendicantes etiam ii, qui prima tantum vota simplicia ediderunt dominiumque directum bonorum temporalium usque ad abdicationem vel ad ultima vota retinent. Vocantur recte mendicantes omnes, qui ultima ediderunt, quamvis in Collegiis habitent, quæ paupertatem in communi, uti notum est, non profitentur. Quod ut probetur, necesse est recenseamus singulas classes.

811 *a.* — In Professis et Coadjutoribus formatis patet adesse omnia essentialia ordinum mendicantium: profitentur paupertatem etiam in communi, quum proprie in domibus Societatis habitare teneantur, quæ hanc paupertatem tenent; simulque vitam mixtam colunt, quippe qui exerceant sacrum ministerium agantque in salutem animarum omnia opera Instituto nostro consentanea. Et omnia hæc vi Instituti, quod supra explicatum est.

812 *b.* — Non minus recte Societas JESU vocatur ordo mendicantium, si respicies eos, qui prima tantum vota emiserunt. Quod sic elucet:

α. — Juxta Constitutiones Societatis a summa Ecclesiæ auctoritate approbatas Scholastici et domus, in quibus educantur, i. e. novitiatus et Collegia, eo modo se habent ad Professos et ad domus professas, quo accessorium ad principale, sive quo membra ad caput. Quare sequuntur etiam naturam partis principalis sive capitis nec aliam juris rationem induunt, quamvis pro tempore, necessitate cogente, nondum omnimodam ejus paupertatem exerceant; sunt igitur, æque ac principales, etiam mendicantes.

β. — Nec obstat, quod Scholastici, abdicatione bonorum nondum facta, habeant dominium rerum temporalium; nam hoc dominium de facto est, quasi non sit, quum de iis disponere non possint nisi facultate a Superiore accepta. Quod idem est in Collegiis et domibus probationis, quæ quamvis possideant, non tamen administrant bona, neque capitulariter neque per Superiores, quum tota rerum temporalium administratio penes Societatem professam sive Generalem sit.

γ. — Quæ omnia probantur etiam testimoniis externis, seu Bullis Pontificum, imprimis Pii V.: „Dum indefessæ" 7 Julii 1571: „quod,

licet dilecti filii, Præpositus Generalis et presbyteri Societatis hujusmodi, tum quia ipsa Societas mendicans exsistit (quippe quæ ex ejus Instituto et Constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis fideliumque largitionibus et subventionibus vivit), tum quia non minus, quam ceteri mendicantes, in excolenda vinea Domini assidue laborant, fructusque ingentes et salutiferos producunt, ac propterea eisdem privilegiis, indultis et gratiis, Fratribus mendicantibus hactenus concessis, uti, frui, potiri et gaudere merito possint ac debeant; cum tamen illud aliquando in controversiam deduci possit, ex eo quod dicta Societas Collegia habeat secum adjuncta: Nos ambiguitatem hujusmodi omnino amputare volentes.... motu proprio, non ad ipsorum Præpositi Generalis et Societatis vel alicujus eorum, aut alterius pro eis Nobis super hac oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et certa scientia Nostra, illam et illius Præpositum ac singulas personas Societatis hujusmodi, vere et non ficte mendicantes fuisse, esse et fore, et inter aliorum Fratrum et Religiosorum mendicantium Ordines, aliosque Fratres et Religiosos mendicantes, prout illos Nos connumeramus et connumerari debere, ac omnes et singulas tam juris quam hominum dispositiones in favorem Religiosorum seu Fratrum mendicantium nunc et pro tempore emanatas etiam in Societate illiusque domibus, Collegiis, Præposito et aliis religiosis locum habere, cet,..." quo tunc omnia privilegia et gratiæ concessæ etiam Societati applicantur.

Idem declarat Gregorius XIII. „Ascendente," referens ad Pii V. Bullam mox allegatam, dicens: „Societatis Institutum et quæ illud concernunt præmissa omnia et singula... de novo confirmamus et approbamus." — Item Rota Romana, 26 Junii 1647: „Collegia nostra non per privilegium, sed vere et ab intrinseco pro mendicantibus haberi et esse."

ARTICULUS DECIMUS.

CONCLUSIONES QUÆDAM PRACTICÆ.

Postquam exposuimus, quæ sit paupertas Societatis JESU ejusque lex non tantum in genere, sed in particularibus etiam, non est abs re adjicere quasdam de hac materia animadversiones. Ultro enim se offert cogitare, quam præclare in Societate omnia circa paupertatem constituta sint. Salvis enim generalibus principiis et stricte secundum naturam hujus corporis applicatis, quam varia circa personas et com-

munitates in Societate constituta sunt! Et ne dixeris, hoc temere et quasi ex arbitrio factum esse; econtra minutissima quæque adaptata sunt, manu utique liberali simul et forti, ei fini quem peculiarem sibi præfigit Societas JESU. Rectissime enim Ignatius opinabatur, etiam paupertatis legem moderandam esse juxta finem Societatis ejusque variam in variis classibus conditionem. Inde est, quod tot res circa paupertatem in Instituto occurrunt, quæ eo omnes conveniunt, ut cor abstrahatur ab omni proprietatis affectu, paupertatisque virtus quam perfectissime ab omnibus Societatis hominibus colatur exerceaturque, ad servandam et confortandam ejus internam vitalitatem et efficacitatem. Fortissima igitur motiva exhibentur ad eam stricte observandam.

813 1. — Paupertas nimirum accurate observata tum quoad interna sensa, tum quoad externam exsecutionem, verissime nos facit homines religiosos a mundo ejusque spiritu alienos. Etenim ipse Salvator noster, ubi de evangelica perfectione sermonem ingerit, præprimuis et signanter paupertatem commemorat: „si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus... et veni, sequere me." Matth. 19, 21. — Et „qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus." Luc. 14, 33. — Et revera, divitiæ et rerum temporalium cura mundanos nos reddit; ista enim dissipant mentem, occupant animum, abstrahunt a DEO rerumque divinarum exercitio, alliciunt ad peccatum, cujus perpetrandi media subministrant: „dives difficile intrabit in regnum cœlorum." Matth. 19, 23. — „Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem." 1. Tim. 6. 9. — Paupertas vero omnibus his periculis obstans maximum perfectionis acquirendæ obstaculum funditus evertit.

2. — Paupertas deinde non solum ingerit nobis spiritum religiosum, verum etiam in nobis conservat et auget; nam quo quid nascitur, eodem conservatur. Qua enim in domo religiosa amor paupertatis sedem figit, in ea omnia alia florent crescuntque: custoditur disciplina, servatur ordo, colitur modestia, viget amor orationis, nutritur animus apostolicus animarumque sincerus zelus; verbo: talis domus est hortus perfectionis apostolicæ colendæ et augendæ. Contra, quo ex loco diabolus paupertatis amorem et cultum auferre potuit, ex eo etiam omnium harum virtutum exercitium furtive aufert, certissimæque ruinæ germen venenosum implantat. Quis enim ignorat, quantopere in hac via perditionis cœnobia plurima sensim pessumdata sint, in quæ sublato

paupertatis exercitio, spiritus mundanus sensim irrepsit cum omnibus illis malis, quæ spiritum religiosum sensim enecant, carnemque vigere faciunt. Nomina quidem sunt odiosa; sed experientia etiam hodierna testatur, quam verissima sint quæ diximus.

3. — Paupertas porro locupletat nos ditatque etiam rebus temporalibus. De facto illud maledictum originale: „in sudore vultus tui vesceris pane tuo," in homines religiosos non cadit. Dum omnes prorsus hominum classes opprimuntur cura et sollicitudine rerum vitæ necessariarum, nos homines religiosi ab eis angustiis prorsus liberati sumus. Quis enim nostrum cogitat modo de istis rebus, quas divina Providentia nobis continuo, et quidem non parce providet. Ingrati omnino essemus, si communem omnium hominum miseriam hanc ubivis animadvertentes non sincero status nostri religiosi ejusque paupertatis amore perfunderemur.

4. — Paupertas demum in ipsis communitatibus religiosis conservat pacem et omnium concordiam, dat singulis spiritus consolationem animique gaudium, securosque nos reddit sub speciali DEI providentia. Quid magis placidum, magis quietum, magis securum, quam conventus vere pauperum CRISTI. „Ego vero mendicus sum et pauper. Dominus sollicitus est mei." — Et quid dicam: etiam coram secularibus hominibus eo majori honore digni reputamur, quo sincerius in spiritu paupertatis coram iis apparemus.

5. — Quam verissimum igitur est, quod dicit S. Ignatius: paupertatem esse murum religionis et propugnaculum. Fortificemus hunc murum, defendamus hoc propugnaculum, et nostræ salutis et perseverantiæ securi erimus. Imo et vitæ nostræ apostolicæ videbimus fructum uberrimum, cum vincamus mundum per contemptum mundi. Non incongrue vocatur paupertas mater nostra, non solum ea de causa, quia nutrit in nobis vitam religiosam, sed potissimum etiam, quia matris patrisque benedictionem annexam habet, secundum DEI promissum: „honora patrem tuum et matrem ... ut longo vivas tempore et bene sit tibi in terra." — Deut. 5, 16. — Hoc testatur religionum historia: „quamdiu et in quantum paupertatis leges observantur, tamdiu et in tantum est DEUS cum ipsis, conservando, augendo, defendendo, fructificando eas modo prorsus mirifico.

CAPUT QUARTUM.

De Obligationibus personalibus.

EGIMUS jam de obligationibus nostris in observandis votis religiosis, quae merito etiam perfectionis acquirendae media vocari possunt. Transimus nunc ad alias obligationes, quibus tenemur singuli, quaeque non minus sunt media sanctitatis perficiendae, vel activa vel passiva. Exhibentur nobis in Partis sextae capite tertio. In quarto capite Partis sextae agitur de mutuis obligationibus inter Societatem et nos.

SECTIO PRIMA.

Media activa.

814 Media activa sive positiva comprehendunt tum orationem et sacramentorum susceptionem, tum pænitentias externas, demum eam quam vocamus disciplinam religiosam. In omnibus his rebus exercendis supponitur, homines Societatis vere spirituales esse, qui in perfectionem acquirendam serio incumbant quique in spiritu eousque profecerint, ut, Spiritu Sancto dirigente, ipsi cognoscant, quæ et quanta in his rebus mensura tenenda sit. Sic enim habet P. 6. c. 3. §. 1: „quoniam tanquam certum ducitur, eos viros spirituales futuros et qui sic in via CHRISTI Domini nostri profecerint, ut per eam currere possint, quantum corporis valetudo et externæ occupationes charitatis atque obedientiæ permittent, non videtur in iis, quæ ad orationem, meditationem et studium pertinent, ut nec in corporali exercitatione jejuniorum, vigiliarum, aut aliarum rerum ad austeritatem vel corporis castigationem spectantium, ulla regula iis præscribenda, nisi quam discreta charitas unicuique dictaverit, dum tamen semper confessarius consulatur; cet." — Ne tamen ex zelo inopportuno indiscretiones fiant, habet decl. A: „si quibusdam convenire judicabitur certum tempus præscribi, ne excedant vel deficiant in spiritualibus exercitiis, Superior id facere poterit. Sic etiam in usu aliorum mediorum, si ipse omnino judicaret aliquo utendum esse, non id relinquendo arbitrio cujusquam particularis personæ, procedat, ut in Domino convenire judicabit. Subditi autem erit, cum omni devotione, quod sibi præscriptum fuerit, amplecti."

ARTICULUS PRIMUS.

EXERCITATIONES SPIRITUALES.

Supra dictum est, Scholasticis nostris in P. 4. c. 4. §§. 3. et 4. definitum tempus orandi statutum fuisse, quod paulo post aliquatenus auctum et stabili lege decretum fuit. Congregatio prima in Decr. 97 nil mutari vult in Constitutionibus, dat tamen Magistris novitiorum quoad novitios, Superioribus quoad alios, Coadjutores et etiam Professos, potestatem tempus orationis, prout ipsis videbitur præscribendi.

1. — Pro meditatione facienda tempus unius horæ plenæ definitum 815
est omnibus, et quidem tempore matutino, unde vocatur matutina in C. 8. D. 38. §. 4. Incipit hæc meditatio matutina statim post semihoram a surgendo et præmittitur omnibus aliis occupationibus, etiam Missis dicendis, reg. Rect. 45., nisi in casu necessitatis, vel boni publici, v. g. ut detur opificibus externis occasio audiendi Sacrum ante laborem diurnum suscipiendum, pro uno alterove sacerdote exceptio permittatur. — Modus faciendæ meditationis tenendus est is, quem a Sancto Patre nostro Ignatio in libro Exercitiorum edocti sumus; permittitur autem Superioribus, si quis huic modo aptus non sit, alium ipsi convenientem eum edocere, ut magis in spiritu juvetur. — P. 4. c. 4. B: „loco precum B. V. meditationes et alia spiritualia exercitia succedant...; idque præcipue cum quibusdam, qui, cum uno modo in spiritu non proficiant, *alio cum gratia Dei magis juvabuntur,* fiet; cum facultate tamen vel ordinatione majorum, quorum semper erit videre, num in quibusdam propter particulares causas aliud magis conveniet ut id fiat."

Infirmitati humanæ subvenitur etiam mediis externis. — C. 7. D. 25. 816
§. 1: „virum proinde fidum in singulis domibus et Collegiis designandum, qui ei muneri [visitationis quotidianæ inter orandum] vacet, neque idem semper in visitando tempus teneat." — Habet dein Consuetudinarium prov. Germ. n° 5: „inchoatam meditationem nemini licet intermittere, neque ante ejus finem cubiculo exire, ne ad varias quidem functiones, nisi ex causa Superiori probata." — n° 6: „vetus consuetudo est, ut meditatio et examina fiant flexis genibus ad oratoria cubiculorum, nisi obstet debilitas aut alia justa causa. Nec permittuntur eo tempore obambulationes, neque in publico neque intra cubicula cum vicinorum incommodo."

2. — De conscientiæ examine P. 3. c. 1. §, 11: „utantur quotidie 817
conscientiæ suæ examinatione consueta." Nimirum secundum modum

et formam, quam ab ipso sancto Ignatio in libro Exercitiorum accurate edocemur. — P. 4. c. 4. §. 3: „horam unam impendant... ac examinandis bis quotidie suis conscientiis." — Ex natura rei tempus examini faciendo figitur tum ante prandium, quo clauditur prima diei pars, tum ante decubitum in fine totius diei peracti.

818 Interdum omittitur. Ord. c. 4. §. 1: „diebus tamen festis ac dominicis, ubi mane habita est concio, examen ex præscripto non fiet, ideoque signum non dabitur; ubi vero habita non fuerit, pulsabitur ad examen, ut fiat." Unde recte concluditur, neque eos teneri ad examen faciendum, qui in ea domo concioni habitæ non interfuerint. Eodem modo excusatur, qui ipse mane istis diebus alibi extra domum concionem habuerit. — Etiam si concio extra templum nostrum habita sit, ab examine dispensatur, qui ei interfuerit. — 1632. — Secus si valde mane habita fuerit, binis saltem vel ternis horis ante prandium; aut vespere esset habenda. — 1610.

819 Cum examine generali conjungendum est particulare. — Instr. de Spir. ad Sup. c. 3. §. 5: „commendetur impense usus examinis particularis, ut si minus diverso, communi saltem utriusque examinis tempore peculiari cura exerceatur; in eumque finem publica et communis sit hæc animi contentio; ita ut domi sciant omnes, in eo nunc loco ab omnibus operam dari, ut sese in examinis usu et studio perficiant. Sic enim fiet, ut non fervor solum major excitetur, sed major etiam gratia et influxus per communes omnium preces a DEO impetretur."

820 *Nota* 1. — Si dicitur: meditationem et examina facienda esse »in communi,« id non est intelligendum de uno eodemque loco, in quem omnes conveniant. Nam C. 1. D. 98: »an simul omnes orare aliqua diei vel noctis hora expediat? Responsum est, simul non esse orandum; cum præsertim mens Patris nostri Ignatii eo tenderet, prout verbis significavit. De ordinaria autem oratione sermo est, non de extraordinaria, quæ pro re nata publice ad tempus institui posset." — C. 4. D. 59: »responsum est, quamvis Nostris præscribendum non sit, ut omnes in eundum locum orationis causa conveniant (quod de ordinaria oratione intelligitur, non de extraordinaria, quæ pro re nata ad tempus publice institui potest), cum novitiis tamen in oratione ante cœnam dispensari poterit, ubi Præpositus Generalis id expedire judicaverit.«

821 *Nota* 2. — Visitandum est tum inter meditationem tum inter examina quotidiana. — Reg. Præp. 50. Rect. 47. Dein Instr. 13. c. 1. §. 1: »in primis proderunt solemnia illa ac stata religionis nostræ, si frequens visitatio fiat, dum oratur, et ab ipsis interdum Superioribus.« — C. 7. D. 25. §. 1: »censuit Congregatio observanda: primum, visitationem, cujus meminit Instr. pro spir. renovatione, intelligendam esse quotidianam. Virum proinde fidum in singulis domibus et Collegiis designandum, qui ei muneri vacet, neque idem semper in visitando tempus teneat. Nulli interim concedendum, ut ad libitum dormiat, sed surgendi

orandique tempus singulis statuendum. Quodsi quis ordinarie longiori tempore indiguerit, Provincialis consulendus erit, in quibus omnibus suus visitator statuendus.« — Ab hac visitatione eximi possit a Provinciali, v. g. qui fuisset Provincialis; — 1620. — aut a Superiore justa de causa. — Ceterum antiquiores potius exemplo ceteris esse debent. — 1597 — Novitiis non detur cura visitandi tempore orationis. — 1591.

Nota. 3. — De lectione spirituali supra jam dictum est: non præscribi nisi 822
quadrantem ante examen vespertinum; esse tamen usum quasi universalem, ut præterea aliquid temporis quotidie illi impendatur. Quo fit, ut paulatim libri ascetici præcipui nobis familiares fiant in nostram aliorumque utilitatem; tum etiam ut inveniatur fructus practicus pro vita ordinanda, qui in meditatione sæpe deest. — cf. nº 259.

3. — Litaniæ quotidie recitantur in communi, non quidem ex regula, 823
sed ex usu quodam originario, quo paulatim etiam is modus statuebatur, qui nunc est universalis. — C. 9. D. 7: „quoniam jam pridem a Patre Claudio bonæ memoriæ commendatum erat, ut ordinariis Sanctorum litaniis, quæ quotidie ex pia consuetudine recitantur, vel *Ave Maris Stella* vel *Salve Regina* subjungeretur, Congregatio inductum hunc in Societatem morem laudans atque approbans, ad inducendam uniformitatem statuit, ut ubique *Ave maris Stella*, *Sub tuum praesidium*, et *Defende quaesumus* Sanctorum litaniis adjungantur." — C. 10. D. 14: „Congregatio annuendum censuit pio quorundam postulato, ut sub finem litaniarum post Orationem *Defende* etc. adderetur Oratio: *Deus, qui glorificantes te* etc. in honorem SS. Ignatii et Francisci Xaverii." — Cong. Poloc. 2. D. 8: „ad postulata de promovendo cultu Sanctissimi Cordis JESU et B. M. V. repositum est ac definitum, ut præter triduanam ante festum SS^i Cordis devotionem a. p. m. Patre Nostro Stanislao Czerniewicz præscriptam addatur singulis diebus Oratio de SS^mo Corde, post litanias de omnibus Sanctis ultimo loco orationum recitanda, atque ut diebus Sabbati consuetis litaniis de omnibus Sanctis præmittantur Litaniæ Lauretanæ." —

Nota. — Decennio jam ante suppressionem Societatis P. Ricci pro advertendis 824
periculis sæpius ordinavit preces fundendas, inter quas nominantur litaniæ Lauretanæ quotidie recitandæ ante litanias omnium Sanctorum. Ultimæ ejus de hac re litteræ encyclicæ sunt de ipso anno 1773. — Vere probabile est Societatem, durante suppressione, in Russia retinuisse hunc usum, quem saltem pro diebus Sabbati decreto confirmavit; ut supra. Nec dubium, quin restaurata Societate Patres in eam revertentes antiquum morem resumpserint. — Imo P. Godinot, tunc Vice-Provincialis per Helvetiam, Belgium et Hollandiam, redux Roma ex Congregatione generali, litt. encycl. 9 Nov. 1821, hæc ordinavit: »singulis diebus litaniæ B. Virginis recitentur ante litanias omnium Sanctorum, ut simus magis conformes usui in aliis provinciis existenti." — Revera nunc est usus universalis per totam Societatem. — cf. Woodstock letters, July 1893, pag. 316.

825 4. — Præter has orationes aliæ non sunt præscriptæ, ne Rosarium B. M. V. quidem, ut supra jam dictum est. Sed juvat adjungere de Missis sacerdotibus dicendis vel singulis hebdomadis, vel singulis mensibus et annis, ad quas dicendas pro fundatoribus, benefactoribus defunctis non obligamur quidem sub peccato gravi, tenemur tamen in conscientia prout nunc exponetur.

a. — „Qui preces et Missas injunctas non persolvunt, non peccant per se, quia est solum obligatio ex regula. Attamen peccant Superiores, qui ex negligentia non curant, ut designentur, qui Missas celebrent, præsertim pro benefactoribus et fundatoribus." — Resp. 1604. — „Non satisfaciunt regulæ, qui Missas per alios legunt, quia est onus personale." — Rhen. 1634.

b. — Missæ pro defunctis Societatis injunctæ non obligant sub mortali, sive sint ex Constitutionibus, sive ex particularibus regulis, sive ex mandato Superioris. Nam habent tantum rationem simplicis mandati, nisi præceptum obedientiæ accedat (quod solum obligat graviter in re gravi.)

c. — „Missæ affixæ tempori, v. g. hebdomadæ, mensi, si per morbum vel legitimum impedimentum omittuntur, non necessario postmodum suppleri debent." — Rhen. 1585. — „Si vero ex negligentia, supplendæ sunt." — Tolos. 1629.

d. — „Si indicantur ad tempus indefinitum, satis est, si per duos vel tres menses dicantur." — Neapol. 1603.

e. — De Missis in Catalogo præscriptis scribit R. P. Roothaan 21 Martii 1848: „si habent stipendia, saltem unum Sacrum in hebdomada dicant, et sufficit etiam pro menstruis." — Ex epist. R. P. Anderledy 31 Juli 1887, n° 6: „nostri sacerdotes, quicunque Missam pro stipendio celebrant, certo sciant, quomodo Sacris in Catalogo orationum præscriptis satisfacere interim debeant. Et primo quidem singulis hebdomadis Sacrum unum offerant ad Præpositi Generalis intentionem. Deinde vero Sacra onmia peragant, quæ pro defunctis nostris nominatim indicuntur; itemque Sacrum in commemoratione omnium Defunctorum Nostrorum faciendum. Tertio denique Sacra nulla omittant, quæ pro re gravi imperare interdum solent Superiores. Quæ nimirum omnia, nisi aliter statuerit Præpositus Generalis, prima quidem, ut aiunt, intentione, ac proinde sine stipendio fieri debent. Reliqua vero, quæ in Catalogo orationum jubentur, *secunda* saltem intentione erunt persolvenda. Atque hæc de Nostris, quibus stipendiorum facultas conceditur."

826 5. — Exercitia ab omnibus subeunda sunt singulis annis per octo

vel decem dies continuos. — C. 6 D. 29. §. 2: „ut omnes quotannis vacent spiritualibus exercitiis per octo vel decem dies continuos; atque ut id efficaciter et omnino fiat, statutus est iste annuus exercitiorum spiritualium usus, et omnibus summopere a Congregatione commendatur, præcipue vero Superioribus, ut non modo ceteros suo exemplo excitent, sed tempus quoque singulis commodum ad ea cum fructu peragenda, omnibus difficultatibus superatis attribuant."

Indicatur etiam modus, quo facienda sint. — C. 7. D. 25. §. 4. „detur opera, ut annua exercitia spiritualia can. 9. C. 6. præscripta exacte ab omnibus fiant, omni omnino excusatione et occupatione seposita ac superata; ita ut neque negotiis neque confessionibus eo tempore distineantur, servata etiam in illis proportione methodoque quibus integra exercitia fieri consueverunt, præsertim quoad recessum ab omnibus." — C. 8. D. 38. §. 1: „commendandum Patri Nostro, ut, quomodo judicaverit in Domino expedire, per Provinciales urgeat exsecutionem eorum, quæ de spiritualibus exercitiis quotannis per octiduum subeundis constituta sunt." — §. 2: „ne Superiores locales ab iis obeundis immunitatem dare possint; et soli Provinciales rationes audiant, quibus aliquis videatur excusandus." — Instr. 13. c. 1. §. 4. — Ord. c. 4. §. 20: „omnes quotannis vacent spiritualibus exercitiis, obeundis per octo vel decem continuos dies." — Resp. Germ. Prov. 24. Febr. 1850: „convenit, ut ordinarie quisque peragat exercitia in propria domo; Reverentiæ Vestræ prudenti arbitrio relinquitur dijudicare, utrum particulari de causa aliquando facultas concedenda sit, præsertim Superioribus, ea alibi peragendi." — Consuetud. Germ. n° 46: „nisi forte ob rationem Provinciali probatam alicui concedendum videatur, ut ea alibi faciat."

De tempore et modo exstant quædam Responsa. — Polon. 3 Martii 827
1634: „tempus communiter computandum est, ut intra duodecim menses ab ultimis iterum fiant." — Germ. 1614: „adeoque non sunt differenda ultra duodecim menses." — Gallobelg. 24. Aug. 1619: „etsi ex mente Congregationis Nostri non sint regide obligandi, ut intra spatium duodecim mensium illa quotannis faciant, tamen noluit etiam, intra annorum duorum exercitia viginti quatuor prope menses interponi;" — v. g. hoc anno in mense Januario, sequenti vero in Decembri. — Rhen. infer. 1647: „exercitia spiritualia satis est ut faciant quolibet anno Domini, licet non præcise intra 12 menses." — Flandr. 1650: „exercitia spiritualia a Nostris peragantur mensibus æstivis, ne in hiemem dilatæ magnas creent molestias."

828 6. — Officium divinum, ex privilegio Pontificio, non recitatur communiter in choro, sed a singulis privatim; nec obligantur Nostri ad officium ante susceptum ordinem subdiaconatus, perinde atque alii clerici ex jure communi.

Paulus III. „Regimini": „Socii omnes, quicunque in Sacris fuerint, quamvis beneficia ecclesiastica aut eorum reditus non habeant, teneantur tamen singuli privatim ac particulariter, et non communiter ad dicendum officium secundum Ecclesiæ ritum." — Gregorius XIII. „Ex Sedis Apostolicæ" 28 Febr. 1573: „Nos considerantes, religionem prædictam uberrimos fructus ad Dei laudem et sanctæ catholicæ fidei propagationem per universum orbem dedisse, meritoque in suis piis Institutis confovendam esse, motu proprio et ex certa nostra scientia, Sociis prædictis: ut horas canonicas singuli et privatim juxta usum Romanæ Ecclesiæ, non autem communiter seu in choro, recitare teneantur, quo acrius studiis, lectionibus et prædicationibus intendere possint... — de novo concedimus." — P. 6. c. 3. §. 4: „quoniam occupationes, quæ ad animarum auxilium assumuntur, magni momenti sunt, ac nostri Instituti propriæ et valde frequentes; cumque alioqui nostra habitatio tam sit in hoc vel in illo loco incerta, non utentur Nostri choro ad horas canonicas vel Missas et alia officia decantanda; quandoquidem illis, quos ad ea audienda devotio moverit, abunde suppetet, ut sibi ipsis satisfaciant."

Admittitur tamen aliquid ejusmodi, v. g. ad finem alliciendi populum ad audiendam concionem vespere diebus dominicis, sed „sine cantu figurato vel firmo, ut vocant, sed tono quodam devoto et suavi et simplici... eodemque tono officium, quod tenebrarum dici solet, cum suis ceremoniis in hebdomada sancta fieri possit." — Etiam pro nostris defunctis officium dicitur, P. 6. c. 4. C: „usus habet, ut officium dicatur tono mediocriter alto, sine cantu, præsentibus in ecclesia domesticis cum suis candelis accensis, etc."

829 *Nota* 1. — Ex Constitutione Pii IX. 26 Julii 1858 licet, officium diei sequentis, i. e. Matutinum et Laudes, anticipare jam hora secunda post meridiem. De qua concessione scribit P. Beckx Procuratori Germ. 19 Dec. 1868: »summus Pontifex hanc facultatem dedit subsistente justa causa; et deinde declaravit, justam causam esse illam, quam vel confessarius, vel præfectus rerum spiritualium, vel Superior justam esse censuerit.« — Comp. Priv. novum, nº 320.

Nota 2. — De suscipiendis sacramentis confessionis et eucharistiæ jam supra in Parte quarta dictum est. — Et hæc de exercitationibus spiritualibus qua mediis ad nostram sanctificationem perficiendam.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PŒNITENTIIS EXTERIORIBUS.

Etiam has pœnitentias medium esse efficax sanctificationis perficiendæ, omnes conclamant, qui de rebus spiritualibus tractant; modo assumantur recta cum intentione et justa in mensura. Quod ut obtineatur, recurrendum est ad ea, quæ Constitutiones de hac re habent.

1. — Placuit sancto Ignatio statuere, ne ex regula fiant certæ quæ- 830
dam austeritates sive pœnitentiæ, statis temporibus ab omnibus assumendæ, quod alias in familiis religiosis obtinet; cum tam varia sit conditio singulorum tum quoad animam tum quoad corpus, ut modus omnibus communis et uniformitas omnium minime haberi possit. — Ex. c. 1. §. 6: „ratio vivendi communis est, nec ullas ordinarias pœnitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet; sed illas assumere quivis poterit, quæ sibi videbuntur cum approbatione Superioris ad majorem sui spiritus profectum convenire, et quas propter eundem finem Superiores eis poterunt imponere."

Hic locus bene illustratur ex quodam Responso Prov. Rhenan. 10 Jan. 1656: „mihi displicet ordinatio a R. V. facta, ut decies per annum in pervigiliis festorum solemniorum fieret in omnibus Collegiis publica flagellatio in triclinio. Cum non conformis sit Constitutionibus, tollatur. — Nec ordinatio sive de flagellatione publica in triclinio facienda decies per annum, sive de invitatione ad illam flagellationem est conformis moribus et Instituto nostro; neque in hujusmodi rebus quærenda est uniformitas, quam Sanctus Fundator voluit esse; et regulæ Præp. 32. et Rect. 31. expresse prohibent, ne introducatur ordinaria consuetudo jejunandi (eadem est ratio aliarum pœnitentiarum, quæ juxta Constitutiones non sunt): meique antecessores variis in locis abrogarunt tales consuetudines flagellationum et jejuniorum, introductas ex mera devotione, sine ulla obligatione. Atque ex his satis cognoscit meam mentem: cupio, ut illi se conformet."

Discretio tenenda est in austeritatibus exercendis. — P. 3. c. 2. §. 5: 831
„corporis castigatio immoderata esse non debet nec indiscreta, in vigiliis et abstinentiis et aliis pœnitentiis externis ac laboribus, quæ et nocumentum afferre et majora bona impedire solent. Ideo suo confessario detegi ab unoquoque convenit, quidquid in hac parte faciat; qui si judicat excedi mensuram aut certe dubitet de excessu, illum ad Superiorem remittat. Hæc autem omnia eo fiunt, ut clarius procedatur, et in animis corporibusque nostris DEO Domino nostro major

gloria deferatur." — Contra autem P. 6. c. 3. §. 1: „nec contra tanta in illis sit relaxatio, ut fervore spiritus refrigescente humani et inferiores affectus incalescant."

832 2. — Jure igitur, quod ultima hæc verba insinuant, Constitutiones postulant, ut hæ pœnitentiæ externæ a Nostris pro viribus adhibeantur, quum non dicant, eas non esse faciendas, sed moderandas esse juxta discretionem religiosæ prudentiæ in singulis personis, respectu habito ad finem Societatis, qui sit laborare strenue in salutem proximorum. Pœnitentias has corporales in Societate nec contemni nec negligi, probant nostri viri sancti: voco sanctos Fr. Xaverium, Fr. Borgiam, Aloysium, Alphonsum, plurimosque alios, quorum exempla in rigide tractando castigandoque corpore fere nimia videntur homini fervore minore imbuto.

833 3. — Et merito quidem adhibentur a nobis hæc arma spiritualia, quum eædem rationes atque in aliis religionibus eorum usum suadeant, etiam fortiores. Nostræ enim vocationis ministeria exercenda exponunt nos variis periculis et occasionibus, quas obire necesse est, ne desimus voluntati Dei exsequendæ. Et in vita nostra, quæ communis est, desunt nobis certæ quædam res exteriores, v. g. habitus religiosus particularis, et alia, quibus homines aliorum ordinum a multis occasionibus periculisque liberantur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DISCIPLINA DOMESTICA.

834 „Ad omnia conferet temporis ordo in studiis, orationibus, Missis, lectionibus, cibo, somno, et in reliquis servatus; et signum constitutis horis detur, quo audito omnes statim, vel imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocantur, se conferant." — P. 4. c. 10. §. 9.

His verbis consonat celebre illud dictum: „custodi ordinem et ordo custodiet te." Quibus monemur ea fideliter observare, quæ in religione statuta sunt ad vitam externam ordinandam, ne ex neglecta cura vitæ externæ ruina vitæ internæ paulatim irrepat. Unde est, quod in religionibus plurimis hujusmodi defectus commissi pœnis sat gravibus castigantur, publice etiam coram ceteris domesticis, non quia in se tam graves sint, sed quia viam aperiant disciplinæ paulatim relaxandæ, qua sublata, certissime etiam vigor vitæ internæ sensim aufertur, imo per sensum mundanum et carnalem plane existinguitur. — Nihil sane magis arcet in singulis personis inordinationes et defectus commit-

tendos, quam sedula cura incedendi in via per regulas et consuetudines ordinis statuta; econtra neglecta hac cura incipit in homine inordinatio et tepiditas, quæ est radix omnium malorum et janua ad spiritus ruinam introducendam. — Ubi autem omnes viribus unitis contendunt servare accurate hanc disciplinam domesticam, ex bonis omnium exemplis inter se juvantur et animantur in fervore spiritus retinendo et augendo.

SECTIO SECUNDA.

Media negativa Virtutis exercendæ.

Præter media positiva, quæ in Instituto ad implendas status nostri 835
religiosi obligationes proponuntur, sunt etiam ea quæ negativa sive privativa vocare licet; i. e. prohibemur ex regula nostra exercere plura opera sive ministeria, quæ in se bona quidem sunt vel saltem non mala, quæ tamen, si a Nostris exercerentur, eos impedirent retinerentque, quominus finem vocationis specialem persequerentur. Clarum inde fit, quare Societas in hisce regulis servandis tantam semper ponebat sollicitudinem; quod videre est non solum in expressis verbis harum regularum, sed in eo maxime, quod in decretis Congregationum iterum iterumque earum observatio stricta urgetur. Proponamus igitur has prohibitiones per singulos articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

NON RECITATUR OFFICIUM IN CHORO.

Proprium Societatis JESU est, quod officium divinum ab iis, qui ad 836
id obligantur, non recitetur vel cantetur in choro communiter, sed dicatur a singulis privatim. Similiter, quod cum hoc cohæret, Missæ solemnes aliæque functiones celebres ordinarie in nostris ecclesiis non fiunt. De his jam dictum est supra in art. 1. sect. 1., ubi etiam indicantur Bullæ et Constitutiones huc spectantes. Sed notum est, Societatem jam fere a principio impugnatam fuisse ab adversariis, quod negligeret rem quasi substantialem vitæ religiosæ; imo fuisse plures Pontifices, quibus in animo fuerit, mutare in hac parte Constitutiones a Sede Apostolica jam approbatas. Inter quos erat ipse sanctus Pius V., qui cum sancto Francisco Borgia, quamvis sibi amico, unius in hac re sententiæ non fuit. DEI tamen providentia factum est, ut quod sanctus Ignatius statuerat, prævaleret tandem et in universa Ecclesia approbaretur. Ponamus quasdem rationes hujus Constitutionis factæ.

1. — Recitare et canere officium divinum communiter in choro, non est de substantia vitæ religiosæ, quasi medium ad finem ejus prosequendum perfectionemque evangelicam exercendam. Ex natura sua magis congruit vitæ monasticæ, cujus professi una semper vivunt, contemplationi et orationi fere unice intenti: dum clerici regulares principaliter in exercendo sacro ministerio pro salute proximorum occupantur.

2. — Quodsi quis instet, decantationem officii aliasque ceremonias solemnes in choro exhibitas etiam magnopere inservire ad excitandam fovendamque pietatem in populo, et proin a fine apostolico non abesse, dicimus (secuti S. Thomam 2. 2. qu. 9. a. 2. ad. 3.), hoc verum quidem esse, attamen nobiliora illa media haberi, quæ immediate faciant ad docendam movendamque plebem, uti concionari, catechizare, exercitia dare, confessiones audire: quibus si quis occupatus sit, facile excusatur, ne intersit officio in choro canendo.

3. — Quum vero sacra ministeria quam maxime propria sint nostræ vocationis apostolicæ, nemo non videt, iis non plane se impendere esse quodammodo renuntiare speciali fini, quem Societas sibi proposuit auxilii animarum, ad quem prosequendum tota ratio vitæ nostræ accommodata est. Quidnam v. g. esset, si juvenes nostri, ut choro interessent, studia interrumpere vel postponere cogerentur; vel si operarii relinquerent confessionale, postponerent concionem, omitterent visitationes ægrotorum ex ea causa, quia tempus urgeat ad cantandas horas canonicas in choro. Ipsi homines sæculares jure exspectant a Nostris secundum ideam, quam habent de hominibus Societatis, ut quovis momento per diem et per noctem quasi succincti sint, parati ad relinquenda omnia, ut succurrant ope sua omnibus poscentibus, diviti, pauperi, seni, juveni.

4. — Demum, fideles ipsi non frustrantur hoc pietatis fovendæ augmento, quod esse in cantandis horis celebrandisque solemniter Missis aliisque functionibus libenter concedimus, quoque etiam nos in Domino utimur, quando interdum nobis se offert rationabilis occasio talibus assistendi; v. g. in officio defunctorum communiter recitando in exequiis Nostrorum; et etiam in officio Hebdomadæ Majoris, in cujus Triduo finali omnes ritus sacri secundum ordinem Romanum fideliter perficiuntur. Ceterum tot exstant religiosorum ecclesiæ, in quibus talia offeruntur, ut liceat plane ex pluribus eligere eam, quam ad satisfaciendum devotioni suæ maxime sibi idoneam esse intelligant.

ARTICULUS SECUNDUS.

LIBERI SUMUS A CURA MONIALIUM VEL PERSONARUM RELIGIOSARUM.

De sancto Patre nostro Ignatio refert Pater Hoffæus: „Jussu Pauli III. 837
accepit Pater Ignatius curam trium mulierum, ut ei obedirent. Sed male successit; et cum una fuit contendendum in judicio. Omnes, quotquot Romæ degebamus, habebant illæ paucæ mulieres continenter fere occupatos. Tandem hæc cura a Societate rejecta est." — Inde satis intelligitur, cur sanctus Parens noster de hoc genere ministerii speciales ordinationes emiserit, tum per Bullas Pontificum, tum per proprias Constitutiones.

Paulus III. „Licet debitum" 18 Oct. 1549: „ne curam monialium seu religiosarum quarumlibet personarum recipere teneantur, per litteras Apostolicas impetratas vel in posterum impetrandas, nisi de hoc indulto et ordine Sociorum hujusmodi expressam facientes mentionem, auctoritate et tenore prædictis, de speciali gratia, indulgemus."

P. 6. c. 3. §. 5: „cum homines itidem hujus Societatis semper parati esse debeant ad discurrendum per quasvis mundi partes, quo fuerint a summo Pontifice vel a suis Superioribus missi, non debent curam animarum, neque item mulierum religiosarum vel aliarum quarumcunque suscipere, ut ordinarie illarum confessiones audiant vel ipsas regant, quamvis nihil repugnet, semel unius monasterii confessiones ob speciales causas audire."

C. 7. D. 56: „rogata Congregatio, ut de efficaci remedio aliquo provideret, ne Nostros circa mulierum curam certis locis certisque inter se legibus in una domo conviventium occupari et distineri paulatim permitteret; censuit fortiter his initiis occurrendum, cum cura qualiscunque talium Constitutionibus P. 6. c. 3. §. 5. regulisque Præp. 47. et Rect. 68. ex professo videatur adversari, periculisque hæc res sit non vulgaribus multorumque oblocutionibus exposita; maxime quod hæc cura alienissima semper a Societatis Instituto ministeriisque habita fuerit. Quare serio Superiores omnes monitos voluit, ut ab omni illarum directione ac promotione abstineant; neque suorum quemquam quocunque prætextu patiantur illarum se rebus miscere, aut quamcunque talium curam suscipere, aut peculiari modo fovere aut dirigere; sed circa illas eo se modo habeant, quo circa alias templum nostrum promiscue frequentantes; rogavitque Congregatio R. P. Nostrum, ut, si quæ necessitas occurrerit, Suam Sanctitatem de summorum Pontificum Pauli III. et Julii III. voluntate, deque gravibus ex hac re incommodis

damnisque merito timendis informare dignetur; simulque omni studio invigilare huic malo, eaque remedia adhibere, quæ in hanc rem validissima et certissima judicaverit."

C. 8. D. 11: „quamvis non sit opus novo decreto, ut Societatis a cura monialium immunitas, Constitutionibus satis firmata, commendetur Patri Nostro, quia tamen munus ordinarii earum confessarii Nostri qui sunt in urbe Carpensi, subire coacti sunt a S. Congregatione Cardinalium s. Inquisitionis, enixe rogandum censuit Congregatio, ut illud onus.... quam prudentissime et fortissime poterit, excutere omnino conetur."

C. 20. D. 12 n° 9. et 10: „ut nemini Nostrorum, nisi maturæ sit ætatis, et si fieri poterit, ante determinatam ætatem, permittatur frequentare monasteria monialium aut puellarum conservatoria; et iis quibus permittetur, liceat accedere tantum ad tradenda exercitia spiritualia vel pro excipiendis extraordinarie confessionibus. — Ut nimia Nostrorum frequentia in domibus sæcularium imminuatur, et ut restituatur observatio regulæ statuentis, ne quis visitationes instituat sine speciali facultate, manifestando Superiori locali, ad quem accedere velit et qua de causa."

„Facta tamen est huic decreto intercessio quoad punctum, in quo prohibentur Nostri accedere ad monasteria monialium vel puellarum conservatoria, nisi ad tradenda exercitia spiritualia vel ad excipiendas extraordinarie confessiones; et dictum fuit, hujus Decreti exsecutionem esse moraliter impossibilem saltem in pluribus locis. Attentis rationibus, quæ afferebantur, placuit Congregationi, hanc apponere limitationem, ut si in aliquibus locis obtineri nequeat, ne Nostri frequentius accedant ad dicta monasteria et conservatoria, id non fiat, nisi ob graves et justas causas et ex speciali Superioris licentia."

C. 23. D. 40: „quum in pluribus Congregationis Actionibus tractatum esset de cura monialium, et varia in utramque partem fuissent disputata, censuit demum Congregatio, nullum novum de hac re Decretum esse necessarium; sed standum esse Constitutioni S. P. N. Ignatii et Congregationum Decretis."

Propositis his Bullarum et Constitutionum documentis, distinguamus, quæ in cura monialium suscipienda Nostris vetita, quæ vero licita sint.

838 1. — Vetamur suscipere ordinariam vel stabilem curam monialium etiam quoad res conscientiæ, vel spiritualem directionem, et esse ordinarii earum confessarii. Hic est sensus clarus et proximus nostrarum

Constitutionum. A fortiori non licet curam suscipere gerendi earum res externas et temporales.

2. — Non vetamur tamen omnino mulierum religiosarum confessiones 839
audire; neque est contra Constitutiones, eas audire aliquoties, quamvis sanctus Ignatius utatur verbo: „semel." Nam sic est in Responsis:

Mutius Polon. 13 Dec. 1631: „non prohibentur Nostri per voculam „semel" P. 6. c. 3. §. 5. et reg. Rect. 68. ter in anno et sæpius diversis annis eas audire; sed eo loco „semel" est ac „subinde et non ordinarie." — Quod congruit dicto ipsius Patris Ignatii 21 Julii 1556: „non est contra Constitutiones, bis aut ter audire earum confessiones, ut restituantur in ordinem; non tamen progrediendum ulterius." — Attamen Claudius 5 Martii 1591: „non est conforme nostro Instituto, in singulos menses audire monialium confessiones." — Et 14 Julii 1590: „nonnisi raro, et aliquoties tantum temporibus extraordinariis permittantur Nostri eas audire." — Austriæ 1587 et 1593: „confessiones monialium Nostri non audiant nisi ter vel quater in anno, nec ullarum precum ducenda est major ratio, quam nostrarum Constitutionum."

Nota. — Mulieres religiosas, quæ veniunt in nostras ecclesias, si ad eas audiendas ab Ordinario approbati sumus, ibi etiam audire posse videmur, secundum Resp. Neapolit.: »monialium tertii ordinis confessiones in templo nostro possunt audiri, sicut aliorum quorumcunque pœnitentium.« Imo plerumque non videmur obligari interrogare mulieres religiosas in templo nostro ad confessionale accedentes, an habeant Ordinarii facultatem accedendi ad nostros confessarios; nam si veniunt ex licentia suarum Superiorum, merito supponitur, has cum Ordinario rem composuisse.

3. — Quod vetitum est nobis de mulieribus proprie religiosis, idem 840
obtinet de feminis, quæ communiter secundum certam regulam vivunt. Nam ita est in P. 6. c. 3. §. 5.: „vel aliarum quarumcunque." Et Pater Claudius 16 Jan. 1586: „quod de monialibus, idem de recollectis et omni societate mulierum est intelligendum." — Idem C. 7. D. 56: „circa mulierum curam certis locis certisque inter se legibus in una domo conviventium." — Et de ipso sancto Ignatio hoc narratur: matrona quædam præerat cuidam congregationi mulierum ac puellarum, quæ Nostros urgebat, ut earum audirent confessiones semel singulis mensibus. Et quamquam religiosæ non erant, quia tamen formam quamdam religiosarum servabant et in communi et sub obedientia vivebant, non est visum sancto Patri nostro juxta Instituti nostri

rationem, eas audire. — Resp. General. sub „mulierum aliarum confessiones." nº 5.

841 4. — Instructiones quasdam dare monialibus Constitutiones non vetant, imo supponunt, hoc fieri posse. Nam in reg. Rect. 68., in qua prohibetur earum confessiones ordinarie audire, statim subjungitur: „quamvis nihil repugnat, aliquando apud eas concionari;" utique: „quod tamen non fiet, nisi postulent ii, qui iis præsunt." Et in Rat. stud. reg. Rect. 5: „eos, qui biennio recolunt theologiam, habendis concionibus in ecclesiis, *vel in cœnobiis virginum*, quam minime potest, occupet; idque consulto Provinciali." Ex quo patet, licere quidem, sed caute concedendum.

Addamus factum historicum: Pater Claudius 23 Junii 1583, cum a Legato Veneto rogatus esset, ut Nostrorum quempiam, qui monialium cænobium ex summa morum dissolutione ad meliora adduxerat, sineret earum confessiones ad sex vel octo menses audire, respondit, non posse operam nostram latius extendere, quam Constitutiones permittant; in his tamen, quæ nobis licet, velle nos illis libenter servire, et ita, ut Pater continuaret exhortationes, loqueretur subinde in particulari cum illis, prout necessitas postulaverit, subinde eas consolaretur, audiendo earum confessiones.

842 *Nota.* — In Germania in multis monialium cœnobiis Nostri fungebantur tanquam confessarii extraordinarii eo modo, ut quovis trimestri confessiones earum exciperent, quæ inde vocabantur *confessiones quartales.* Hac occasione plerumque utebantur ad dandam iis simul spiritualem instructionem per semihoram fere; vel sæpius etiam, si quædam earum festivitas occurreret aut alia ratio id suaderet. Similiter Nostri multoties a monialibus requirebantur, dare exercitia annua sororibus, vel triduum pro renovatione votorum. Non potest negari, ex his ministeriis ita ordinatis mulieres religiosas sat magnam spiritualis vitæ utilitatem hausisse vel haurire potuisse, præsertim quando e domo principali expositæ non alio adjumento fruebantur, atque sacerdotis sæcularis, sæpissime satis juvenis et religiosæ vitæ ignari.

843 5. — Addamus demum quasdam rationes, quæ ostendant, hanc restrictionem circa moniales jure a sancto Ignatio factam esse. — Finis Societatis difficile patitur, ordinariam et fixam curam exercere, cum regula dicat, nostrum potius esse, diversa loca peragrare. — Plurimæ monialium familiae istis viris religiosis quasi associatæ sunt, quibuscum habent eumdem fundatorem geruntque idem nomen, v. g. Benedictinæ, Franciscanæ, Redemptoristæ, et aliæ; proin proprie curandæ sunt ab istis religiosis, ad quos tam prope accedunt. — Et negari non potest, nonnulla quædam pericula non abesse ex utraque parte, tam Nostrorum

tam monialium ex frequentiori conversatione mutua. — Quod alii etiam fundatores ordinum non ignorarunt, et propterea prohibitiones non absimiles a nostris statuerunt.

Nota. — Quum Congregatio »des Dames du Sacré-Cœur« fundata sit a Patre quodam, qui postea ingressus est Societatem, quumque in ista Congregatione regulæ plurimæ statutæ sint fere verbotenus a nobis transsumptæ, inde istarum religiosarum mens erat et multoties nunc est, se quodammodo propius accedere ad Societatem Jesu eo fere modo, quo aliæ ad alios ordines, quorum nomen gerunt obedientiæque nonnunquam subsunt. Unde est quod putent, Nostris competere earum curam magis quam ceterarum monialium. Quod omnino rejiciendum est et verbis gravissimis expresse negatum, potissimum in epistola quadam P. Roothaan ad R. Mère de Limmenghe, Taurinum 15 Jan. 1833.

ARTICULUS TERTIUS.

ABSTINENDUM A NEGOTIIS ALIENIS.

Negotia aliena vocantur ea omnia ministeria, labores, occupationes, 844
quæ fini vocationes nostræ non congruunt vel nullam afferunt utilitatem; a fortiori ea omnia, quæ huic fini contraria sunt vel nocent. — Vides posse laborem quemdam, occupationem vel curam in se esse bonam, imo sanctam, quæ tamen nobis non conveniat.

P. 6. c. 3. §. 7: „ut plenius possit Societas rebus spiritualibus juxta suum Institutum vacare, quoad ejus fieri poterit, a negotiis sæcularibus abstineat; qualia sunt testamentariorum vel exsecutorum vel procuratorum rerum civilium, aut id genus officia; nec ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant vel in illis se occupari sinant."

De ipso Generali habetur in P. 9. c. 6. §. 4: „quod in universum dicitur in P. 6. c. 3., eos, qui de Societate sunt negotiis sæcularibus, licet pia alioqui essent, implicari non debere, id Generali magis quam reliquis omnibus convenit: ne in eis vel aliis etiam rebus, piis quidem sed ad Societatem non pertinentibus, ita occupari se sinat, ut tempus ac vires ad ea, quæ pertinent ad ipsius officium. . ., eum destituant." — C. 5. D. 48: „illud etiam cavendum diligentissime, ne cum detrimento spiritualis boni et disciplinæ religiosæ Nostri sese in familiaritatem Principum insinuent, nec aliis negotiis sæcularibus, licet rerum particularium ad consanguineos, amicos vel quosvis alios pertinentibus, occupentur; nisi forte interdum, judicio Superiorum, charitas aliud suaderet. Quo in genere non raro a nonnullis erratur, præsertim vero a Superioribus, qui hujusmodi permittunt. Nam cum Const. P. 6. c. 3. §. 7. hujuscemodi negotia tanquam a nobis aliena nullo modo permittant, diligentissime curandum est, ut intra nostri Instituti limites proximos juvare conemur."

845 Quibus in locis exprimuntur etiam rationes, cur talia suscipere vetamur: *a)* abstrahunt nos ista a propria nostra vocatione impediuntque secundum eam operari, non sine periculo salutis perdendæ;

b) est etiam in detrimentum religiosæ disciplinæ, uti dicit Congregatio quinta; quæ non potest servari, nisi omnes et singuli intra limites debitos se contineant;

c) etiam saluti proximorum nocivum est, quum iis non possimus magis prodesse, quam ministeriis, quæ sunt nostræ vocationis propria.

846 *Nota.* — Fieri quidem potest per exceptionem, ut sit ad majorem Dei gloriam, talia etiam curare, quæ non sint stricte nostræ vocationis; sed utrum id fiat. est penes ipsos Superiores dijudicare.

P. 9. c. 6. B: »hoc intelligendum est, quatenus declinari poterunt [negotia aliena]. Sed demum prudentia docebit, num per se [Generalis] aut alios de Societate debeat nonnunquam aliquorum piorum operum, quæ ad Societatem non pertinent, curam suscipere, vel quod magni sint momenti in Dei obsequio, vel in gratiam eorum, qui id impetrare student.« — Monentur vero Superiores, ne faciles sint in concedenda hac facultate, et ut in gravioribus rebus ad Provincialem, imo ad Generalem recurrant ipsi; »decreti hujus transgressores graviter pro transgressionis magnitudine puniendos censuit Congregatio.« — C. 7. D. 13.

847 Ne tamen in vanum curramus, in variis Instituti locis, ea indicantur, quæ nobis prohibita sunt.

1. — Primo veniunt ea, quæ ad testamenta condenda vel exsequenda spectant. — P. 6. c. 3. §. 7: „negotia sæcularia, qualia sunt testamentariorum vel exsecutorum." — Intelligitur præprimis testamentorum conceptus; quem vetat P. Claudius 3 Aprilis 1599: „non videtur prohibendum, quin Nostri verbo vel scripto circa testamentum consilium dent et dirigant eos, a quibus rogantur, formulas tamen integras non concipiant, quia id Instituto nostro non est consentaneum." — Nec præsentes esse iis condendis: reg. Sacerd. 28: „etsi, cum opus est, ægrotos ad condenda testamenta hortari conveniat, iis tamen conficiendis non assistant." — Minus etiam, testes horum esse. — Rect. Parm. 1599: „Nostris non licet adesse ut testes, dum testamenta conduntur, quandoquidem, quod minus est, nec assistere licet ex reg. Sacerd. 28." — Quod etiam exsecutio testamentorum vetatur, præter alias hæc certe est ratio, quia sæpissime secum trahit, ut exsecutor in judicio appareat, imo litibus forensibus implicetur; quæ quantopere dedeceant religiosos, in aperto est.

Nota. — Certum quidem est, Franciscum Borgiam suscepisse exsecutionem testamenti Caroli V. imperatoris, et quidem antequam Patrem Ignatium hac de re consulere poterat. Quod Pater Sacchinus ita narrat: »Pater Borgias vehementer

se opposuit huic negotio, uti Instituto nostro prorsus alieno. Quoniam tamen Lusitaniæ princeps Joanna ipsius Caroli filia, quæ pro Philippo rege, fratre suo, Hispaniam regebat, a Generali Præposito alioquin impetratura, præciperet, sexque docti Patres iidemque maximæ homines auctoritatis in consilium adhibiti cunctandum esse negarent, præsertim quod quædam ex templo transigenda moram non paterentur, ad Præpositum ubi primum licuit perscripta re, oneri cessit.«

Nobis expresse prohibitum esse legata confidentialia accipere, ex C. 12. D. 38. supra jam prolatum est, ubi de paupertatis lege agebatur, cui hoc oppositum est. Accedit, quod hoc negotium aperte etiam est exsecutio testamenti, quæ ex Constitutionibus interdicitur.

2. — Prohibemur procuratores agere in tribunalibus. — C. 7. D. 848
13: „severe graviterque interdicendum Nostris, ne ullo prætextu in propinquorum aut quorumcunque externorum negotiis, tribunalibus se sistant, neve curam ullam administrandi illorum bona litesve prosequendi aut dirigendi, ex quacunque causa suscipiant." — Imo contravenientes puniendi sunt. C. 16. D. 31: „statuit [Congregatio], ut si quis forensibus externorum litibus se immiscere et tanquam Advocatus aut Procurator, scriptis præcipue et consiliis in judicio communicatis, alterutram partem tueri ausus fuerit, debitis pœnis, arbitrio Præpositi Generalis et (si necessitas urgeat), aliorum Superiorum decernendis, pro culpæ gravitate servere castigetur."

Pro particulari quidem casu dispensari potest, sed ab ipso solo Generali. — P. 6. c. 3. D: „hoc observetur, quoad ejus fieri poterit. Superiori tamen ad casum aliquem necessitatis vel majoris momenti ad finem divini servitii præfixum, facultas dispensandi ad tempus relinquetur. Hic autem Superior Præpositus Generalis erit, vel qui ab eo facultatem ad hoc acceperit."

„Quod etiam necessitas excusat, habet Resp. Prov. Germ. 1586: „quod quærit de Rectore Friburgensi, qui se judicio sistere coram hæreticis, in quorum dominio quædam bona nostra sunt, coactus est: Judicavimus, nullum esse a censuris scrupulum, siquidem apparet id necessario factum, ad redimendam vexationem et damnum haud mediocre evadendum."

Ne arbitri quidem in componenda lite esse possumus. — Resp. 849
Aragon. 1577: „Nostri non assumant judicis officium vel arbitri." — 1591: „Nostros non licet esse compromissarios, etiamsi sæcularis adjungetur alter compromissarius, quia inde multæ nascuntur offensiones, et quia hoc est, ingerere se in negotia sæcularia, uti explicat sanctus Cyprianus."

3. Vitare monemur lites forenses. — C. 2. D. 55: „lites forenses, 850

pro rebus præsertim temporalibus, fugiant Nostri omnes, et id curent Provinciales efficere; ac primum compromissione rem adnitantur componere. Quodsi nulla ratione id possint assequi tamen non intendat quisquam e Nostris litem hujusmodi.... absque consensu Præpositi Generalis aut ejus,, cui expresse suas vices ad hanc rem ille commiserit. Nostris autem si lis intendatur, curent Provinciales primum, vel a parte vel a judice peti, vel id consequi per Principem, ut prius possit consuli Generalis Præpositus, quam liti respondere cogantur. Nam fieri poterit, ut Generalis Præpositus jubeat cedere Nostros liti, et potius detrimentum temporale pati, quam litibus dare operam, etiam pro re alioqui debita."

851 4. — Pro propinquis talia vel similia suscipere, graviter interdicitur in C. 7. D. 13: „censuit Congregatio, severe graviterque interdicendum Nostris, ne ullo prætextu in propinquorum aut quorumcunque externorum negotiis tribunalibus se sistant; neve curam ullam administrandi illorum bona, litesve prosequendi aut dirigendi, ex quacunque causa suscipiant; aut illorum quemquam ad ecclesiasticas aut sæculares dignitates promovere studeant sine expressa R. P. Nostri facultate, quam soli Generali Congregatio voluit reservatam. Quem etiam rogat, ut difficillimum se in ejusmodi concessionibus præbere dignetur. In aliis vero piis propinquorum, benefactorum Societatis, pauperum, ægrotorum, vinculis detentorum similiumque commendationibus, ad quas licet quis aut charitatis, aut quasi quibusdam æquitatis ac gratitudinis alicujus magnæ legibus teneretur, nulli tamen harum tractationem permittendam censuit sine expressa Superioris loci, in quo res agitur, facultate. Qui, si rei gravitas moram nullam patiatur, permittere eas, audito in rebus gravioribus Consultorum judicio, poterit; ita tamen, ut Provinciali in rebus alicujus momenti concessionem causamque hujus prima quaque opportunitate indicare teneatur. Quodsi moram res patitur, teneantur ad Provincialem recurrere," etc. — Prudentiæ etiam est, declinare dandas personis commendationes, præsertim litteris scriptas.

852 5. — Ex Rescripto 17 Nov. 1583 vetamur esse pupillorum tutores. — Rescriptum 1593: „vetitum est religiosis, baptizandorum et confirmandorum patrinos esse. Potest quidem esse casus, ut Nostris liceat esse patrinis a Confirmatione, sed passim non expedit." — 1594: „non convenit passim permittere, ut Nostri sint patrini in sacramento Confirmationis." — Habet Rituale Romanum: „ad hoc munus patrinorum admitti non debent monachi, vel sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis regulares a sæculo segregati." — Et Craisson 3324: „illicite, quamvis valide, sunt patrini Abbates et omnes regulares a sæculo

segregati, nisi regulares facti sint Episcopi; quoad Abbates tamen in multis locis contraria est consuetudo."

6. — Resignandum jus sedendi in diætis. — Claudius 1587: „agendum est, ut Conventus Provinciales nos liberent ab obligatione assistentiæ in suis diætis. Cetera onera et contributiones non recusamus." 853

7. — Nostris comitantibus Episcopos in visitationibus diœcesium abstinendum est ab omnibus rebus jurisdictionem spectantibus. — Reg. Mission. 18: „si quando Prælatum aliquem in visitanda diœcesi comitabuntur, nihil se in negotiis ad visitationem pertinentibus immisceant, aliisque id genus ad jurisdictionem pertinentibus; sed iis tantum ministeriis attendant, quæ sunt nostri Instituti propria." — Et P. Mercurianus ad P. Franciscum Adornum, confessarium sancti Caroli Borromæi scribit Maio 1579: „Reverentia Vestra abstineat ab exsecutione reformationis externæ, et non intersit nec publice nec privatim, quando fiant statuta et ordinationes eo spectantes." 854

8. — Ne immisceamur matrimoniis contrahendis. — Claudius 13 Dec. 1589: „intelligo, duos ex Nostris operam suam contulisse ad matrimonium transigendum. Hujusmodi res exacte impediri debent, et ii qui se immiscent, bonis pænitentiis puniantur, mutando ex Collegiis ipsos, ut aliis sint exemplo." — „Jungendis vero connubiis abstineant omnes; et si quis operam iis conciliandis dedisse repertus fuerit, ad me deferatur." — P. Anderledy 1885. 855

9. — „Ut Nostri vigilent ad corpus defuncti, quamdiu terræ mandari non potest, cum alia similia, subterfugiamus, ne ministeria Societatis, quæ sunt ad majorem Dei gloriam impediantur." — Rescript. 1581. — Idem videtur dicendum de comitandis, v. g. in curru viæ ferreæ, corporibus defunctorum, ut deducantur ad locum sepulturæ. 856

10. — „Non expedit, Societatem in se curam orphanotrophiorum recipere et orphanorum domos regere; quod non pugnat cum inspectione aliqua quoad spiritualia et mores orphanorum." — Ignatius 17 Maii 1554. 857

Nota. — Ex dictis hucusque eruitur, Societatis non esse, omnia suscipere, quæ in se bona sunt, sed ea solum, quæ sunt etiam conformia nostro Instituto nostroque vivendi modo. Quod bene scribit Claudius Provinc. Austriæ 22 Oct. 1582: »Non omnia, quæ hominibus grata, aut etiam omnia, quæ ædificationis sunt, a nobis sunt usurpanda.« — Et 1583: »velim omnibus Nostris persuasum 858

esse, non omnia charitatis officia a Nostris suscipienda; neque gratum esse DEO, ut suscipiantur; sed ea tantum, quæ Instituto, quod nobis utique ab illo donatum est, consentanea sunt.« —

Res politicæ a nobis quam maxime alienæ sint; quod ut distincte proponatur, sit articulus proprius.

ARTICULUS QUARTUS.

RES POLITICAS NE TANGAMUS.

859 Hæc res verbis quam fortissimis proponitur in ipsis etiam Congregationibus, ea potissimum de causa, quia multi ex nostris hominibus tanquam confessarii vel consiliarii primariis viris et ipsis Principibus præsto esse debebant. — C. 5. Can. 12: „ut ab omni specie mali abstineatur, et querelis etiam ex falsis suspicionibus provenientibus, quoad fieri poterit, occurratur, præcipitur Nostris omnibus in virtute s. obedientiæ, et sub pœna inhabilitatis ad quævis officia et dignitates seu prælationes, vocisque tam activæ quam passivæ privationis, ne quispiam publicis et sæcularibus Principum negotiis, quæ ad rationem status (ut vocant) pertinent, ulla ratione se immiscere nec etiam quantumvis per quoscunque requisitus aut rogatus ejusmodi res politicas tractandi curam suscipere audeat vel præsumat. Idque serio commendatur Superioribus, ne permittant Nostros iis rebus ullo modo implicari; et si quos ad eos propensos animadverterent, eos loco mutandos quamprimum procurent, si alicubi sit occasio vel periculum se ejusmodi implicationibus irretiendi." — Ord. c. 4. §. 18.

Quum tempore Patris Claudii periculum Societati ex hac parte immineret, satis intelligitur, Congregationem quintam hanc rem tam severe tractasse; quod videre est in ejus Decretis 14., 57., 79. et 80. — Et ut dubium, quæ sint tales res politicæ, quantum fieri posset, removeretur, explicat C. 7. D. 46: [e Resp. P. N. Claudii explicationem peti posse:] „universe loquendo, ea quæ pertinent ad solam conscientiam directionemve Principum aliorumque, qui petunt consilium, per canonem 12. C. 5. non prohiberi. Quæ vero eo non referuntur et a spirituali instructione diversa sunt, tanquam a canone aliena vitari debere. Et alibi; exemplo posse esse [Resp. P. Claudii]. quæ ad Principum inter se fœdera, vel ad regnorum jura et successiones pertinent, vel ad bella tam civilia quam externa; si quis publicis harum rerum et similium consiliis interesset aut tractandis iis operam re ipsa impenderet." — Et alia Responsa P. Claudii.

Huc refertur etiam Postulatum Congr. Prov. Germ 1615; cum

Responso Patris Mutii Vitell. — Postulatum fuit: „in Cong. 5. can. 12. statuitur „ne quispiam politicis" etc.; qua in re petitur, ut R. P. N. magis in particulari exponat, quid iis contineatur. Cum enim illa ipsa quævis sæcularia et publica Principum negotia sæpe conscientiam concernunt, ut: fasne sit Principi, hæc aut illa tributa subditis imponere, nonnunquam etiam propria ratione ad bonum spirituale reipublicæ referatur, ut cum de publica aliqua confœderatione cum his aut illis Principibus publico bono religionis ineunda deliberetur, aut cum de his vel illis infidelibus ex Principum christianorum terris ejiciendis agitur; præter quæstionem tamen juris, quæ plerumque facilis esse solet, sæpe etiam, ac quidem præcipue, ad obscuram et dubiam facti quæstionem revocentur, v. g. an non, omnibus consideratis circumstantiis, ex hac vel illa confœderatione, ex hac vel illa infidelium expulsione majus aliquod damnum Reipublicæ merito sit pertimescendum, ob quod malum alterum velut minus tolerandum videatur; quæritur, quomodo in his vel similibus casibus Nostri gerere se debeant."

Respondit Mutius: „Congregatio Generalis aliqua, quum omnia non posset, hujus generis explicavit, quæ ceteris lucem afferrent; si quæ vero de aliquo casu dubitatio exsurgat, moneant tempestive, ut responderi possit. Intelligant autem Nostri: quo longius ab harum rerum tractatione aberunt, eo minus ceteris offensiones, sibi vero plus quietis temporisque ad Societatis ministeria spiritualia tractanda conciliabunt."

Vides ex iis, quæ allata sunt, nec Societatem nec Generales habuisse animum statuendi omnino omnia ista particularia, quæ censeri possint „res status", vel „negotia publica", tum quia eædem res pro varietate circumstantiarum omnino inter se variæ esse possunt, tum etiam, quia talis definitio particularis valde odiosa esse multisque offendiculis ansam præbere potest. Est ergo nostrum, in casibus occurrentibus judicium ferre ex spiritu Constitutionum regularumque, vel peritos consulere, vel Superiores, imo ipsum Generalem adire.

Coroll. — Responsa Generalium, in variis occasionibus et circumstantiis data, lucem afferunt huic rei, quænam intelligenda sint „negotia politica," vel „res status." — Sardin. 1606. — Mediol 1608. — Venet, 1608: „negotia Congregationis quintæ canone 12. vetita sunt, immiscere se rebus politicis et publicis; intercedere, ut uni potius quam alteri dentur officia; ut ad majora promoveantur. Respondere autem ad casus conscientiæ non prohibetur illo canone." — „Politica, quæ 860

prohibentur C. 5. D. 12. sunt prætensiones Principum, matrimonia et quæcunque alia negotia sæcularia."

Germ. 1603: „negotia status censentur, quæ non referuntur ad solam conscientiam, et ab instructione spirituali diversa sunt." — Rhen. 1619: „confessarii Principum non censentur miscere se negotiis status, dum illos monent, ut faciant id, ad quod tenentur. Nec etiam, dum monent, quod spectat ad theologiam, seu conscientiam Principis; sed quid hic et nunc expediat, non est censendum a Nostris"

Germ 1641 Patri Vernand: „nullo decreto prohibitum est, politica et res status attingere; etiam conciliis interesse, quod formando judicio pro conscientia sua necesse est; dummodo ab ipsa tractatione politica, dicendaque de re status sententia abstineatur. Quæ potest esse Reverentiæ Vestræ in toto hoc negotio regula." — Germ. et Rhen. infer. 1648: „potest quis interrogatus a Principe de rebus ad solam conscientiam directionemque pertinentibus privatim sensum suum aperire; sed publicis conciliis Principum interesse et negotia Principum tractare, nulla ratione debet." — Rhen. 1647: „nulli e Nostris se immisceant conciliis de tradendis locis alteri parti factionum inter Principes, sub pœna dimissionis."

Encycl. Prov. Germ. 25 Jan. 1648: „nulli Nostrorum tractationi de pace Germaniæ se immisceant, aut scribant edantve librum in alterutram partem sententiarum." — Dusseldorp. 1664: „decreta, quæ prohibent Nostris tractationem negotiorum status, non adimunt Generali dispensandi facultatem, quando videbitur expedire."

Pater Everardus Niedhart, confessarius reginæ Hispaniæ, ex dispensatione Provincialis et cum approbatione quinque Consultorum, qui omnes olim fuerant Provinciales receptus est in concilium status regium, et Pater Generalis huic rei assensum dedit. Contra negavit eundem favorem ducissæ Mutinensi pro confessario suo Patre Gariberto. — Eadem igitur res variis in circumstantiis variari potest; unde recurrendum ad consilium Superiorum virorumque prudentium.

„Societas Jesu divinæ gloriæ procurandæ unice intenta politicis partibus extranea est, et sub quacunque regiminis forma Cæsari reddit, quæ Cæsaris sunt." — P. Beckx. 1855.

Vetitum Nostris fuit, in politicis electionibus ullam partem habere. — 1861. — Sed viva voce probavit Pater noster, ut in Gallia Nostri his electionibus interressent, quando sæculares Sacerdotes Episcopo propinquiores id agerent. — 1877.

Pro cœtibus sive congressibus, qui passim celebrantur, P. Anderledy 8. Dec. 1890 quasdam præscripsit cautelas, ut nempe, ubi de Nostro-

rum in his interventu ageretur, Provincialis cum suis Consultoribus deliberet, et ad P. N. referat, utrum et quinam ex Nostris intersint; nil vero in his proferatur, nisi „litteris mandatum, multa industria elaboratum, peritorum judicio comprobatum, religiosa modestia temperatum." — Abstineant vero Nostri ab his congressibus, in quibus pertractantur negotia Instituto aliena, præsertim politica; vel animorum dissidia foventur.

SECTIO TERTIA.

Societatis Cura de nobis.

Partis sextæ caput quartum exhibet nobis eam curam et sollicitudinem, quam habet Societas de nobis in præcipuis vitæ nostræ conditionibus, præcipue in sanitate servanda. Ostendit, quæ bona nobis præstat Societas tum tempore morbi, tum in morte et etiam post eam. Cui maternæ Societatis circa nos sollicitudini respondere tenemur, gerendo ex nostra parte æqualem in iisdem rebus sollicitudinem.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SANITATE, MORBO, MORTE.

Societatem vere esse nostram matrem maternoque affectu nos fovere, quam maxime elucet ex eo auxilio, quo nos in gravissimis his momentis circumdat et protegit, tum quoad corporales necessitates, tum quoad spirituales.

1. — Ad servandam valetudinem corporisque vires Societas bene 861
est intenta. — P. 3. C. 2. §. 6: „sit aliquis domi, qui præsit in iis, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent, tum conservandam in sanis (et quidem in iis præsertim, qui ex ætate vel aliis de causis sunt debiliores), tum restituendam in ægrotantibus; cui debeant omnes, si male se habere extraordinarie senserint, id referre, ut de remedio, prout charitas exigit, convenienti provideatur." — Est igitur munus proprium, quo fungitur præter Superiorem alius etiam, cui hæc cura specialiter demandata est circumspiciendi et providendi, prout singulorum conditio expostulat. — Præter hæc in Societate etiam in genere ea principia iique modi tenentur, ex quibus servandis salus corporis quam plurimum pendet.

a. — Ne nimium quid fiat in corporali vel mentali exercitatione. — 862

P. 10. §. 10: „moderatio laborum animi et corporis, et in Constitutionibus, quæ ad neutrum extremum rigoris vel dissolutionis vergant (ut sic melius observari possint), mediocritas conferet ad durationem et totius corporis in suo statu conservationem."

863 *b.* — Sana domicilia. — P. 10. C: „ad hoc etiam curandum est, ut domus et Collegia in locis, ubi sit purum et salubre cœlum, habeantur, et non in eis, qui contrariam habent proprietatem." — C. 1. D. 113: „sint [ædificia] ad habitandum et officia nostra exercenda utilia, *sana* et fortia, in quibus tamen paupertatis memores videamur."

864 *c.* — Victus bonus et sufficiens. — Reg. Rect. 58: „in iis, quæ ad victum, vestitum et habitationem et ad alia corpori necessaria pertinent, curet, ut, quamvis sit, in quo probetur virtus et sui ipsius abnegatio, non desit tamen, quo sustentetur natura, habita convenienti ratione personarum in Domino." — P. 3. c. 2. §. 7.

865 *d.* — Somnus necessarius. — P. 3. c. 2. E: „tempus somno tribuendum, in genere loquendo, intra sextæ et septimæ horæ spatium debere esse videtur... Sed quia in tanta varietate personarum ac habitudinum certa regula præscribi nequit, ut detrahatur vel addatur huic tempori, Præpositi prudentiæ relinquetur, qui curabit, ut quisque, quod necessitas naturalis exigit, retineat."

866 *e.* — Corporales exercitationes viribus accommodatæ. — P. 3. c. 2. F: „quamvis unusquisque paratus esse debeat ad quodvis officium assumendum, quod ei fuerit impositum, animadvertendum tamen erit, in illis, quæ robustiores ac fortiores homines requirunt (qualia sunt officia sacristæ, janitoris atque infirmarii), ut ii homines, qui corporis habitudine juxta officiorum rationem præditi sunt, quantum fieri potest, constituantur." — Ne in externis pœnitentiis quidem indiscreti sint. — Summ. 48.

867 2. — Ægrotorum et morbo decumbentium in Societate habetur cura quam maxima; nec sumptibus nec laboribus parcitur, ut et animabus et corporibus bene fiat. Juvat meminisse, vi Constitutionum hanc maternam circa ægrotos curam quatuor personis quam instantissime demandatam esse: infirmario, præfecto valetudinis, Ministro, et ipsi Superiori. Sufficit videre, quæ singulorum regulæ de hoc officio habent, nec opus est, singula proferre. — P. 3. c. 2. G: „cura habeatur ægrotorum magna; quorum ægritudo simul atque infirmario indicata fuerit, si senserit ille rem esse alicujus momenti, Superiorem admoneat, et vocetur medicus, qui unus tantum ordinarie esse debet, si in casibus quibusdam Superiori aliud non videretur. Observetur autem tam in

victus ratione, quam in medicinis, quod medicus præscripserit, quantum fieri poterit; nec infirmus in his quidquam curet, sed illud potius studeat, ut patientiam et obedientiam exerceat, relicta cura reliquorum omnium Superiori ac ejus ministris, per quos a divina Providentia regitur." — Reg. Infirm. 13: „cum gravitas morbi id postulaverit, Superiorem certiorem reddat, ut ægrotus, antequam judicii usu privetur, omnia sacramenta accipiat. Quodsi ægrotus diu, licet sine periculo, decumbat curet, ut octavo quoque die pro more Societatis communicet, ne hujusmodi spirituali fructu et consolatione privetur, nisi aliqua ratio judicio Superioris impediat." — Imo ægrotis nostris præsertim sacerdotibus porrigatur Sacra Communio quotidie, si id desiderent. — 1648. — Reg. 14: „ingravescente morbo Superiorem admoneat, ut orationibus omnium domesticorum valde peculiaribus infirmum juvari faciat, atque eo magis, quo morti propinquiorem videret; et ut morienti quo plures poterunt ex Nostris adsint, qui eum animosiorem reddant iisque auxiliis juvent, quæ eo tempore convenient; ac cum primum vita functus fuerit, æditum admoneat."

3. — Post mortem honesta fit sepultura, quod decet statum religio- 868
sum. Summa autem Societatis pietas in eo est, quod pro defunctis suffragia fieri constituit, maxima qua fieri potest liberalitate et profusione cordis; neque sunt multi, quos tot sacrificia, tot preces, tot pia opera sequuntur, ut citius purgentur visionisque beatificæ participes fiant. Statuimus ea expresse:

SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS SOCIETATIS.

1. — Pro omnibus Societatis defunctis in genere fit commemoratio 869
similis illi, quam habet Ecclesia catholica die post festum omnium Sanctorum. Quod dicitur in C. 13. D. 8: „major pars Congregationis decernendum judicavit, ut per Societatem universam quotannis commemoratio celebraretur omnium in Societate defunctorum; adeoque eo die, qui a commemoratione omnium fidelium defunctorum primus occurrerit non impeditus, Sacerdotes omnes Sacrum facerent paratu nigro, ceteri vero coronam seu tertiam rosarii partem recitarent pro iisdem defunctis in Societate."

2. — Quoties aliquis moritur, in C. 3. D. 40: „in singulis provinciis 870
servetur mos antiquus in suffragiis faciendis pro iis, qui in provincia moriuntur, ut scilicet in eo loco, ubi quis decesserit, singuli Sacerdotes tria Sacra et singuli Fratres tres coronas; in aliis vero ejusdem provinciæ locis duo Sacra faciant et duas coronas recitent."

871 3. — Qui extra suam provinciam moriuntur, in Ord. c. 2. §. 3: „pro iis, qui in Europa extra provincias suas decedunt, fiant in Collegio seu domo, in qua quis moritur (vel in proxima, si peregre obierit), eadem omnino suffragia, quæ fierent, si ejus loci membrum foret. „Et quidem præter ea Sacra, quæ facienda erant more solito in eorum provincia et domo, cujus membra erant, ac si in illa obiissent." — Catal. Miss. n° 19.

872 4. — Si quis moritur in alia provincia, cui pro aliquo munere fungendo applicatus fuit, vel etiam in itinere ad hanc provinciam, tunc quoad suffragia pro eo facienda idem est, ac si esset membrum hujus provinciæ. Moneat igitur Superior loci, ubi is mortuus est, Præpositum provinciæ, ad quam defunctus mittebatur, ut solita pro eo suffragia indicet, tum in domo, ad quam destinabatur, tum in tota provincia, ac si in illa obiisset. — Ord. c. 2. §. 9. — In propria vero ejus provincia mors ejus annuntiatur tantum in singulis domibus ejusque anima precibus commendatur.

873 5. — Quando quis moritur in alia provincia, in qua uti hospes tantum degit, v. g. ad recuperandam sanitatem, ad utendum bibliotheca vel ejusmodi, tunc quidem in domo, in qua decedit, omnia pro eo suffragia fiunt, ac si esset ejus membrum; reliqua suffragia persolvuntur in propria provincia, perinde ac si intra limites ejus decessisset. — Ord. c. 2. §. 3.

874 6. — „Pro iis, qui in itinere Indico vita funguntur, fiant solita suffragia tum in provincia, in qua moriuntur, tum in ea etiam Indiæ provincia, ad quam tendebant, vel unde in Europam veniebant". Ord. c. 2. §. 3. — Si in mari, valet C. 15. D. 10: „ut ii, qui obeunt in mari, censeantur esse de illa provincia, cui primo illorum obitus innotuerit. Qui vero ex Indiis jam appulere in Europam, fruantur suffragiis provinciæ, in qua migrant ex hac vita, nisi certæ alicui provinciæ in Europa jam fuerint applicati;" servata in reliquis Ord. c. 2. §. 3.

Nota. — Ita olim quando propter nimiam distantiam nuntius de morte alicujus non nisi post longum tempus in Europam afferri poterat. Nunc vero, ubi missiones Indicæ non constituunt proprias provincias, sed sunt partes ejus provinciæ in Europa, ex qua missæ sunt; ita ordinatum est, ut statim, quando mors accidit, per telegraphum submarinum Provinciali in Europa nuntius afferatur, qui tunc indicat per totam provinciam suffragia persolvenda eodem prorsus modo, ac si in Europa decessisset.

875 7. — Pro defuncto Patre Generali habet offic. Vic. §. 2: „Vicarius itaque simul atque creatus fuerit, dabit operam, ut Missæ et orationes in universa Societate pro anima Præpositi mortui fiant. Nempe, ut

singuli Sacerdotes, qui sunt in eodem loco, ubi Generalis mortuus est, quinquies sacrificium Missæ pro eo offerant et reliqui totidem coronas recitent; in aliis autem locis per universam Societatem singuli Sacerdotes tria Sacra faciant et reliqui tres coronas dicant; præter officium in templo nostro, Societatis more, de defunctis dicendum et Sacrum solemne cum exsequiis. Qua etiam die aliud Sacrum reliqui faciant et non Sacerdotes aliam coronam recitabunt." — Et quidem, quod habet C. 7. D. 5: „super ea Sacra, quæ Vicarius facienda præscripserit." Et addit: „pro modestia tamen religiosa, consueto Societatis more, cenotaphium reliquaque peragenda sunt." — Idem C. 12. D. 56. n°. 5.

h. — Pro defunctis Assistentibus, Secretario et Provincialibus dicit 876
C. 9. D. 21: „visum est Congregationi suo decreto firmare, quod jam usu receptum est, ut in obitu eorum, qui officio Assistentis aliquando functi sunt, præter suffragia ordinaria tria Sacra et tres coronæ in tota eorum Assistentia indicantur; per reliquam vero Societatem Sacrum unum et una corona. Similiter pro Secretario generali per totam Societatem Sacrum unum et una corona recitetur. Denique pro Provincialibus in iis provinciis, quas gubernarunt, unum Sacrum et una corona adjiciantur."

Nota. — Quantæ gratiæ referendæ sunt divinæ circa nos Providentiæ, ex qua post mortem etiam juvamur centenis, imo millenis Missis et orationibus, pluribus quam ditissimo cuique obvenire solent. Tanta est Matris nostræ cura circa nos.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUID NOBIS AGENDUM SIT IN HAC PARTE.

Quodsi Societas tanta nos vigilantia et sollicitudine complectitur quoad necessitates nostras tum corporales tum spirituales eo ipso etiam supponit, nos ipsos non deficere in necessaria et convenienti cura de nobis ipsis. Itaque:

1. — Dum sano corpore fruimur, curandum est, ut vires serventur 877
modo religiosos decenti, sicut in ipsis Constitutionibus præscribitur. — P. 3. c. 2. §. 1: „ut nimia sollicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent, reprehensibilis est, ita cura moderata tuendæ ad divinum obsequium valetudinis ac virium corporis laude digna et ab omnibus adhibenda est. Et ea de causa, cum animadverterint, aliquid sibi nocere, vel quid aliud necessarium esse circa victum, vestitum, habitationem, officium aut exercitationem et sic de aliis rebus, admoneant omnes ea

de re Superiorem, vel quem ad id Superior constituerit; duo interim observantes: primum, ut antequam ad eum quid referant, se ad orandum recipiant; et post orationem, si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant; alterum, ut cum verbo, aut scripto brevi (ne excidat memoria) Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositæ relinquant, et quidquid ille statuerit optimum ducant; nec contendere aut urgere per se vel alium (sive concedatur, quod petitur, sive non) pergant: quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium, ac suum majus bonum, quod Superiori, re intellecta, in Domino visum fuerit."

Monemur dein in sequentibus paragraphis specialiter, quid tenendum sit quoad victum, vestitum, habitationem, ne quid nocivum accidat; item ne in laboribus suscipiendis et peragendis nimium quid fiat, neve simus in externis pœnitentiis indiscreti, etc. Et omnia hæc quidem ex motivis supernaturalibus, ut corporis vires serventur ad divinum obsequium exercendum. — Ex altera tamen parte religiosum decet esse contentum, si corporis valetudo aliqua in re deficiat sine sua culpa et ex dispositione divina, ad nostram ipsorum probationem et ad majus meritum habendum. Temerarium esset omnino exspectare vel desiderare, ut ab ingruentibus corporis molestiis liberi maneamus, dum gerimus corpus hoc corruptibile et subjectum peccato. Longe a nobis sit utrumque extremum: ne diligamus nimis corporis valetudinem, et ne timeamus nimis corporis infirmitatem; nam sive vivimus, sive morimur, DEI sumus semper.

878 2. — Tempore morbi, habet Ex. c. 4. §. 32: „ægritudinis tempore non solum observare unusquisque obedientiam magna cum puritate debet erga Superiores spirituales, ut ipsius animam regant; sed cum eadem humilitate erga medicos corporales et infirmarios, ut corpus ejus regant, quandoquidem illi plenam ipsius sanitatem spiritualem, hi vero corporalem omnino curant. Præterea qui ægrotat, humilitatem et patientiam suam præ se ferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, iis, qui ipsum invisent et cum eo versabuntur et agent, quam dum valebat corpore, ad majorem DEI gloriam præstare curet." — P. 3. c. 1. §. 17: „curent omnes ex morbis corporis fructum capere, non solum sibi, sed etiam ad aliorum ædificationem, non impatientes aut morosos se exhibendo, sed potius patientiam magnam habendo et præ se ferendo, ac obedientiam medico et infirmario præstando, verbis piis et ad ædificationem facientibus utendo, quæ ostendant, ægritu-

dinem acceptari ut donum de manu Creatoris ac Domini nostri, quandoquidem non minus donum est, quam sanitas." — Summar. 50.

Nota. — Caput quintum hujus Partis sextæ explicatione non indiget, cum verba per se clara sint et ostendant nobis, quo spiritu animatos nos esse deceat in observandis regulis et Constitutionibus. — Curramus igitur viam DEI magno animo et corde dilatato, ad propositum nobis bravium, donec perveniamus ad auctorem fidei nostræ et consummatorem, JESUM CHRISTUM, cui sit laus et honor in sæcula!

Septima Pars Constitutionum.

De operibus in proximorum salutem in vinea Domini suscipiendis.

879 In parte praecedenti ea proposita sunt, quae observanda et agenda veniunt filiis Societatis Jesu ad propriam salutem et perfectionem acquirendam; sequuntur in hac Parte ea exponenda, quae ab ipsis fiant in auxilium et salutem proximorum in variis mundi regionibus; quae omnia comprehenduntur sub nomine „sacri ministerii." Hoc sacrum ministerium exercetur duplici modo; sive dum huc illuc ad laborandum in vinea Domini mittimur, sive dum in collegiis et domibus commorantes modo magis stabili et consueto operamur in praedicando, confessiones audiendo et reliquis ordinariis occupationibus sacris peragendis. Dividemus igitur convenienter totam materiam in duo capita, quorum unum est de missionibus proprie dictis, quae tractantur in capite primo, secundo et tertio hujus septimæ partis; alterum de rebus, in quibus domus et collegia proximum adjuvant, quod est caput quartum. Præmittimus quaedam ad refutandos eos, qui praetendunt, Societatem Jesu non esse, nisi ad primum genus laborum exercendum.

PRÆLIMINARIA.

Putabant multi maxime ultimo sæculo, et putant etiam nunc sat multi, homines religiosos, utpote ex natura status sui religiosi ineptos, excludendos esse a cura animarum consueta exercenda; imo restringendos ad extraordinaria tantum opera, nimirum missiones habendas, exercitia tradenda, et similia. Notum est, sectam Jansenistarum huic

præjudicio quam tenacissime adhæsisse, totamque fuisse in eo, ut inprimis Societatis JESU hominibus campum, in quo operarentur, totum prorsus præcluderet. Contra hunc errorem perniciosum gravissimæ militant rationes.

1. — In Bulla celeberrima „Auctorem fidei" 28 Aug. 1794 contra synodum Pistoriensem 1786, a Pio VI. sequens sententia 80. damnata est:

„regula prima, quæ statuit universe et indiscriminatim, statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitæ pastoralis muneribus; nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis — falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria; quasi monachi, quos morum gravitas, et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, non rite nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ clericorum officiis aggregentur." — Jam Siricius Papa, 385-398, habet in epistolis decretoriis: „monachos quoque... clericorum officiis aggregari et optamus et volumus." — Epist. ad Himerium Tarraconensem.

Etiam S. Thomas probat, sacerdotem eo, quod fiat religiosus, non fieri ineptum ad opera curæ animarum, 2. 2. q. 187. a. 1. c: „stultum est dicere, quod ex hoc, quod aliquis in sanctitate promovetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda. Et ideo stulta est quorundam opinio dicentium, quod ipse status religiosus impedimentum affert talia exsequendi." — Si qui igitur dicant, regulares clericos ad hoc tantum esse, ut coadjuvent sæculares, eo tantum sensu intelligendi sunt, quod juvant eos non solum labores extraordinarios suscipiendo, sed etiam participando in consuetis pastoralis curæ operibus, ita ut ad parochiale munus æque ac sæculares clerici tanquam parochi proprii assumi possint. Utique parochiæ sæculares regularibus conferri non possunt absque dispensatione Pontificia. — Bouix tom. 2. pag. 46.

2. — Quod idem dicunt Bullæ et Constitutiones, enumerantes præcise eas operationes, quæ regulariter et communiter in sacro ministerio exercentur. — P. 4. Procem. A: „cum scopus ac finis, ad quem tendit Societas sit, varias mundi partes ex obedientia summi Vicarii CHRISTI Domini nostri vel Superioris ejusdem Societatis peragrando, verbum DEI prædicare, confessiones audire et reliquis quibuscunque poterit mediis uti, divina gratia aspirante, ad animas juvandas etc." — Reg. Mission.

3. — Sed quamquam hæc ita se habent, natura tamen et ratio status nostri secum fert, ut magis parati simus ad eos labores suscipiendos, qui formæ nostri Instituti vivendique rationi propius congruunt. Quare habet Claudius: „velim omnibus Nostris persuasum esse, non omnia charitatis officia a Nostris suscipienda, neque gratum esse DEO, ut suscipiantur; sed ea tantum, quæ Instituto, quod nobis utique ab illo donatum est, consentanea." — Ita fit, ut in Societate sint opera ministerii sacri magis ordinaria, in quæ regulariter incumbimus, et alia magis extraordinaria, quæ data occasione tantum assumuntur.

CAPUT PRIMUM.

De Missionibus suscipiendis.

VENIMUS jam ad illum modum operandi in salutem proximorum, cui Societas statim ab initio celeberrimos suos viros applicuit, cuique debet tantam in Ecclesia DEI gloriam, et quod præclarius est, tot in cœlo Sanctos, tum martyres, tum confessores. Fuit semper in hominibus Societatis sanctus quidam impetus descendendi in hunc campum laboris, ad augendam magis DEI gloriam Ecclesiæque fines dilatandos.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID SIT MISSIO.

881 Missio, si verbum genericum sumis, est quivis labor apostolicus in salutem animarum susceptus, ad quem homines Societatis a legitima auctoritate mittuntur sive ordinantur. Complectitur igitur missio omnes prorsus istas operationes, quæ juxta Institutum fieri possunt, varias omnino, prout variæ sunt spirituales necessitates, quibus sublevandis operam nostram in obedientia navamus. Notum est, distingui inter missionem internam et externam. Prior est, quam toties videmus haberi pro populo catholico in nostris regionibus, quæ etiam vocatur „missio pro populo," „Volksmission"; ad vivificandam denuo fidem fervoremque et diligentiam divini servitii renovandam. Altera est, quæ fit ad gentes exteras. ad quas mittimur tum pro fide annuntianda propagandaque, quando adhuc sunt ejusdem expertes; tum ad juvandas eas in spiritualibus earum necessitatibus, si fidem jam susceperunt. Utramque hanc missionem complectimur, quum pro utraque eadem valeant principia eædemque regulæ.

1. — Mitti ad laborandum in salutem proximorum, seu missiones habere hoc sensu latissimo modo exposito, quam maxime proprium est Societati JESU, quæ ad hoc præcise instituta fuit, prout in ipsis Pontificum Bullis ipsisque nostris Constitutionibus multoties exprimitur. 882

Paulus III. „Regimini" (1540): „quicunque in Societate nostra, quam JESU nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo DEO militare, et soli Domino atque Romano Pontifici ejus in terris Vicario servire, post solemne perpetuæ castitatis votum proponat sibi in animo, se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutæ, ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana, ad fidei propagationem per publicas prædicationes et verbi DEI ministerium, spiritualia exercitia et charitatis opera, et nominatim per puerorum ac rudium in Christianismo institutionem ac CHRISTI fidelium in confessionibus audiendis spiritualem consolationem præcipue intendat."

Paulus III. „Licet debitum" (1549): „ac ipsemet Præpositus [Societatis] pro tempore exsistens ire, et suos quocunque locorum, etiam inter infideles, cum expedire in Domino judicabit, mittere ac revocare, et per Nos ac Successores nostros ad locum aliquem missos sine temporis certi limitatione, cum id expedire ad DEI gloriam et animarum auxilium visum erit, super quo conscientiam dicti Præpositi oneramus, ad alia loca transmittere libere et licite valeat." — Idem in plurimis Bullis aliorum Pontificum.

Ex. c. 4. §. 35: „cum etiam semper parati esse, juxta nostræ professionis rationem et procedendi modum, ad discurrendum per has et illas mundi partes debeamus, quandocunque per summum Pontificem vel Superiorem nostrum immediatum fuerit nobis injunctum." — P. 7. c.c. 1. et 2. — et sic per totum nostrum Institutum.

C. 5. D. 46: „cum quæsitum fuissst, ut missiones, quæ sunt ex præcipuis nostræ Societatis functionibus et propriæ Professorum, per aliquod Congregationis decretum Patri Præposito commendarentur, quo diligentius et frequentius in posterum exerceantur, placuit Congregationi, præter studium, quod P. Præpositus ea in re variis litteris scriptis et missionum Ordinatione declaravit, idipsum obnixe Præposito commendare, ut scilicet curet, exsecutionem et praxim saluberrimi hujus ministerii ad ædificationem et fructum animarum majori cum diligentia posthac in Societate exerceri, et ut apti et selecti mittantur operarii."

Reg. Mission 1: „cum scopus, ad quem tendit Societas, sit, varias, mundi partes ex obedientia summi Pontificis vel Superioris Societatis peragrando, verbum DEI prædicare, confessiones audire, et reliquis quibuscunque poterit mediis uti ad animas, divina aspirante gratia,

juvandas, quicunque in hujusmodi missionibus versantur, sibi persuadeant, rem maximi ponderis in Societate sibi commissam esse; atque ita se comparare studeant, ut apta Dei instrumenta ad rem tantam esse possint."

In hisce regulis et etiam in Instructione 12. missionarii accurate docentur vitam et rationem, quam teneant in sacro ministerio exercendo secundum naturam et indolem status nostri, et in eo spiritu, quo Socios Jesu animatos esse decet.

883 2. — Quam vero sublime sit operari in salutem animarum, ex eo maxime elucet, quod est operatio ipsius Salvatoris nostri et Apostolorum ejus. Hoc mandatum, hanc missionem Christus accepit a Patre suo: „ad hoc enim missus sum"; hanc missionem auctoritate sua transtulit in Apostolos: „ite in universum mundum;" „ecce ego mitto vos"; hanc missionem etiam nos accepimus eadem auctoritate et eorum loco; „pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos." Recte igitur Ecclesia catholica nominatur et est nobilissimum illud Institutum Apostolicum sive Missionarium in quo omnes salventur per nostram operationem; operatio missionaria est propria Ecclesiæ.

884 3. — Imo verissime dicimus, universalem generis humani totius historiam nihil aliud esse, nisi historiam missionis, per Providentiam divinam exercitæ in ejus salutem. Nam Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Et ita ex Dei intentione nihil aliud sibi vult totius generis humani evolutio et historia, quam ut omnes gentes recta fide imbuantur et in ea retineantur; porro ut omnes conditiones et relationes humanæ, tum singulares tum internationales, ordinentur ex principiis supernaturalibus fidei christianæ; et ita perveniant homines ad finem suum, recta via tendentes ad beatitudinem cœlestem, ad quam creati sunt. Sumus igitur qua Apostoli sive Missionarii, instrumenta in manu Dei ad perficiendam voluntatem ejus in sanctificatione hominum eorumque beatificatione.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUIS MITTERE POSSIT.

Sermo est de iis, qui habeant potestatem mittendi Nostros, sive destinandi, quo sint ituri et quos labores assumpturi; quæ potestas varia est, major vel minor secundum gradum Superioritatis, quam habent, qui mittunt. Accipimus vero „missionem" etiam hic sensu

generico, quo denotat quosvis labores in auxilium animarum perficiendos.

1. — Summus Pontifex, quod per se patet, fruitur hac potestate 885
incircumscripta, qua potest unumquemque ex Nostris mittere eique labores imponere, quocunque terrarum et ad quæcunque ministeria putat conferre ad Dei gloriam. Competit ei hæc potestas qua habenti supremam jurisdictionem in Societatem, cujus Superior est summus, prout omnium aliarum religionum; strictiori modo etiam ex voto quarto professionis de speciali obedientia summo Pontifici præstanda circa missiones. — P. 7. c. 1. §. 1.: „animadvertendum est, quod eo fertur intentio voti illius, quo se obedientiæ summi Christi Vicarii sine ulla excusatione Societas obstrinxit, ut quocunque gentium ad majorem Dei gloriam et animarum auxilium, inter fideles vel infideles, nos mittendos censuerit, nos conferamus. Nec intellexit Societas particularem aliquem locum, sed ut per orbem in diversas regiones et loca spargeretur, cum optaret, quod factu optimum esset, eligere; idque speraret futurum, si hanc ipsius distributionem summus Pontifex faceret." — decl B: „intentio quarti voti ad summum Pontificem non tendebat ad locum aliquem particularem, sed ut per varias mundi partes, qui vovebant, spargerentur etc."

Quod ne in oblivionem abeat, Præpositus Generalis Pontifici recens electo communicare tenetur. — P. 7. c. 1. §. 8: „ad finem nostræ professionis ac promissionis melius consequendum, Præpositus Generalis, cum novus Christi Vicarius in Apostolica Sede fuerit constitutus, per se vel per alium, intra annum ab ejus creatione et coronatione, teneatur ejus Sanctitati declarare professionem ac promissionem expressam obedientiæ, qua ipsi Societas peculiari voto circa missiones ad Dei gloriam se obstrinxit."

2. — Generalis potest quemvis e Societate, sive Professus sit sive 886
non quocunque convenire putat, mittere. — P. 7. c. 2. §. 1: „quo spirituali animarum necessitati subveniri multis in locis majori cum facilitate et securitate eorum, qui ad id fuerint destinati, possint, Præpositi Societatis, juxta facultatem eis a summo Pontifice concessam, mittere quosvis de Societate poterunt, quocunque magis expedire judicabunt; qui tamen, ubicunque fuerint, ad obedientiam Sedis Apostolicæ parati erunt."

Imprimis P. 9. c. 3. §. 9: „idem Generalis in missionibus omnem habebit potestatem; eis tamen nulla ratione repugnando, quæ a Sede

Apostolica... proficiscuntur. Mittere ergo poterit omnes sibi subditos, sive professionem emiserint sive non emiserint, quos mittendos judicaverit, ad quaslibet mundi partes, ad quodvis tempus vel definitum vel indefinitum, prout ei videbitur; ad quamvis actionem ex iis, quibus uti ad proximorum auxilium Societas solet, exercendam. Poterit etiam missos revocare; et in omnibus denique, ut ad majorem DEI gloriam fore senserit, procedere." — decl. G: „non solum missos per præcedentem Præpositum vel per seipsum, sed etiam per summum Pontificem, nullo tempore definito, potest revocare."

887 3. — Vicarius, mortuo Generali, Societatem universam gubernans habet omnem potestatem et omnes facultates, quas habent Præpositi Generales, exceptis nonnullis, quæ præcise ad Nostros mittendos vel non mittendos referuntur; quod habetur in Offic. Vicar. §. 11.

a. — „circa missiones Professorum quator votorum id observabit, ut ante electionem eorum, qui venturi sunt ad Congregationem Generalem nullos ad se vocet nec mittat eo, unde impediantur venire ad Congregationem Provincialem."

b. — „post electionem vero electos nullo modo mittat eo, unde commode venire non possint ad Congregationem Generalem."

c. — „alios vero Professos non mittat ad infideles, nec ad partes remotas, quæ majorem considerationem requirunt, nisi forte aliquid tam grave et urgens accideret, ut ipsius judicio et Assistentium ad plura suffragia res differri non possit."

d. — mutationem autem Professorum quorumlibet ex una provincia in aliam ante factas Congregationes Provinciales nonnisi ex urgente causa et consultis Assistentibus ad plura suffragia faciat... Qua etiam prævia suffragatione poterit approbare missionem ad Urbem Procuratorum extra Europam, unde illis jus sit ad Congregationem Generalem."

888 4. — Potestas Provincialis in mittendis Nostris conformatur naturæ et finibus sui muneris, et etiam dependentiæ ipsius a Generali, cui subest; et relationibus, quas habet ad alios Provinciales et provincias.

a. — In ipsa sua provincia disponit et mittit Nostros, prout expedire judicat, consideratis omnibus, tum personis tum ceteris conditionibus. — reg. Prov. 106: „in mittendis operariis per provinciam extra domos et Collegia, ut in vinea Domini laborent, observet, quæ in Constitutionibus et regulis missionum dicuntur. Videat tamen, ne domus ac Collegia necessariis ministris destituantur." — Instr. 3. §. 10: „curent Provinciales, ut occasione missionum confessarii interdum mutentur, ne

angustus sit fructus, si perpetuo cum nonnullis devotulis occupentur." — Huc refertur etiam Reg. Prov. caput 3., in quo accurate enumeratur, quid possit et quid faciat ad conferenda Nostris munera vel occupationes.

b. — Ex reg. Prov. 112: „extra provinciam suam neminem mittat, nec etiam ad laborandum in vinea Domini, nisi negotii alicujus aut peregrinationis causa; aut nisi ei constaret de Generalis voluntate; vel conveniret cum Provinciali illius provinciæ, ad quam mittere aliquem ad tempus voluerit. — Ad provincias tamen extra Europam et inter ipsasmet hæ mutationes sine facultate Generalis ne fiant." — Nec mittit Provincialis subditos suos in missiones externas etiam suæ provinciæ, nisi ex informationibus de singulis ad Generalem missis et ab hoc approbatis, habeat licentiam mittendi. — C. 16. D. 10.

c. — Post cognitam Generalis mortem Provincialis neminem ex iis, qui jus suffragii habent, ex sua provincia in aliam mittat ante Congregationem Provincialem; nisi causa sit adeo urgens, ut ipse et major pars Consultorum ipsius existimet esse mittendum. — Reg. 113.

5. — Est etiam Superioribus localibus facultas mittendi sibi subditos 889
ad operandum in locis vicinis, imo monentur hoc facere interdum in commodum ipsorum, qui mittuntur. — Instr. 4. §. 3: „possunt fieri missiones ad loca vicina per duos vel tres dies hebdomadæ, ita ut redeant et adsint die dominico:" nimirum ad ordinarias suas functiones suscipiendas. — Instr. 15. c. 2. §. 8: „ut omnes confessarii, quod alias enixius commendatum est, per unius mensis spatium ad missionem aliquam destinentur; iis duntaxat exceptis, qui graves ob causas, vel invaletudinis vel senectutis, minime idonei ad id muneris judicio Provincialis videbuntur. Quæ res cum magnæ ædificationi libertatique pœnitentium cessura sit, ut de fructu non dicamus, qui ex missionibus ipsis colligetur, serio Superioribus inculcatur, ut exsecutioni mandent, omni difficultate pervicta." — Instr. 10. §. 10. suadetur, ut patres spirituales interdum mittantur extra domum ad alia ministeria, etiam ad parvas missiones habendas, ne quietis et secessus nimii amatores fiant.

ARTICULUS TERTIUS.

QUI MITTI POSSINT ET DEBEANT.

Monentur Superiores, quorum est mittere suos, ut in seligendis per- 890
sonis et dijudicandis aliis conditionibus et circumstantiis semper respiciant majorem Dei gloriam universaliusque proximorum bonum; unde

necesse est, ut ad orandum recurrant, et etiam consulant peritos et idoneos viros.

P. 7. c. 2. §. 1: „[Superior] diligenter in hujusmodi missionibus curet, ut in suis ad hanc potius quam ad illam partem mittendis, et ad hoc opus potius quam ad illud, et ut hanc personam potius quam illam mittat, hoc vel illo modo, ad prolixius vel brevius tempus: id semper, quod ad majus DEI obsequium et bonum universale facit, statuatur. Cum hac ergo rectissima ac sincerissima intentione, in DEI ac Domini nostri conspectu habita; et si ei videbitur, propter deliberationis difficultatem vel momentum, re divinæ Majestati suis et domesticorum orationibus ac sacrificiis commendata; et cum aliquo vel pluribus ex eadem Societate, qui videbuntur inter eos qui adfuerint, communicata; statuet per se ipsum, num mittere debeat necne; et sic de reliquis circumstantiis, ut ad DEI majorem gloriam convenire judicabit." — Inde hæ regulæ:

1. — Quantopere omnia et singula ponderanda et personis rebusque accommodanda sint, habetur in P. 7. c. 2. F: „illud tamen in universum dici potest: primum, quod ad res graviores et in quibus plus refert non errare (quoad situm in eo fuerit cum divina gratia, qui providere debet), mitti viros magis delectos, quibusque magis confidatur, oportet; in rebus, quæ corporis labores magis exigunt, qui robustiores et saniores; ubi pericula spiritualia plura sunt, qui in virtute magis probati et securiores;" — „ut agant cum viris prudentibus, qui spiritualem gubernationem vel temporalem habent, ii convenire magis videntur, qui discretionem et conversandi cum hominibus gratiam habent; cum exteriori specie (modo, quæ interiora sunt, non desint), quæ ad auctoritatem conferat. Posset enim magni momenti esse eorum consilium."

„Ingeniosis et subtilibus ac litteratis ii magis quadrant, qui in ingenio itidem et litteris peculiare donum habent. Hi enim in lectionibus et colloquiis magis juvare poterunt. — Ad populum, ut plurimum, aptiores erunt, qui talento prædicationis et audiendarum confessionum pollent." Informationes sumendæ.

891 2. — Quoad numerum mittendorum, generaliter convenit, plures simul mittere, tum ut invicem se sustentent, tum ut labores inter se dividant; quod et ipsis prodest et proximis, pro quibus operantur.

Decl. F: „quod ad numerum attinet hujusmodi operariorum qui mittendi sunt, et combinationem eorum, consideratio erit etiam adhibenda. Et primo quidem, cum fieri posset, conveniret, unum solum non

mitti, sed saltem duos; tum ut mutuo ipsi in rebus spiritualibus et corporalibus juventur, tum ut possint esse magis utiles iis, ad quos missi sunt, labores inter se dividendo, quos in servitium proximorum suscipiunt."

„Et si duo mittentur, cum uno concionatore vel lectore commode conjungeretur alius, qui messem in confessionibus et spiritualibus exercitiis, quam ille præpararet, colligeret, juvaretque eundem in colloquiis et aliis mediis, quæ ad proximos juvandos adhiberi solent."

„Sic etiam, si quis in modo procedendi Societatis et cum proximis agendi parum exercitatus mitteretur, alteri in his magis exercitato adjungi deberet, quem imitari, cum quo conferre, quemque de rebus dubiis, quæ occurrent, consulere possit."

„Alicui valde ferventi et animoso alius magis circumspectus et cautus bene adjungeretur; et sic de aliis mixtionibus huic similibus; ita ut diversitas vinculo charitatis unita sic utrumque juvet, ut contradictionem vel discordiam inter eos aut alios proximos generare non possit."

„Plures quam duos, cum opus ad quod mittuntur, majoris esset momenti in divino obsequio ac majorem multitudinem exigeret, et alioquin Societas plures operarios sine detrimento rerum aliarum ad majorem DEI gloriam et universale bonum spectantium, posset providere, Superior mittere poterit, prout sancti Spiritus unctio eum docuerit, vel in divinæ Majestatis conspectu melius convenientiusque ipse senserit.

3. — Superioris est instruere missionarios de rebus agendis, etiam scriptis monitis; dare etiam litteras patentes et commendatitias, si convenire putaverit.

P. 7. c. 2. §. 2: „quocunque Superior mittet aliquem, eum plene 892
instruere, et ordinarie in scriptis, debebit, tam de modo procedendi, quam de mediis, quibus eum uti velit ad finem, quem in animo habet." — Dicitur tamen in decl. L: „ordinarie; propterea quod aliquando is, qui mittitur, tam instructus est tantaque dexteritate pollet, ut instructio non sit necessaria." — Decl. N: „hoc consilium et instructio non tantum negotiis, sed etiam personis, prout unusquisque vel animari vel reprimi opus habet, perutile esse poterit; et sic de aliis intelligitur."

P. 7. c. 1. G: „Superior etiam aliquibus documentis adhibitis non solum in suis, sed etiam summi Pontificis missionibus juvare poterit; ut melius, quod ad CHRISTI Domini nostri obsequium quæritur, consequatur."

4. — Qui in litteris patentibus primo loco nominatur, censetur 893

ceterorum Superior esse; qui secundo loco, Admonitor. Omnes vere sub obedientia sunt Superioris Collegii vicinioris, nisi aliter statuatur.

Instr. 12. §. 15: „qui priori loco in patentibus [litteris] nominabitur, Superior erit missionis, alter ejus Admonitor. Demum omnes sibi commendatam esse intelligant exactam regularum pro missionibus observantiam."

C. 11. D. 32: „cum quæreretur, ad quem Superiorem, Rectorem scilicet et Provincialem pertinere censendi sint, qui in aliena provincia iisque urbibus diversantur, in quibus non est Societatis domicilium, respondit et statuit Congregatio, ad propinquiorem utique Rectorem censendos esse pertinere, et Provincialem, cui hujusmodi Rector subest."

Dum eramus in Germania, singulæ missionariorum turmæ, quæ vocabantur, i. e. tres quatuorve Patres, qui plerumque simul mittebantur, addictæ erant certis domibus, ad quas etiam tempore intermedio ab una ad aliam missionem habendam se recipiebant. Hi Patres missionarii, uti patet, erant sub obedientia Superioris domus cui adscripti erant, ab eoque et missionem et instructionem necessariam accipiebant. Et cum plerumque mitterentur ad loca, ubi Nostrorum domus non erat, pro tempore etiam missionis dandæ manebant sub obedientia et directione Superioris suæ domus, ad quem, si necessarium vel utile videbatur, per litteras missas recurrebant, cuique, peracto labore, de omnibus referre et rationem dare tenebantur. Quodsi hi ipsi missionarii prædicabant in locis, ubi erat Collegium vel domus Societatis, sub obedientia erant Superioris hujus Collegii vel domus, a cujus directione immediate pendebant, uti supra dictum est. Et ne ordo turbaretur in laboribus suscipiendis, in singulis diœcesibus missiones, quæ petebantur, habebantur a missionariis ejus domus, quæ erat in ea diœcesi. Sic ordinarie fiebat, ita ut auctoritas Pronvincialis non interveniret. Hic vero reservavit sibi missiones ordinandas pro majoribus urbibus, in quibus plerumque necesse erat conjungere Patres pro tali labore præprimis idoneos, quos seligebat ipse. Quod idem faciebat in perficiendis laboribus majoris momenti, puta exercitiis clero dandis et hujusmodi aliis. In hoc etiam id utilitatis erat, quod in mittendis idoneis Patribus major varietas esse poterat, fructusque uberior ex hac varietate oriundus.

ARTICULUS QUARTUS.

QUO ET AD QUOS LABORES MITTENDI SINT.

894 In P. 7. c. 2. D. statuitur principium generale, ex quo agendum est in hac parte: „ut in mittendo ad hunc vel illum [locum] rectius

procedatur, præ oculis habendo majus divinum obsequium et universale bonum ut regulam, ad quam exigi missiones oportet etc." — Sequuntur speciales regulæ tenendæ, quæ probant, quanto animarum zelo quamque puro Sanctus Pater noster flagraverit in honorem divinæ Majestatis. Utinam hæ regulæ iterum iterumque animo volvantur eorum, quorum est, has res secundum voluntatem DEI disponere.

1. — Rectus charitatis ordo postulat, ut auxilium feramus imprimis iis, qui in majore necessitate spirituali versantur, vel ex defectu sacerdotum idoneorum, vel ex mala animæ dispositione, — P. 7. c. 2. D: „eligenda videtur in tam ampla CHRISTI Domini Nostri vinea (paribus ceteris, quod in omnibus, quæ sequuntur, debet intelligi,) ejus pars illa, quæ magis indiget, tam ob penuriam aliorum operariorum, quam ob miserum statum et infirmitatem proximorum in eo, et damnationis extremæ periculum." — — Quod ipse Salvator noster edicit: „veni quærere et salvum facere, *quod perierat*."

2. — Eo mittuntur Nostri, ubi major fructus speratur ex modo nostro exercendi ministerium: „considerandum est etiam, unde verisimile sit fructum uberiorem ex mediis proximum juvandi, quibus utitur Societas, proventurum; inde scilicet, ubi ostium apertius, et major dispositio et facilitas in hominibus, ut juvari possent, videretur. Quod quidem positum est in eorum majori devotione ac desiderio, quod ex instantia, qua Nostros petunt, ex parte intelligi potest; vel in conditione et qualitate personarum, quæ magis sint idoneæ, ut juvari et fructum, quem ceperint, ad DEI gloriam conservare possint." (Ib.) — Quodsi habenda est missio pro populo, qui jam est sub cura parochi aliorumve sacerdotum, hi mature et serio monendi sunt, ut animos fidelium jam antea præparent ad suscipiendum bonum semen: instruendo eos, quid sit missio et quomodo accipienda; congregando etiam eos ad communes preces fundendas pro præparandis animis, et ejusmodi. Non raro missio suo fructu caret ex neglecta hac cura prævia. 895

3. — Nec gratitudo pro beneficiis acceptis negligenda est, in seligendis locis: „ubi magis debemus, ut in locis illis, in quibus domus vel Collegia Societatis sunt, vel aliqui ex ea, qui student et beneficentia populi juvantur (si paria essent cetera, quæ ad spiritualem profectum attinent), magis conveniret, aliquos nostros operarios versari et hujusmodi loca talem ob causam juxta ordinem perfectæ charitatis aliis præferri." 896

897 4. — Ubi spes est bonum universalius consequendi: „quia bonum, quo universalius, eo divinius est, illi homines et loca, quæ, cum profecerint, in causa erunt, ut bonum ad multos alios, qui eorum auctoritatem sequuntur vel per eos reguntur, perveniat, debent præferri. Sic spirituale auxillium, quod hominibus magnis at publicis (sive sæculares, ut Principes, Domini, Magistratus, vel justitiæ ministri, sive ecclesiastici illi sint, ut Prælati); quodque viris doctrina et auctoritate eminentioribus confertur, majoris momenti esse propter rationem eamdem boni universalioris existimandum est. Propter quam etiam auxilium impensum magnis gentibus, ut Indis vel populis primariis, vel Universitatibus, quo solent multi confluere, qui si juventur, ipsi operarii esse ad alios juvandos poterunt, debeat præferri." — Vides ex dictis, universalius bonum non esse unice æstimandum ex majori numero hominum, quos simul auditores coram habemus, sed multo magis ex qualitate eorum, an v. g. sint, quorum bono influxu plurimi alii postea juventur. Et sic fieri potest, ut labor uni soli personæ impensus indirecte fructus uberrimos in plurimis aliis postea per nos producat, v. g. si iste unus sit dominus fabricæ alicujus, in qua centeni et centeni operarii operam navant; vel in officio publico constitutus, cui plurimi alii subordinati sunt.

898 *Nota.* — Ratio boni universalioris efficiendi potissimum obtinet in personis, quarum officium est in educanda juventute vel in curandis infirmis. Cordi igitur nobis sint exercitia sacerdotum, magistrorum, Fratrum et Sororum ægrotis inservientium, et ejusmodi. Immensum est bonum, quod ab istis hominibus derivatur in centenos et millenos, si ipsi rite fide et moribus christianis imbuti sunt; quare eorum exercitia præ ceteris omnibus præeligenda sunt.

899 5. — „Ubi itidem intelligeretur inimicus CHRISTI Domini nostri seminasse zizania, ac præcipue effecisse, ut male sentiant vel male affecti sint in Societatem, quo impediatur fructus, qui ex ea posset provenire, tunc impensius esset incumbendum, præsertim si alicujus momenti, et cujus habenda sit ratio, is locus est; eoque mittendi essent homines, si fieri posset, qui vitæ exemplo et doctrina conceptam ex falsis narrationibus malam opinionem removerent." — Aggrediamur igitur oportet præprimis eas parochias vel loca, ubi vitia habituata grassantur, puta in materia luxuriæ, ebrietatis, inimicitæ. Nam si non adhibetur securis ad has similesque radices ejiciendas, ager non solum infertilis manebit, sed mala crescent in immensum, cum damnatione innumerabilium animarum, non raro per generationes et generationes. Huc etiam refertur, si sint discordiæ et inimicitæ inter viros primarios, quorum auctoritas in alios multum valet. Non raro inde fit divisio animorum et scinduntur in factiones; quæ partitio non solum generat

innumera peccata, sed impedit etiam, ut res boni communis rationabiliter et juste ordinentur. Quantum igitur meriti in eo est, quod v.g. opera ponatur in componendis dissidiis inter viros primarios, inter parochum et præpositum civilem. Nam si hi concordes sunt in curandis sibi subditis, non potest non esse, ut bonum publicum reapse procuretur, gaudiumque et pax inter omnes familias personasque singulas vigeant. Nemo non videt, laborem a nobis positum in ejusmodi scandalis removendis quam maxime acceptum esse coram DEO.

6. — Bonum spirituale, quod natura sua et institutione spem facit 900
efficiendi permanentes fructus, ceteris præferendum esse, recta ratio suadet. — Decl. C: „cum etiam quædam pia opera diuturniora, semper profutura sint, ut fundationes aliquæ piæ, quæ ad proximorum auxilium instituuntur, alia minus diuturna, quæ raro, ad tempus exiguum juvant, constat priora secundis esse præferenda." — Omnium adhuc in memoria est, uberrimos fructus collectos esse ex sodalitatibus et congregationibus varii generis hominum, non solum studentium, sed opificum etiam, mercatorum et matronarum, modo qui præerant, eam haberent in regendis hominibus prudentiam eamque fortitudinem et dexteritatem, quæ ex unctione Spiritus sancti animos regit voluntatesque paratas facit ad sequendam viam christianam juxta rationem status, cui addicti sunt, circumstantiarumque, quibus varii vario modo sunt subjecti. Nec sufficit, ejusmodi cœtus instituere, sed Nostrorum est, institutos servare, augere, vegetos facere, etsi statis temporibus eo recurrendum sit, examinando, monendo, corrigendo; nam frustra speratur vivum vegetumque manere, quod non cum sollicitudine sustinetur et fovetur.

7. — Simus parati ad omnia, spiritualia non solum, sed etiam cor- 901
poralia, juxta rectum ordinem tamen. — Decl. E: „cum possint, qui de Societate sunt, operam suam collocare, ubi bona spiritualia quæruntur, et etiam ubi corporalia, in quibus etiam misericordia et charitas exercetur... si utraque simul præstari non possunt, priora ceteris paribus, secundis semper essent præferenda."

Certe ista præferenda sunt; sed vix datur facultas subveniendi proximo in necessitate ejus corporali, quin simul adsit occasio afferendi ejus animæ spirituale solamen et confortationem, promptitudinem etiam ad applicanda sibi media ista sacramentalia, quibus Ecclesia DEI instructa est ad roborandos suos in perferendis hujus vitæ miseriis et ad præparandos pro felici ex hac mortalitate excessu. Quæ et quanta exempla ædificationis christianæ narrantur a Nostris, qui v. g. tempore

belli vel grassantis epidemiæ, in hospitalibus plerumque, sed etiam in domibus privatis, ægros sublevabant. Quod idem fit a Fratribus et Sororibus, qui ægrotis ministrant, ita ut in veritate dici possit, plurimis ideo a divina Providentia istas corporales calamitates immissas esse, ut ab iis, qui ipsis ministrabant, in viam rectam reducerentur salutemque consequerentur.

ARTICULUS QUINTUS.

QUID FACERE DEBEANT PRO SE IPSIS MISSIONARII.

902 „Quidquid sit de aliis, ne negligas te ipsum", ait Thomas Kempensis. Hoc etiam iis dictum esse, qui laborant in auxilium animarum, nemo negabit; eo magis etiam hæc cura pro sui ipsius salute adhibenda est, cum ex profectu proprio quam maxime pendeat profectus eorum, qui curæ ipsorum commissi sunt. Ne miremur igitur, quod Constitutiones nostræ hanc propriæ sanctificationis perficiendæ materiam operariis tam prolixe et ardenter proponunt, cum in variis aliis locis, tum in nostra Parte septima et in „regulis eorum, qui in missionibus versantur." Utique „nemo dat, quod non habet"; nemo dat sanctitatem aliis, si ipse non habeat sanctitatem; ita ordinarie. Proponamus nonnulla:

1 — Indifferentia plena et perfecta ornatos esse decet eos qui mittuntur ad laborandum in agro Domini; et quidem quoad omnia; regiones, labores, personas; ne affectus naturalis irrepat corrumpatque opus suscipiendum vel totum vel ex parte, cum damno et proprio et proximorum, dum faciunt non DEI voluntatem, sed suam propriam.

P. 7. c. 2. §. 1: „erit autem ejus qui mittitur, officium nulla ratione se ingerendo ad eundum vel manendum in hoc loco potius quam in illo, plenam ac omnino liberam sui dispositionem Superiori, qui eum CHRISTI loco dirigit, ad ipsius majus obsequium et laudem relinquere. Sic etiam, ut alii maneant alicubi vel alio se conferant, nemo quoquo modo sine consensu Superioris sui, per quem ille in Domino gubernandus est, curare debet."

Decl. A: „particularibus etiam securius est, si cum suorum Superiorum obedientia, quam si pro arbitratu suo (etiam si id possent) et non ab iis missi proficiscerentur, a quibus CHRISTI Domini nostri loco, ut ab interpretibus divinæ voluntatis, sunt regendi." — c. 3. §. 1. — c. 1. §. 2: „et in hac parte cum omnem proprium sensum ac voluntatem CHRISTO Domino nostro et ejus Vicario Societas subjecerit, nec Superior pro se ipso, nec quisquam alius ex inferioribus,

pro se vel pro alio curare, nec tentare mediate vel immediate cum summo Pontifice vel ejus ministris poterit, ut residere vel mitti potius in hanc partem, quam in illam debeat; sed inferiores hanc curam universam summo CHRISTO Vicario ac Superiori suo, Superior vero, quod ad suam personam attinet, summo Pontifici et ipsi Societati in Domino relinquat."

Reg. Mission. 3: „unusquisque plenam in his ac liberam sui dispositionem Superiori, qui eum CHRISTI loco dirigit, relinquat; poterit tamen motus animi aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, illi proponere, subjiciendo suum sentire et velle ei, quod ipse in Domino judicaverit." — Idem Ex. c. 8. A. — P. 5. c. 4. F: „omnino paratum esse oportebit, ut id melius esse existimet, quod Superiori suo melius videbitur.

2. — Cura missionariorum sedulo eo dirigenda est, ut per spiritum 903
fidei orationisque debitam exercitationem intimam cum DEO conjunctionem servent, sintque sic apta in manu DEI instrumenta, quibus utatur pro sua voluntate et in suam gloriam.

Reg. Mission. 1: „ita se comparare studeant, ut apta DEI instrumenta ad rem tantam esse possint." — Reg. 25: „cum propter nullas occupationes intermittendum sit propriæ perfectionis studium, diligenter animadvertant, ne prætextu procurandæ aliorum salutis propriæ perfectionis obliviscantur, ipsamque propriam salutem ea ratione in discrimen adducant. Sed sæpe illud Domini mente revolvant: Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? sibique illud divi Pauli unusquisque dictum existimet: Attende tibi et doctrinæ, insta in illis; hoc enim faciens et teipsum salvum facies et eos, qui te audiunt."

Reg. Mission. 26: „hanc ob rem caveant, ne consueta in Collegiis ac domibus orandi et examinandæ conscientiæ exercitia imminuant, nisi si quando necessitas aut in eventu aliquo charitas aliud faciendum postularet. Conversationem cum sæcularibus nimiam non habeant, aut incautam, aut quæ sæcularem sapiat; sed in omnibus se integritatis et gravitatis exemplum præbeant. Atque in summa regularum Societatis, sive earum, quæ omnibus communes sunt, sive quæ ipsorum officii propriæ, quantum locus patitur, observationem non prætermittant."

Nota. — Tempore missionis dandæ hic fere ordo vivendi servabatur a Nostris, ut diebus, quibus nondum confessiones audiebantur, omnes exercitationes spirituales fierent eodem prorsus modo, quo domi fiebant. Postea cum sedendum erat in confessionalibus, aliqua mutatio permittebatur. Tum initium laboris diurni

fiebat, uti par est, ab oblatione ss. Sacrificii, præmisso quadrante præparationis et subsequente itidem quadrante actionis gratiarum; ita ut prima diei hora integra impenderetur ad perficiendam illam unionem cum summo animarum Pastore, cujus solius est, vocare oves nominatim easque in pascua deducere. Loco meditationis matutinæ concedebatur una hora præparationis ad concionem habendam immediate antea, quæ affectu orandi facta suppleret saltem aliquatenus meditationem. Examen semel fiebat vespere ante decubitum, præmissis litaniis Lauretanis communiter recitatis. Ad officium recitandum plerumque utebantur eo tempore, quo liberi erant tum a concionando tum ab audiendis confessionibus, i. e. dum unus concionabatur, ceteri hoc tempus adhibebant ad officium absolvendum; quod omissum fuisse propter nimium laborem nunquam audivi. Sæpissime vero videbatur missionarius relinquere prandium vel cœnam ad habendum tempus necessarium pro divino officio absolvendo.

905 3. — Cum Superioribus etiam, a quibus missi sunt, nexus servetur, litteris datis et acceptis, ne meritum obedientiæ absit, et ut omnia dirigantur eo modo, qui est proprius Societatis. Hæc est ratio, qua inter inferiores et Superiores ex regula frequens fit commercium litterarum. — P. 8. c. 1. L: „præpositi locales vel Rectores, qui sunt in aliqua provincia, quique missi sunt ad fructum in agro Domini curandum, Præposito suo Provinciali singulis hebdomadis, si fieri potest, scribere debent." — Et datur ratio hujus rei in eadem P. 8. c. 1. §. 8: „multum etiam conferet consensio tum in interioribus..., tum etiam in exterioribus." — Et in P. 7. c 2. H: „conveniet crebris litteris certiorem reddi Superiorem percepti fructus ab his, qui missi sunt." — De missionariis propterea habet expresse C. 2. D. 54: „missi autem ad fructificandum in agro Domini scribant ad eum, quem designaverit ille, a quo missi sunt, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit præscriptum. Et illis quidem rescribant sui Superiores semel in mense, juxta Constitutiones; his vero respondebitur, quoties judicaverit is, qui illos misit."

Hoc frequenti litterarum commercio inter eos, qui mittuntur et Superiores id efficitur, ut unitas et uniformitas in agendo servetur, quum singuli non sua sequantur sensa, sed ejus, a quo ceteri quoque pendent, qui eodem modo ab uno eodemque dirigantur. Et in hac uniformitate actionis est vis et energia Societatis tot et tam diversa membra habentis. Excluditur etiam ex animo agentis timor errandi, dum certus est, se facere voluntatem DEI in sequenda voluntate Superioris et habere divinam benedictionem suo labori annexam.

906 4. — Meminerint continuo, se paupertatem in religione vovisse, ejusque præscripta accurate observent; ea etiam de causa quod extra domum degentes facilius in occasionem lædendi eam incidunt. Consti-

tutiones ipsæ in pluribus rebus modum servandæ paupertatis præscribunt. — P. 7. c. 2. G: „num pauperum more mittantur, Superior constituet; nimirum cum rationes adesse possint contrarium in particulari quodam casu suadentes." — Imprimis C. 3 D. 37: „ad religiosam disciplinam et paupertatis rationem pertinet, ut peregrinationibus et profectionibus Nostri, quos ipsorum Superiores id præstare posse judicaverint, pedestri itinere, in toto vel in parte utantur; et ob eam causam R. P. Generalis eam hac in re moderationem per se et suos Provinciales adhibebit, quæ Societatis nostræ Instituto consentanea sit; curabitque, ut in equitando solius necessitatis, sive personæ sive negotiorum (quam Superiores mittentes dijudicabunt) ratio habeatur." — Qui modus itinerandi secundum strictam litteram nostro utique tempore adhiberi vix potest; eruitur autem ex his verbis, ne superflua expendantur neve in omnibus similes nos sæcularibus esse putemus.

C. 6. D. 39. §. 3: „commendetur serio Provincialibus per R. P. N. Generalem, ut videant, ne pecunia accipiatur a Nostris in missionibus, aut si quando accipienda sit, dispensetur, ut non lædatur paupertas aut detur externis offensio; teneanturque Nostri, qui in missionibus fuerint, acceptæ pecuniæ rationem Superioribus dare; et eam, si quid supersit, eisdem Superioribus domus vel Collegii statim reddere." — Ord. c. 1. §. 18. n° 3: „qui in missionibus versantur, pecuniam, quoad fieri potest, non accipiant; si accipere cogentur, sic impendant ut memores sint paupertatis et ædificationis; ejusque rationem Superiori postea reddant." — Quæ in aliis Constitutionum locis in hac re de confessariis et concionatoribus habentur de non accipienda quacunque compensatione operis præstiti, pari et fortiori modo missionariis applicanda sunt. — C. 6. D. 21. — C. 12. D. 39. — Ord. c. 4 §. 9. et passim.

Nota — Muneris apostolici est, contemptum mundi homines docere, ut spretis rebus terrenis facilius cœlestia sapiant. Quod revera efficacius fit exemplo, quam verbis suasoriis. Hoc experientia semper probat: homines si vident prædicatorem et confessarium, dum hortatur ad sobrietatem, parcimoniam, continentiam, mortificationem, abnegationem colendam, ipsum esse delicatum minimeque mortificatum in edendo et bibendo, in vestitu, habitaculo, lecto, sua sponte sibi persuadent, non esse tanti momenti ista principia, quæ facto negantur ab eo, qui verbis ea fidelibus imprimere conatur. Non potest quid magis nocivum esse ministerio nostro, quam si vita contradicat verbo in iis, quorum est, mediis quibus possunt quam maxime efficacibus, suadere populo fideli fugam peccati virtutisque exercitium.

5. — Nostri humilitate sint ornati reverentiamque exhibeant iis 907

imprimis, qui auctoritate valeant, operibusque nostris aut prodesse aut obesse possint. — Reg, Mission, 7: „cum ingressi fuerint loca ea, in quibus Ordinarii resident, eos quam primum adeant suamque operam illis submisse offerant et facultatem ad exercenda Societatis ministeria modeste ac religiose petant; eosque omnes tam ecclesiasticos, præcipue parochos, quam sæculares, quorum auctoritate aut favore opus habent, benevolos sibi facere studeant." — Instr. 12. §. 3: „cum primum ad oppidum seu vicum pervenerint, ante omnia primariam ecclesiam adeant, et post brevem orationem, prout temporis ratio et eorum commoditas feret, agant cum parocho vel alio cleri Præposito, omnemque illi benevolentiæ significationem exhibendo caveant, ne vel minimo indicio dent suspicionem, quasi ad eum visitandum veniant; sed ostensis patentibus etc. declarent, sibi hoc unum esse propositum, ut doctrinam christianam tradant, confessiones audiant, pacificationes procurent etc.; ac nominatim, ut clero in omnibus probari et satisfacere studeant." — §. 12: „ubi religiosos cujuslibet ordinis nanciscuntur, omnem in illos benevolentiæ significationem declarare studeant, eosque in Domino, quoad fieri potest, lucrifacere. Quodsi res ferat, juvabit, exercitia spiritualia cuipiam illorum atque etiam clericorum tradere." — Ex eadem ratione promovendi bonum etiam malevolos convertere studeant. — Reg. Mission. 17: „si quos erga se aut Societatem male affectos esse intellexerint, præsertim non vulgaris auctoritatis homines, aut qui nostra ministeria impediant, non solum pro eis orabunt, sed etiam convenientem aliquam rationem inibunt, ut eos amicos, aut saltem non adversarios faciant," — Est quidem labor naturæ nostræ valde repugnans, adire hujusmodi malevolos et nobis faventes reddere, sed eo magis nobis meritorius, et ministerio nostro proficuus.

908 6. — Missionarii vitent nimium et inutile commercium cum sæcularibus, ne tempus perdant et abstrahantur a propria sua occupatione operandi unice in salutem proximorum. — Ord. c. 1. §. 18: „qui in missionibus versantur, fœminas ne visitent, nec eas ad se domum venire sinant quacunque de causa, sed in templo, si necesse fuerit, audiantur. — Externos ad mensam nunquam invitent, nec se ab aliis invitari patiantur, quantum in ipsis erit." — C. 6. D. 39: „ex iis, quæ Deputati circa missiones attulerunt, in iis, quæ sequuntur, eorum judicium Congregatio comprobavit: — 1) ut fœminarum visitatio multo magis in missionibus, quam in domibus et Collegiis interdicatur; neque patiantur Nostri, fœminas domum ad se venire cujuscunque rei causa sed audiantur in ecclesia. — 2) Nostri qui sunt in missionibus, non invitent

externos ad suam mensam, nec patiantur se invitari ab aliis, quantum in illis erit."

Hæc ultima verba jam innuunt posse evenire, ut sit vel inurbanitas, vel etiam impedimentum majoris boni consequendi, si invitati declinemus adire externos; v. g. si invitemur una cum parocho, in cujus domo versamur, ad familiam magnæ auctoritatis in eo loco; vel ecclesiastico in dignitate constituto; ex ejusmodi invitationibus acceptis non oritur scandalum aliorum. Attamen est etiam ratio sat gravis, cur sint Nostri quam maxime cauti in visitandis externis. Vix enim dici potest, quam suspiciosi sint homines; facile enim sibi persuadent, se despici et negligi a nobis, dum vident nos adire has vel illas domus vicinas, se ipsos vero non adiri; et putant, in nobis esse personarum acceptionem. Quod si accidit, inanis erit quoad ipsos omnis labor a nobis positus in eorum animabus curandis; quum nihil magis obstruat corda a recipiendo bono semine, quam cum supponunt, agere nos in sacro ministerio exercendo ex humano respectu et non sincere ex honore Dei solo promovendo.

Nota. — Quæ dicta sunt de inutili commercio cum hominibus externis, applicentur etiam ad tempus intermedium, quando Patres peracto labore per aliquantum temporis ab exercendo ministerio vacant. Non tam facile permittatur a Superioribus, ut tunc degant apud externos, ne apud sacerdotes quidem, vel amicos nostros quos vocant. Neve ipsi tam facile prætendant rationem, quod propter brevitatem temporis quo vacant, non expediat expensas itineris facere. Redeant potius domum, si fieri potest, ut sub paterna cura Superiorum et inter fratres suos corporis et animi vires restaurent. — Decet enim viros religiosos etiam apostolicos, exemplo suo monstrare, domum religiosam propriam propriamque familiam religiosam se toto affectu amplecti, ibique se invenire modo quam maxime liberali et efficaci, quæ ad recreationem spiritus et corporis desiderentur. — Fieri hincinde potest, ut hominibus externis ingerant aliqualem suspicionem, quasi pro fine recreationis libentius extra domum et extra disciplinam religiosam versentur, quam ut simul etiam beneficio vitæ regularis utantur. — cf. nº 250.

7. — Gravissimi momenti est decl. H. c. 2. P. 7., quoad tempus 908
dandum singulis missionibus; quod „metietur hinc quidem qualitas negotiorum spiritualium, quæ tractantur, et momentum ipsorum majus aut minus, habita necessitatis et fructus, qui percipitur vel speratur, ratione; inde vero consideratio eorum, quæ aliis in locis se offerunt et obligatio eis vacandi etc." — Sed quum hoc definire sit penes Superiorem, conveniet crebris litteris eum fieri certiorem non solum de fructu percepto, sed de omnibus, quæ consideranda sunt in hac re.

CAPUT SECUNDUM.

De Ministerio, quod exercetur in domibus.

910 „Quia non solum enititur Societas, discurrendo per varia loca, sed etiam in quibusdam continenter residendo, ut in domibus et Collegiis, proximos juvare," agendum nunc est de hoc altero genere sacri ministerii exercendi magis stabili et continuo, de quo est caput quartum Partis septimæ. Et adhibentur quidem media tum interna, tum externa, media tum directa, tum indirecta. — De mediis internis et indirectis habetur in hoc capite 4. §§. 2—4: bonum exemplum, oratio, sacræ Missæ.

„Et primum quidem conferet bonum exemplum totius honestatis ac virtutis christianæ; ut non minus bonis operibus, imo magis quam verbis, eis ædificationi esse, quibuscum agitur, curent."

„Juvatur etiam proximus sanctis desideriis et orationibus in Dei conspectu pro universa Ecclesia, ac pro iis præsertim, qui majoris sunt momenti ad ejus universale bonum, effusis; ac pro amicis etiam et bene de nobis meritis viventibus et vita functis, sive postulent illi, sive non postulent; ac pro illis, in quorum auxilium peculiariter ipsi et reliqui de Societate in variis locis inter fidelis et infideles incumbunt: ut Deus omnes ad gratiam suam excipiendam per debilia hujus minimæ Societatis instrumenta disponere dignetur."

„Missarum etiam sacrificiis juvare possunt et aliis divinis officiis.... et quod attinet ad missas præter eas, quæ pro fundatoribus dicuntur, una vel duæ aut plures (pro numero sacerdotum et prout convenerit), singulis hebdomadis pro benefactoribus vivis aut defunctis offerentur, Deum ac Dominum nostrum rogando, ut pro illis hoc s. sacrificium admittere, et pro infinita ac summa liberalitate sua eam beneficentiam remunerari, qua illi erga Societatem nostram ex divino amore ac reverentia usi sunt, æternis præmiis dignetur"

Media externa et operationes variæ indicantur §§. 5. — 12.; et sunt administratio sacramentorum, prædicatio, et reliquæ, prout nunc singillatim exponentur.

ARTICULUS PRIMUS

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM IN GENERE.

911 Jam in Bullis Pauli III., quas Pius VII. in restauranda Societate renovavit, datur Societati facultas quam maxime ampla ad sacramenta

fidelibus administranda. — „Licet debitum" 18 Oct. 1549: „præterea cum intellexerimus, populos civitatum, terrarum et locorum, apud quæ habitationem iidem Socii [Societatis] habent, vel ubi eosdem versari aut transire contingit, exemplo allectos et inductos religiosæ vitæ, quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eisdem et sacratissimam Communionem de manibus eorum accipiendam confluere, ut illis sic confluentibus satisfacere valeant, universis utriusque sexus CHRISTIfidelibus, ut cuilibet de Societate prædicta confiteri possint, Rectoris sui licentia minime requisita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confessi et absoluti fuerint, rursus confiteri, necnon omnibus et singulis CHRISTIfidelibus, tam forensibus quam in civitatibus et locis, in quibus Socii prædicti consistunt, commorantibus, ut illac transeuntibus, Eucharistiæ sacramentum (quod in suis ecclesiis decenter tenere Socios prædictos volumus), quocunque anni tempore, præterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ et mortis articulo, nisi necessitas urgeret, eorundem fidelium, parochialium ecclesiarum Rectorum licentia minime requisita, accipere libere et licite valeant etc. etc." — Idem valet de munere prædicandi verbum DEI; et notissimum est, non solum Paulum III., sed plurimos ejus in Sede Apostolica successores easdem facultates Societati summa cum benevolentiæ significatione concessisse.

Nota. 1. — Ut quæ dicta sunt, recte intelligantur, attendendum est, Pium VII. non renovasse privilegia Pauli III. per Tridentinum et sequentes Pontifices sublata. Insuper Pius IX. revocavit omnes perpetuas facultates circa casus papales. Hac in re nobis nihil restat, nisi quod habemus per facultates vicennales. 912

Nota. 2. — Administrare sacramentum Baptismatis est jus parochi solius, etiam si quis adultus baptizandus est, v. g, si ad Ecclesiam reducitur: ex Decr. Congr. 17 Sept. 1687 et 31 Febr, 1686: »spectat in hoc casu ad parochum domicilii, servata formula Ritualis Romani.« Sacerdos non parochus, si baptizat infantem, peccat graviter; Lig. l. 6. n° 115., sed sufficit licentia præsumpta, ut licite fiat. — Quid dicendum sit de administrando Viatico et Extrema Unctione, suo loco proponetur. Sed attendendum est ad Const. Pii IX. »Apost. Sedis« 12 Oct. 1869, Series 2. §. 14: »religiosos præsumentes, clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremæ unctionis aut Eucharistiam per Viaticum ministrare absque parochi licentia« — incidere in excommunicationem Papæ simpliciter reservatam. — Antea excommunicatio latius patebat, etiam circa alia sacramenta; nunc igitur sola extrema unctio et Viaticum intelligitur. — Lehmkuhl, t. 2. n° 962. — Accedimus igitur ad explicanda ea, quæ ad administrationem sacramentorum in specie ceterasque functiones pertinent. 913

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EUCHARISTIA.

914 1. — Potest Societas in suis ecclesiis sacrosanctam Eucharistiam servare. — Paulus III. „Licet debitum." — Bened. XIV. „Quemadmodum presbyteri" 15 Julii 1749. — Eadem in capellis et oratoriis domesticis uniuscujusque nostræ domus, Collegii, tirocinii seminariique, in quibus permissum est alias sacrificium Missæ, retineri potest. Ex eadem Bulla Bened. XIV., ubi additur: „volumus autem et districte mandamus, ut lampas semper accensa coram sanctissimo Sacramento inibi habeatur et ciborii clavis per sacristam custodiatur."

Hac facultate asservandi sacram Eucharistiam in oratoriis nostris domesticis uti possumus in quocunque loco, ubi „communiter" convivimus. Unde recte infertur: — *a)* ex responso Pœnitentiariæ 12 Sept. 1872 religiosi civiliter suppressi exempti sunt, quando eorum tres, quorum unus est sacerdos, communiter convivunt. Possunt proin tunc etiam asservare sacrum Sacramentum, v. g. ad administrandum Viaticum, si casus occurrat. — *b)* Leo XIII in Bulla „Romanos Pontifices" 8 Maii 1881, declaravit, hanc exemptionem pro Anglia, ad omnes religiosos spectare: „regulares, qui in Residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac regulares inter claustra commorantes." — Nihil igitur videtur obstare, quin asservent sanctissimum Sacramentum, si sufficiens numerus personarum in tali Residentia commoratur. — *c)* ex Bulla Benedicti XIV. „Firmandis," etiam pro omnibus regionibus, quæ subsunt Congregationi de Propaganda fide religiosi exempti esse declarantur, etiam si minor sit numerus conviventium, quam tres. Itaque pro his eadem facultas servandi Sanctissimum obtinebit, de qua sub priori littera.

915 2. — Licet nobis sanctam Eucharistiam dare fidelibus in quacunque Missa, quam celebramus, etiam in altari portatili. — Paulus III. „Licet debitum" 18 Oct. 1549: „Liceat Præpositis et de eorum etiam facultate, universis Fratribus et Sociis Societatis hujusmodi in presbyteratus ordine constitutis, in locis, in quibus degunt et eos pro tempore morari contigerit, habere oratoria, et in eis, ac quocunque alio honesto et congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reverentia et honore, etiam tempore interdicti quavis etiam Apostolica auctoritate appositi, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce Missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta

recipere et aliis ministrare." — Exceptus est dies Paschatis et articulus mortis. Dicit tamen S. Ligorius: „Homo Apost." tr. 12. n° 41., vetitum esse communionem dare die Paschatis tunc solum, quando ab Ordinario ita formaliter constituitur. Attamen præsumptio est contra licentiam; constare igitur debet de consuetudine contraria, ut liceat.

Nota 1. — Familiaribus, qui vocantur, possumus ministrare Eucharistiam in nostris ecclesiis et oratoriis, etiam tempore paschali; et si infirmentur in nostris domibus, Viatico et Extrema Unctione eos munire. Leo X. »His, quæ pro fidelibus.« Pro usu tamen harum facultatum observandum est Trident. sess. 24. de reform. c. 11., ubi triplex conditio statuitur: primo, ut actu addicti sint nostris obsequiis et famulatui; secundo, ut ratione illius subsint aliquo modo obedientiæ Superioris Societatis; tertio, ut intra septa nostrorum Collegiorum, domorum et residentiarum continuo habitent. 916

Pius V. extendit hanc facultatem ad hospites, in Bulla »Ad inmarcescibilem«: »hospitibus quibuscunque, sæcularibus et extraneis, quos in locis seu habitationibus reperiri contigerit.« Concessum est Theatinis, nobis igitur per participationem. Attamen habet noster Catal. privil. novus »Eucharistia,« 202: quoad usum hujus privilegii, quum in factis particularibus sint in contrarium plures decisiones S. Congregationis et contraria fere ubique consuetudo, eo Nostri, præterquam in subito casu, cum necessitas premit, et tempus non suppetit adeundæ parochiæ, in praxi non utantur.

Nota 2. — Oritur quæstio, num convictores nostrorum Collegiorum et Seminariorum habendi sint ut familiares quoad administrationem seu receptionem sacramentorum. Agebatur de hac quæstione in utramque partem, et etiam nunc in ea non est omnium consensus. 917

a. — Negant Suarez et Lugo (Resp. mor. l. 4. d. 33), stricte interpretantes verba Tridentini: non posse dici familiares, qui quamvis nobiscum vivant, propriis tamen sumptibus vivunt. Huic sententiæ plura Generalium Responsa concordant, seminaristas non venire nomine familiarium Societatis, nec horum gaudere privilegiis. 1633—1642.

b. — Affirmant alii auctores optimi nominis. — Pichler: »per istos »in Sociorum obsequio morantes,« non solum intelliguntur familiares et domestici, qui intra Collegiorum, monasteriorum ac domorum septa habitant et famulantur, ut satis aperte colligitur ex Conc. Trid., sed etiam et vel maxime alumni, qui in tali Collegio vel domo exsistunt sub obedientia etiam non religiosa, sed solum ordinata ad proficiendum in scientia et bonis moribus, ad conservandam vel propagandam fidem orthodoxam plurimum conducentibus: quia nimirum tales alumni revera veniunt nomine familiarium, et quidem propria significatione.« — Pellizarius: »an regulares vi dictorum privilegiorum possint Eucharistiam per modum Viatici convictoribus Collegii vel seminarii, quibus ipsi præsunt, ministrare? Respondetur: posse; et probatur tum ex praxi religiosorum, qui solent præesse Collegiis et seminariis.« — tr. 8. c. 3. n° 302. — Schmalzgrueber: »eadem doctrina confirmatur ex praxi et consuetudine.«

c. — Jure igitur tenetur sententia affirmativa, non solum ex rationibus jam allatis, sed etiam ex aliis gravissimis, quæ accedunt. Nam:

α. — Certum est, hoc privilegium dandi sacramenta etiam convictoribus, pluries esse concessum: Somascis, Benedictinis, Theatinis, aliisque. — Suarez tr. 10 l. 9. c. 4. nº 16. de Benedictinis: »possunt Nostri iis, qui intra septa Collegiorum vel domorum infirmati fuerint Extremam Unctionem Apostolica auctoritate libere et licite, parochialis presbyteri vel alterius cujuscunque Episcopi vel Superioris licentia vel assensu nullatenus requisito, ministrare.« — Imo et nonnullis communitatibus sæcularium sacerdotum eadem facultas concessa fuit; v. g. Sulpitianis in Gallia. Itaque saltem per participationem hoc privilegium etiam Societati competit.

β. — Nec absonum est dicere, Concilii Tridentini quoque fuisse intentionem, convictores sub voce »familiarium« comprehendere, quamvis eos non expressis verbis nominet, quum eo tempore convictuum et convictorum vix ulla species exsisteret. Nam si ex mente Concilii ii jam sunt familiares, qui intra septa degentes religioso Superiori subsunt ex vinculo servitii externi tantum, valde infirmo et ab ipsis servientibus quovis tempore solubili, quanto magis familiares sunt, i. e. de familia, qui convivunt nobiscum, et ab obedientia Superiorum religiosorum pendent modo omnino arctiori et stabili. Ita concludit P. Tarquini. Quod etiam consonum est verbis Clementis X. in »Superna«: »audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt vere de familia et continuo commensales.«

γ. — Nostris temporibus Societas in hac re implicata est, quum delata esset ad Sacram Congr. Episcop. et Regularium. Nimirum parochus urbis Settizensis, in Campania Romana, vindicavit sibi jurisdictionem super seminaristas alicujus Instituti, quod erat sub cura Nostrorum. Recurrens igitur cum sua querela suisque dubiis ad supradictam Congregationem hoc tulit responsum, 5 Junii 1864: »dilata, et dividantur dubia.« Quum igitur ad querelam de diminuto et infracto suo jure ex parte Nostrorum, parochus iste hoc tulerit responsum: »dilata,« recte concluditur, jus Nostrorum in hac re niti saltem firmo fundamento. Quare Gury t. 2. nº 564. sententiam nobis faventem vocat valde probabilem et in praxi tutam.

δ. — Exstat quidem etiam alia ejusdem Congregationis decisio, 21 Junii 1848, in causa Barnabitarum Parmensium, quæ est in contrarium reique nostræ non favens. Attamen agitur ibi de casu omnino speciali et specialibus circumstantiis vestito. Unde est, quod eadem ipsa Congregatio in casu Settizensi supra allato hujus multo anterioris decisionis ne minimam quidem rationem habet. Patet igitur, non posse concludi ex paritate casuum in negativam sententiam.

ε. — Convictoribus proin ultima sacramenta administrare, i. e. Viaticum dare et Extremam Unctionem, vi hujus privilegii nobis competit. Quod idem est de audiendis eorum confessionibus; de quo tamen infra, ubi de Pœnitentiæ sacramento agetur.

918 *Nota* 3. — Quoad primam Communionem dandam, i. e. quibus et quando, parochi non habent jus constituendi, nec postulandi, ut in suis ecclesiis fiat. Nostris igitur est hæc facultas admittendi pueros, quos idoneos putant, et in nostris ecclesiis et oratoriis. — Catechismus Romanus »de Eucharistia sacra« hæc habet: »qua vero ætate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percontari, an hujus admirabilis sacramenti cognitionem aliquam et gustum habeant.« — Suadendum tamen est, præter convictores nostros, hanc rem parochis relinquere, quorum jurisdictioni pueri subsunt,

et respicere consuetudinem regionis. Nam ad solemnem admissionem in communi parochus jus habet; imo, ut nuper S. C., probante Leone XIII. decrevit, Episcopus de ætate etc. præscribere potest, quæ ipse parochus, et a fortiori alii, observare debent.

3. — Quoad frequentem receptionem sacræ Eucharistiæ Societatis 919
cura est, dare omnibus fidelibus opportunam occasionem, ut quam facillime possint accedere ad sanctam synaxin; in permittendo autem utrum frequenter accedant an minus frequenter, tenet ea principia, quæ theologia moralis et statuta ecclesiastica suggerunt.

a. — Maxima est Societatis laus, quod semper frequentem communionem prædicavit. At quando natus est Ignatius, adeo omittebatur usus sacramentorum, ut testetur P. Raynaud, sacram communionem devenisse in eam infrequentiam, ut nostro Patri Christophoro Madridio et aliis fuerit certandum in libris adversus crassam ignorantiam contendentium, peccare et violare sacra laicum, qui plus semel in anno se divino epulo reficeret. — Gobat. tr. 4. n° 61. — Porro Societatis prædicatio fuit adeo fausta, ut non ita multo post „multi ex ipsis sæcularibus non dubitarent affirmare, a pluribus frequentari communionem intra mensem, quam patrum suorum memoria per totum annum extra paschale tempus."

b. — At simul ita moderate incedendum fuit, ut nemini daretur occasio scandali; ideoque ex reg. Sacerdot. 26. debuerunt esse contenti Patres nostri, octiduam seu hebdomadariam communionem fidelibus suadere. Talis autem ratio agendi pro tempore erat fere nimia, non poterant enim portare modo. Sed hæc præscribebantur ante editionem Ritualis et Catechismi Romani, qui, positis ponendis, etiam quotidianam communionem suadet. Præterea nondum editum erat Decretum S. Congr. Conc., seu potius Innocentii XI. anno 1679 de frequenti communione. Tunc vero, advertit Lacroix: „decreto allato obligantur confessarii omnes, etiam Societatis JESU, quia Pontifex etiam hoc exprimit in fine, non obstante apud ipsos regula 26. Sacerdotum. Regula enim illa accommodanda est ad sensum Pontificis." — Lacroix l. 6. p. 1. n° 655. — Eodem prorsus modo respondet P. Roothaan ad provinciam Belgicam, 1836: „propter citata Romanæ Sedis decreta usumque frequentioris communionis fere ubique vigentem non est amplius integrum, illam frequentiam in nostris ecclesiis prohibere; caute tamen et admodum considerate hac in re procedere debent confessarii. Ita sæpe responsum fuit a sæculo decimo septimo."

4. — In jure ac facultate exponendi sanctissimum Sacramentum 920

adorandum Societas JESU æquiparatur omnino aliis familiis religiosis; unde necesse est distinguere inter publicam et privatam expositionem Sacramenti. Ait autem Cavallieri t. 4. c. 7. decr. 2: „ea autem dicitur expositio publica, non quæ præcise fit reseratis ecclesiæ foribus, sed detecto insuper Sacramento. Quare sicuti, quamvis cuique pateant ecclesiæ portæ, regulares non indigent licentia Ordinarii pro expositione Sacramenti *velati*, ita neque eadem indigebunt ad exponendum illud detectum, dummodo clausæ sint januæ, aut expositio fiat in oratoriis, in quibus sæcularibus personis non patet aditus, sed solum regularibus. Quæ si minus arrideant, utpote nimis angustis arctata limitibus, libens et publicam regularibus expositionem indulgeo, irrequisita licentia Ordinarii, dummodo iisdem assistat legitime præscripta consuetudo; quæ cum a productis sanctionibus minime abrogetur, in valido perstat robore." — Unde statuendæ sunt regulæ, quæ sequuntur:

a. — Pro expositione publica sanctissimi Sacramenti religiosi, etiam exempti, indigent licentia Ordinarii. Hoc jam implicite eruitur ex Trident. sess. 21. de reform. c. 8: „quæcunque in diœcesi ad DEI cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum est." — Etiam Congr. Conc.: „Sacra Congregatio censuit, non licere regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo sanctissimum Sacramentum ex tabernaculo non extrahatur et sit velatum, ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit."

b. — Videtur tamen licentia Ordinarii pro publica expositione non requiri, si legitime præscripta censuetudo religiosis favet. — „Attamen si contraria jam pridem consuetudo invaluerit, ut nempe in aliquo templo certis quibusdam diebus in tabella minime descriptis sacra Eucharistia publice exponatur, satis erit, si ejusdem rei causa et ad ipsam consuetudinem probandam argumenta nobis exhibeantur; quæ si a nobis obsignentur, pro necessaria facultate sufficient, donec novum aliquid contra statuatur." — Sic. Bened. XIV. „Institutio" 30. n° 14.

c. — Non requiritur Ordinarii licentia pro exponenda sacra Eucharistia velata, adstante populo; nec pro exponenda detecta, exclusis sæcularibus. Ratio est, quia utraque hæc expositio non habetur pro publica, pro qua sola licentia ista necessaria est.

Nota. — Patet per se, sicut in aliis externis festivitatibus, sic etiam in expositione publica Sacramenti ritum præscriptum omnino tenendum esse.

ARTICULUS TERTIUS.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

1. — In administratione hujus sacramenti, quæ est tanti momenti 921
pro vita christiana et ea de causa Nostris præprimis commendata et cara, ea principia valent, quæ de religiosis in jure communi statuta etiam ad religionem Societatis spectant.

a. — Religiosi jurisdictionem ad audiendas confessiones tum suorum tum sæcularium accipiunt a Papa, uti ait Lehmkuhl P. 2. nº 379: „mediis suis Superioribus, qui jurisdictionem ex parte summi Pontificis ipsis communicare debent; ita ut in conferenda suis subditis jurisdictione non potestate propria agant, sicuti agunt Episcopi in deleganda sua jurisdictione, sed tamquam summi Pontificis commissarii. Quare quod ad jurisdictionem spectat, confessarii regulares quoslibet fideles sæculares absolvere possunt, accedente approbatione Episcopi loci. Nihilominus, nisi pro aliquo ordine specialis lex a summo Pontifice lata obstet, confessarii regulares possunt cum approbatione etiam jurisdictionem ab Episcopo loci accipere, sicut confessarii sæculares; eaque hodie fere semper intentio Episcoporum est, quando regulares pro excipiendis confessionibus approbant."

Unde intelligitur Decr. Congr. Episc. et Regul. 2 Martii 1866: „religiosum non approbatum juxta leges proprii ordinis a Superiore suo, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide excipere confessiones sæcularium, neque talem impediri posse, quin valide hujusmodi confessiones audiat, etiam, si a Superiore suspensus fuerit ex informata conscientia." — Potest proin regularis ex duplici fonte habere jurisdictionem; patet autem, eum contra obedientiam offendere, si contra voluntatem sui Superioris jurisdictionem aliunde accipiat et exerceat, quamvis valida sit ejus actio. Imo quum venia Superioris tantum ad liceitatem requiratur, ipsius licentia sæpe poterit prudenter ex causa rationabili præsumi, præsertim si examen ad jurisdictionem Episcopi obtinendam subeundum non sit; et non agatur de recens ordinato sacerdote, sed de eo, qui excipiendis confessionibus jam in alia diœcessi erat expositus.

b. — Regulares vero non possunt jurisdictionem a suis Superioribus 922
acceptam valide exercere, nisi accedat approbatio Episcopi loci. — Trid. sess. 23. de ref. c. 15: „decernit sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab

Episcopis per examen si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis datur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstante." — Ita etiam Clemens X. in Bulla „Superna," 21 Julii 1670, in qua et plura alia huc spectantia ordinantur.

923 *c.* — Hæc Constitutio „Superna" nonnulla accurate definit quoad approbationem regularium per Episcopum.

α. — Episcopus potest regulares, antequam det approbationem, ad examen vocare, etiam eos, qui a suo prædecessore vel a Vicario Generali fuerant examinati, et probabiliter etiam eos, quos ipse approbavit sine prævio examine. Attamen non decet, exigi examen, v. g. ab illis, qui docuerint theologiam moralem, ut ait Busenbaum apud S. Alphonsum l. 6. n° 542., vel a prælatis regularium.

β. — Nostri Sacerdotes legitime Ordinario præsentati, si generatim idonei inveniuntur, generatim approbari debent sine ulla limitatione; et possunt semper hanc illimitatam approbationem per examen prætendere. Ita communissime; nec difficultatem facessit contraria opinio Benedicti XIV., ni melius probet, jam consuetudinem legitimam in contrariam præscripsisse. — Bouix de jure Regul. t. 2. pag. 231.

γ. — Sic generatim idonei post examen inventi, non possunt iterum licite revocari ad examen, nec suspendi ab eodem Episcopo approbante, nisi superveniente nova causa publici scandali aut alia confessionem concernente.

δ. — Vicarius Capitularis, Sede vacante, nequit ad examen ante elapsum tempus revocare regulares sive limitate sive illimitate approbatos; et in revocatione generali facultatum facta ab Episcopo non comprehenduntur regulares, nisi speciatim nominentur.

ε. — Si regularis non fuerit generatim idoneus inventus, nullum est dubium, quin licite possit cum limitatione approbari, et invalidæ essent per se confessiones ultra limites approbationis factæ, v. g. si quis approbatus tantum esset ad confessiones virorum, invalide audiret confessiones mulierum. — In iis vero, qui simpliciter idonei reperti sunt et sine limitatione approbati, tempus Paschale non potest excipi, nec confessio moribundorum, de qua facta tamen parochus informari debet, saltem scripto apud infirmum relicto.

ζ. — Episcopus nunquam potest totam communitatem regularium ab audiendis confessionibus suspendere, inconsulto summo Pontifice.

Nota. – In Indiis aliisque regionibus valde remotis possunt Episcopi, gravissima de causa, etiam inconsulta Sede Apostolica, suspendere integrum monasterium a munere audiendi confessiones. Ita decisum est ab Innocentio X. Const. »Cum

sicut accepimus« 10 Maji 1653, confirmante Responsa jam data a Sacra Congr. Conc. in celebri causa Angelipolitana Societatem inter et Episcopum Palafox. — Quærebatur: pro parte Societatis JESU — 1) an Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum monasterium vel Collegium ab audiendis confessionibus suspendere? Respondit Sacra Congr. Conc.: »Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii vel Collegii confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, etiam inconsulta S. Congr. Episc. et Regul., cum Decretum ab ea editum sub die 10 Nov. 1615 non extendatur ad regiones illas tam longe ab Urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione abstinendum esse ab Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo Sacra Congr. illorum conscientias graviter voluit esse oneratas.« — Nemo non videt, hanc declarationem Congregationis niti in difficultate communicationis inter has regiones dissitas et curiam Romanam. At quum nostro tempore quam facillima facta sit ista communicatio, vix videtur hæc declaratio vigorem suum retinere.

η. — Ad audiendas confessiones monialium requiritur specialis approbatio Episcopi, quæ potest limitari tum quoad tempus tum quoad locum; nec approbatio pro uno monasterio inservit pro monasterio alio ejusdem ordinis. — Monialium nomine hic per se non veniunt nisi claustratæ, viventes in religione, in qua fiunt vota solemnia. Sed sæpissime Episcopi expresse approbationem specialem merito exigunt pro fœminis piarum congregationum, quæ vere moniales non sunt. Ipsorum ergo voluntas attendenda est 924

Nota. — De facto invaluit praxis in Urbe Romæ et alibi, ut, quantumcunque confessarii regulares reperiantur idonei et virtuosi, non admittantur ad confessiones audiendas, nisi ad annum. Certum est, quod praxis Urbis limitandi approbationem regularium, etiamsi indefinitam per examen rigorosum velint adipisci, tamquam sola legitima propugnatur a Bened. XIV. »de syn.« l. 9. c. 16. Inst. 86. — Contradicit Bouix »de jure regul.« t. 2. p. 231. sqq. — Clericatus dicit: »regulares cedunt juri suo, quod nititur in expressa declaratione S. Congr. Con. 7. 2. 1654., et in facto contenti sunt, approbationem accipere ad annum.«

2. — Præter hæc principia, quæ applicantur omnibus cujuscunque religionis sacerdotibus, alia quædam tenenda sunt pro nostra Societate.

a. — Nostri jurisdictionem accipiunt ab eo Superiore, qui eos mittit, 925
etiamsi v. g. laborare debent in loco, ubi alius est Superior vel alius Provincialis. — Resp. P[i] Nampon 1850 Roma: „quilibet enim Societatis Superior eam suis subditis jurisdictionem tradit, nisi eam limitet, quam Societas a summo Pontifice accepit, scilicet christianæ plebis confessiones audiendi, approbantibus et assentientibus Episcopis."

b. — Quodsi religiosus in aliqua diœcesi ad indefinitum ab Episcopo 926
approbatus est, manet approbatus etiamsi domicilium transferat in

aliam diœcesin. Unde si redierit in priorem, non indiget de novo approbari, quum approbatio semel obtenta nec revocata perduret. — Bullar. 2, q. 544. et 561.

927 *c.* — Quod idem est de approbatione, quam habet mediante Superiore istius domus, a qua recessit et in quam nunc redit, etiamsi in ea interim alius Superior constitutus sit. Nam etsi Episcopi regulariter approbationem Nostris dant per nostros Superiores religiosos, tamen jure supponitur, Episcopos noluisse eam restringere ad tempus actualis Superioris. — Resp. P[i] Villefort 19 Junii 1866: „Si l'Evéque a accordé l'approbation pour un temps illimité, qu'il ne l'ait pas rétracté, et qu'il ne soit survenu aucun empéchement canonique, l'approbation subsistant encore, il n'est pas necessaire de la faire renouveler; „nisi quando, uti supra dictum est, pro anno vel limitato tempore tantum concessa et interim exstincta sit.

928 *d.* — Ex delegatione Patris Generalis absolvere Nostri possunt a casibus Papæ reservatis, exceptis casibus specialiter reservatis. Hæc delegatio Generalis competit omnibus Superioribus etiam localibus, et subditis eorum, quibus ipsi eam tribuunt. Hæ facultates a Superioribus localibus communicatæ videntur tamdiu vigere, ut quælibet aliæ licentiæ sine determinatione temporis consessæ, quamdiu non revocantur, vel non mutatur domicilium. Non tenentur igitur subditi has facultates renovare tempore visitationis Provincialis, et possunt illis uti, usque dum perveniunt ad aliam domum, in ea tamquam subditi habitaturi.

929 *e.* — Cum facultate a Provinciali accepta Nostri possunt absolvere ab omnibus casibus Papalibus, etiam specialiter reservatis. Excipiuntur duo isti casus Benedicti XIV: „attentata absolutio complicis", et „falsa accusatio de crimine sollicitationis", in Bulla: „Sacramentum Pœnitentiæ." — Conferantur litteræ P. Beckx ad P. Prov. Hœvel 5 Julii 1875: „Sanctissimus Dominus Pius IX. *revocatam* etiam nobis esse vult potestatem absolvendi a casibus reservatis in Bulla Benedicti XIV., quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ.*" — Et nulla ratione probabile apparet, hanc facultatem per Breve Leonis XIII. *Dolemus inter* Societati restitutam esse et a Patre Generali posse aliquando extraordinarie concedi. — cf. Comp. Priv. nov. n° 4.

Quamdiu durent facultates a Provinciali concessæ, habet C. 7. D. 36: „[Congregatio] censuit consultum sibi videri, eos, qui Superiorum maximeque Provincialium munus ineunt, teneri, ut primum commodum illis fuerit, præsentes et coram monere subditos, ut privilegia et facultates a prædecessoribus concessas aperiant, ut eas ipsi vel confirment vel abrogent, prout in Domino expedire judicaverint. Ceterum concessas

ejusmodi facultates usque ad hanc denuntiationem in suo robore permanere; qua facta, si illas subditi non aperiant, de facto ac re ipsa pro abrogatis haberi. Idemque judicium esse de facultatibus a Visitatoribus concessis, quas etiam subditi rogati Provinciali indicare tenebuntur, licet non possint eas Provinciales, nisi Generali admonito, revocare."

Moris est, ut Provincialis recens proclamatus in primis suis litteris inauguralibus hoc decretum omnibus in memoriam revocet, statuens simul tempus præclusivum, v. g. tres menses, intra quod singuli facultates a prædecessore acceptas sibi significent; quod si omiserint, eo ipso pro abrogatis habendas esse monet.

f. — Cum aliis mendicantibus habemus privilegium, quod notat 930
Liguor. l. 3. n° 257: „ex communi doctorum consensu possunt dispensare in votis quorumcunque fidelium sive intra sive extra confessionem, exceptis quinque votis reservatis." Notandum tamen: — α) declarandum est, vota esse Papæ reservata; — β) extra confessionem dispensatio a solo confessario dari potest. — In voto tamen simplici castitatis et religionis dispensando requiritur facultas a Provinciali accepta, quam dandam pro singulis casibus aliquando sibi reservavit, saltem in prov. Germ. — In voto et juramento facto in favorem tertii, clarum est, nos non posse dispensare, si jam acceptata sunt.

g. — Secundum Liguor. l. 3. n° 258. et l. 6. n° 987. mendicantes 931
dispensare possunt in voto castitatis, sive ante sive post contractum matrimonium est emissum, in ordine ad petendum debitum.

h. — Cum familiares qui vocantnr (etiam convictores), subsint juris- 932
dictioni regularium, ex Trid. sess. 25. de reg. c. 11., participant etiam in horum exemptione; proin statuendum est: — α) possunt absolvi a nostris confessariis ex facultate Superioris, neque accedat oportet approbatio Ordinarii; — β) possunt confiteri Nostris etiam extra domum degentes, v. g. in itinere. Attamen, quum primum in feriis potestati parentum, sive eorum qui a parentibus constituti sunt, redditi, aut suæ libertati relicti sunt, non jam absolvi possunt a regularibus sine approbatione Episcopi loci, ubi versantur. Nam etsi forte subsequenti anno alumni redituri sunt, nunc tamen relatio subjectionis ad regulares soluta vel suspensa est; et non jam censentur sub obedientia regularium esse. — Lehmk. t. 2. n° 398. — γ) quum non sint sub jurisdictione Episcopi, neque subjacent ejus reservatis et possunt absolvi a nostris confessariis. — Sic de facultate absolvendi in nostris confessariis.

3. — Sed requirit præterea nostra Societas, ut confessarii ornati

sint iis virtutibus et donis, quæ tantum munus ex naturæ suæ gravitate non minus ac sanctitate adesse in iis jure supponit.

933 *a.* — Maturitas ætatis et magis etiam maturitas spiritus adsit necesse est. — Reg. Prov. 100: „det operam, ut confessarii maturi sint ætate, quantum fieri potest, ac multo magis spiritu et moribus, præsertim qui ad confessiones mulierum audiendas mittuntur; curetque, ut Nostri gratiis et privilegiis apostolicis prudenter et moderate utantur." — Instr. 3. §. 1: „id imprimis curandum, ut multo major ratio maturitatis habeatur in spiritu, moribus et ædificatione; alioqui ætas, quæ conciliare etiam solet auctoritatem, non multum proderit." — Hæc gravitas in externo modo agendi se manifestat, secundum regulas: mutuum cum pœnitentibus aspectum fugiant et tabula aut saltem manu interposita eos audiant; mulieres ad crates tantum, etiamsi puellulæ sint. Paterna quædam et spiritualis gravitas in eis eluceat, et cum fœminis potius severitas, quam familiaritas.

934 *b.* — Doctrina necessaria in confessariis supponitur esse, et quidem examine probata. — C. 13. D. 16: saltem mediæ horæ spatio singuli fuerint examinati; „et examinatorum saltem trium judicio, quod scripto exhiberi oportebit, tantam habeant doctrinam, ut confessiones fructuose audire possint." — Reg. Sac. 11: „in casibus conscientiæ iisque præsertim, qui ad censuras, casus reservatos, restitutiones pertinent, sese diligenter exerceant; earumque rerum compendia et brevem interrogandi methodum, ac contra singulorum peccatorum species exempla et dicta Sanctorum, atque alia salutaria remedia comparare studeant." — P. 4. c. 8. D: „et aliqua confessione audita, præsertim in principiis, confessarius apud se consideret, num in re aliqua defecerit, ut in posterum caveat."

935 *c.* — Subeant Nostri hoc munus audiendi confessiones cum lætitia in Domino totosque se tradant ejus exercitio, quantumvis oneroso minimeque jucundo. — Reg. Sac. 8: „omnes ii, quibus ex obedientia confessiones audiendi sanctum munus committitur, multum ad id affici studeant, et tanquam nostri Instituti valde proprium magni faciant." — 13: „vocati ad ecclesiam ad confessiones audiendas, statim cum animi alacritate eo se conferant; et quo major pœnitentium multitudo futura est, eo magis tempestive ab aliis occupationibus se expediant."

Instr. 3. per totum. Imprimis in §. 11: „curandum, ut nostri confessarii juxta regulam sacerdotum 8. multum afficiantur ad hoc munus ut proximis pernecessarium et nostri Instituti valde proprium. Præcipue vero invigilandum, ne sint minus affecti minusque prompti erga homines pauperes aut vulgares. Quod si hos refugere deprehenderint

Præfectus ecclesiæ vel æditui, omnino Superiori significandum erit, ut confessarium officii serio monere possit."

ARTICULUS QUARTUS.

DE MUNERE PRÆDICANDI.

Ad exercendum hoc munus prædicandi verbum DEI jam statim ab 936
initio Societati nostræ amplissima facultas concessa est. — Paulus III. „Cum inter" 3 Junii 1545: „cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus et per vestræ Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, in quibusvis ecclesiis et locis ac plateis communibus seu publicis, et alias ubique locorum, clero et populo verbum DEI prædicandi, proponendi et interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, et ad bene beateque vivendum, ita ut in vobis verbo pariter et exemplo ædificentur, in Domino hortandi, admonendi.... plenam et liberam facultatem auctoritate Apostolica per præsentes ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum concedimus."

Gregorius XIII. „Vigore privilegii" 20 Nov. 1584: „[declaramus ac decernimus] vestrum unumquemque, etiam ad sacros ordines prædictos non promotum, prædicationis munus in vim privilegii hujusmodi [Pauli III.] exercere potuisse et posse. Vobis insuper concedentes, ut etiam Clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum DEI verbum ubique populo prædicare." — Suarez dicit l. 9. c. 1. §. 18. hanc facultatem posse etiam novitio delegari, qui, prima tonsura accepta, statui clericali adscriptus est.

Postea vero a Concilio Tridentino et a Clemente X in Const. „Superna" hæc religiosorum ampla facultas prædicandi certis conditionibus circumscripta fuit, quibus, uti clarum est, etiam Societas JESU tenetur.

1. — Ut in propriis ecclesiis prædicent, necesse est antea petere 937
Episcopi benedictionem. — Trid. s. 5. de ref. c. 2: „regulares vero cujuscunque ordinis.... personaliter se coram Episcopis præsentare et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant." — „Superna" (Clem. X. 1670) addit: „prædicare tamen possunt, quamvis illam [benedictionem] non obtinuerint."

2. — Quodsi Episcopus contradicat, ne in propriis quidem ecclesiis 938
prædicare eis licet. — „Superna": „quodsi Episcopus benedictionem nedum concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem ecclesiis licere regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo

tanquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris aliisque pœnis ecclesiasticis in vim Constitutionis Gregorii XV. „Inscrutabilis" [1622] coërceri et puniri posse." — Idem in Trid. s. 5. de ref. c. 2. — Attamen Episcopus hanc facultatem sine justa et rationabili causa denegare non potest, licetque religiosis in casu injustæ denegationis recurrere ad Congr. Episc. et Regul.

939 3. — Ut liceat religiosis prædicare in alienis ecclesiis, requiritur prævia Episcopi licentia. — Trid. l. c. „in ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt... Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint; ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant." Pergit „Superna": „posse autem Episcopum licentiam concessurum regularibus, in ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt prædicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus aut magristratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemoriale hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit. — Et licentiam semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem concernentes suspendere."

4. — Episcopo non est potestas prohibendi generaliter religiosos, ne in suis ecclesiis prædicent; sicut non potest ab audiendis confessionibus totam communitatem suspendere: licet ei tamen restrictiones imponere.

a. — Licet ei vetare religiosos prædicare in suis ecclesiis eo tempore, quo ipse in ea urbe prædicat.

b. — Etiam ne prædicent per totum illum diem, quo ipse populum in sua cathedrali congregare vult.

c. — Similiter, si coram Episcopo extraordinarie sermo fit ab alio clerico, religiosi vetantur eo tempore in suis ecclesiis prædicare. — Bened. XIV. de syn.

5. — Constitutiones nostræ, ut gravissimum hoc prædicandi verbum Dei munus rite et cum fructu obeamus, multis nos modis et præparant et adjuvant. Nam:

a. — Volunt Constitutiones, ut maximi faciamus hoc officium, quippe quod sit munus ipsius Salvatoris et Apostolorum, de quibus iterum iterumque repetitur, quod prædicaverint hominibus regnum Dei. Nam „fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi." Rom. 10, 17. — Inde etiam est, ut qui a Deo constituti sunt pastores gregis, i. e. Episcopi, prædicationis munus tanquam præcipuum suum munus habeant, ex Trid. sess. 24. de ref. c. 4: „quod cupit sancta Synodus, quo frequentius possit ab iis exerceri ad fidelium salutem, vel per se ipsos, vel si

ipsi impediti sint, per eos, quos ad prædicationis munus assumunt." — Juste igitur apud nos habet Reg. Conc. 2: „memores sint, vocatos se esse ad reducendas animas suo Creatori: quod quum sit opus omnium difficillimum, summo studio media illa adhibeant quæ instrumentum cum DEO conjungunt."

b. — In juvenes nostros cura singularis a Societate impenditur, ut 942
non solum theoretice instruantur ad bene concionandum, sed quod fere majoris momenti est, ut per exercitationes repetitas inde ab ingressu in Societatem practice efformentur. Quod notissimum est nobis omnibus. — P. 3. c. 1. §. 21. — P. 4. c. 8. §. 3: edoceantur, exerceantur, corrigantur. — C. 6. D. 38. — Inst. 2. pro concion. — Imprimis Reg. Concionatorum.

c. — Committitur Nostris in Societate hoc munus ab ipso Provin- 943
ciali. — Reg. Prov. 26: „prædicatores et confessarios ipse constituet, præmisso tamen domestico examine et approbatione Ordinariorum juxta formam Concilii Tridentini."

d. — Vult Societas, ut prædicatores nostri tales sint, maxime moribus, 944
talique modo vivant et agant, ut juste sperari possit, fore ut eorum labor pro salute animarum quam uberrimos fructus ferat. Unde:

α. — ipsum eorum vitæ exemplum præprimis sit exhortatio ad vitam christiano homine dignam agendam: „cœpit *facere* et docere." — P. 7. c. 4. §. 2: „et primo quidem conferet bonum exemplum totius honestatis ac virtutis christianæ; ut non minus bonis operibus, imo magis quam verbis, eis ædificationi esse, quibuscum agitur, curent." — P. 10. §. 2. — Reg. Conc. 3.

β. — supernaturali virtute hoc munus exercendum esse magis quam naturalibus donis, sibi persuasum habeant concionatores semperque hujus rei memores sint. — Reg. Conc. 2. „summo studio media illa adhibeant, quæ instrumentum cum DEO conjungunt; ejusmodi sunt solidæ virtutes ac præcipue charitas, pura intentio divini servitii, familiaritas cum DEO in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum ad gloriam divinæ Majestatis."

γ. — spiritu paupertatis animatos esse decet nostros concionatores; quippe qui contemptum rerum temporalium doceant exemplo magis quam verbis. — Inst. 14. §. 2: „ne duplices vestes habeant in cubiculis;" etc. — Ord. c. 1. §. 15: „qui cibis quadragesimalibus vesci non possunt, hi propter ædificationem proximi extra domos nostras concionari ne mittantur. Cum iis autem, qui in ecclesiis nostris concionantur nemo dispenset inconsulto Provinciali, qui quidem necessitatis et majoris divini obsequii rationem habebit. In victu porro et vestitu

lautitiæ illæ et singularitates et exemptiones, quibus alii merito offenduntur, concionatoribus minime concedantur." — Ne quid pecuniæ accipiant. — C. 12. D. 40. — C. 14. D. 25.

δ. — modus prædicandi sit vere apostolicus. — P. 4. c. 8. §. 3: „in concionibus etiam et sacris lectionibus eo modo proponendis, qui ædificationi populi conveniat (qui a scholastico diversus est) se etiam exerceant," cet. — Decl. A. et B. — Reg. Con. 17: „ea quæ dicturi sunt, diligenti præmeditatione et peculiari ad DEUM recursu (quatenus per tempus licebit) paranda erunt."

Nota. — Valde ædificatur populus, si videt concionatorem, antequam ascendit pulpitum et postquam descendit, genuflexum ante sanctissimum Sacramentum paululum orare, petendo et gratias agendo. Nec dubitatur, quin hæc oratio et ipsi concionatori et iis, coram quibus concionatus est, singulariter prosit.

ε. — Quoad externa habet C. 1. D. 110: „de modo etiam concionandi quæsitum fuit, an semper in initio salutari debeat B. Virgo, et stola ferri. — Reponsum est, B. Virginem esse salutandam, sive prooemium præmittatur quod nonnulli faciunt sive non pro concionatoris voluntate; superpellicio autem utendum esse inter concionandum; stolam vero, ut juxta patriæ morem adhibeant vel non. In lectionibus sacræ Scripturæ, etiam ad populum, superpellicio non esse utendum." — Mos invaluit, ut in tota hac re Nostri se conforment sacerdotibus sæcularibus pro varietate regionum et dioecesium.

ARTICULUS QUINTUS.

DE CATECHESI HABENDA.

945 In primis jam Pontificum Bullis hoc munus catechizandi præter alia commendatur: „catechizandis rudibus, instituendo populum in doctrina christiana." Et quanti fiat in Societate, etiam elucet ex nonnullis, quæ speciatim de catechesi constituta sunt.

1. — Tanta in æstimatione est hoc sacrum ministerium, ut ejus specialis mentio ingeratur in eo ipso actu, qui præter omnes est nobis carus et exoptatus, nimirum in ipsis emittendis ultimis votis. — P. 5. c. 3. B: „promissio docendorum puerorum ac rudium hominum juxta litteras Apostolicas et Constitutiones non inducit aliam obligationem, quam reliqua spiritualia exercitia, quæ ad auxilium proximorum adhibentur; cujusmodi sunt confessiones et prædicationes..., in quibus quisque se debet occupare juxta rationem obedientiæ suorum Superio-

rum. Quod autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de causa fit, ut sancta hæc exercitatio peculiari modo sit commendata et devotius curetur, propter singulare obsequium, quod DEO per eam in animarum auxilium exhibetur; et quia facilius oblivioni tradi poterat et in desuetudinem abire, quam alia magis speciosa, cujusmodi est prædicatio." — Quoties igitur quis, v. g. post Missam, oblationem suam DEO denuo offert renovando vota sua secundum formulam communem, seipsum etiam admonet de peculiari cura, quam habere vult circa puerorum eruditionem, per totam vitam suam.

2. — Iis qui convivunt in domibus professis ad exercendum nostrum 946
ministerium, imprimis commendatur catechesis habenda. — Reg. Præpos. 39: „nominatim vero puerorum ac rudium personarum in Christianismo institutionem tanquam proprium nostræ vocationis ministerium valde commendatum habeat intelligatque, christianam doctrinam canendo doceri posse, ubi ad majorem ædificationem id fore observabitur. Modus autem, sive id canendo sive secus fiat, pro locorum ratione ad ædificationem et majorem utilitatem exigatur."

3. — Et ne unus quidem prætereatur in habenda catechesi, omnes, 947
emissis votis ultimis per quadraginta dies catechesim habeant; similiter etiam Rectores recens instituti, prima vice qua munus hoc obeunt. — P. 4. c. 10. §. 10. — C. 1. D. 138. — Quod commendatur etiam C. 2. D. 58: „quivis Professus quatuor vel trium votorum, quivis etiam Coadjutor spiritualis formatus, post editam professionem vel vota simplicia, intra annum per quadraginta dies continuos vel interpolatos, doctrinam christianam pueros atque rudes personas docere teneatur. Præterea vero hoc tam sanctum exercitium visum est admodum R. P. Generali commendandum, ne ullo unquam tempore illius oblivio in nostros animos irrepat, cum illud in votorum nostrorum formula complectamur. Curet itaque idem R. P. Generalis, ut Nostri frequentius, quemadmodum ipsi in Domino visum fuerit, in hoc tam pio opere exerceantur." — Idem in D. 65.

4. — Proin ne miremur quod videmus, celeberrimos sanctissimosque 948
Societatis viros se in exercendo sacro ministerio ad catechizandum cum prædilectione convertisse. Nominamus s. Franciscum Xaverium et s. Joannem Franciscum Regis; uterque tum in convertendis ethnicis tum in reducendis hominibus rudibus ad catholicam fidem hoc uno fere catechizandi modo utebantur; et quanto cum fructu. — At non solum in his extraordinariis occasionibus plurimum prodest hic modus operandi, sed etiam in ministerio stabili et consueto modus habendi conciones catecheticas, quas vocamus, imprimis utilis est et ipsi populo

gratus. Sentiunt homines, quantopere juventur in bene vivendo, si solidam acquirant veritatum christianarum intelligentiam.

ARTICULUS SEXTUS.

DE CONGREGATIONIBUS B. M. V.

949 Hæ Congregationes, quæ decursu temporum tantopere efflorescebant tantumque spiritualis emolumenti afferebant omnis generis fidelibus, ortum habuerunt in Collegio Romano, anno 1563, per Magistrum juvenem Joannem Leon, Belgam, Leodiensem. Hic, ut consuleret suorum discipulorum in B. Mariam Virginem piæ devotioni, diebus dominicis et festivis magis fervidos congregabat ad communiter orandum, ad legendum pium quemdam librum, sicque excitandam devotionem et imitationem Beatissimæ Virginis pro vita christiana rite et bene instituenda. Cum hi conventus sacri mox inter juvenes istius Collegii lætissimos fructus ferrent, petente Patre Claudio Aquaviva, a Gregorio XIII. approbati sunt per Bullam: „Omnipotentis DEI" 5 Dec. 1584. Simul concessa est Societati JESU facultas erigendi ejusmodi Congregationes etiam in aliis Collegiis easque aggregandi „Primæ Primariæ," quæ est in Romano Collegio, ad lucrandas indulgentias plurimas a Pontifice gratiose concessas.

Hanc Bullam a variis Pontificibus aliæ Bullæ editæ sequebantur, quarum præcipuæ hæ sunt:

Sixtus V. „Superna dispositione" 5 Jan. 1587, facultates jam concessas renovavit, auxit, confirmavit.

Gregorius XV. „Alias pro parte" 15 Apr. 1621, has Congregationes hucusque in Collegiis tantum inter scholares exsistentes, ad omnes CHRISTI fideles, in ecclesiis, domibus et seminariis Societatis extendit.

Benedictus XIV. „Gloriosæ Dominæ" 27 Sept. 1748, omnes gratias hucusque concessas de novo approbans, alias plures addidit, summis simul laudibus hoc Congregationum Institutum extollens.

Leo XII. „Cum multi" 17 Maji 1824, in restituta Societate Collegium Romanum ipsi restituens, simul exsistentem olim in eo Congregationem B. V. M. Primam Primariam restituit cum omnibus privilegiis et facultatibus pristinis.

Pius IX. „Exponendum nobis" 10 Febr. 1863 denuo benevolentiam suam in Congregationes manifestavit.

Leo XIII. demum per Sacram Congr. Indulg. et Reliq. 23 Junii 1885 plenam omnino facultatem tum erigendi tum aggredandi has

Congregationes Societatis Præposito iterum concessit et confirmavit, simul sanans omnes defectus, qui in hac materia, præsertim tempore quo suppressa erat Societas, sæpe irrepserant. Hoc decretum R. P. Anderledy, eo tempore Vicarius Societatis JESU, 31 Aug. 1885 cum omnibus Superioribus communicavit, addens simul nonnulla alia documenta de rite instituendis regendisque Congregationibus tum B. M. V. tum quæ de „Bona Morte" dicitur. — Unde his præmissis, quædam practica addamus:

1. — De fine Congregationum: „Congregationes B. V. Mariæ id 950
sibi inprimis proponunt, ut in sociorum animis eximiam quamdam erga B. V. Mariam devotionem excitent et foveant, quo speciali tantæ Matris protectione muniti tum vitam pie christianeque instituant, tum mortem aliquando feliciter obeant." — Hinc Benedictus XIV. in sua Bulla: „Gloriosæ Dominæ" 27 Sept. 1748 de Congregationibus juvenum studiosorum imprimis loquens: „christiana, inquit, ubique juventus, Sanctissimæ DEI Genitricis obsequiis et famulatui mancipata sub illius propemodum disciplina, quæ Mater est pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis, ad christianæ perfectionis fastigium eniti et ad æternæ salutis metam contendere docetur." — In Instr. P. Anderledy. — Tenendum igitur est, has Congregationes non esse instituendas nisi pro selectis hominibus, qui singulari fervore Reginæ et Matri nostræ addicti per specialem ejus venerationem et cultum ad christianæ vitæ perfectionem pertingere intendunt.

2. — Ratio igitur formalis hujus Congregationis, quod jam ipsum 951
nomen „Congregatio" sive „Sodalitas" innuit, ea est, ut sit unio plurimorum pro suo fine assequendo rite constituta et instructa, cum omnibus illis mediis et commodis, quæ ex tali unione vel conjunctione plurium secundum naturam suam ultro nascuntur; præcipue quum sit semper sub tutela et directione Societatis JESU. — Media igitur illa, quæ omni legitimæ unioni seu conjunctioni eo ipso insunt, competunt etiam nostris Congregationibus: magistratus per electionem constitutus, cui tribuitur immediata directio et qui habet suas speciales conventiones; conventiones itidem membrorum omnium ad fovendam pietatem erga B. M. V. singulis plerumque hebdomadis statuto tempore, cum exhortatione a Pæside facta; festa, præcipue B. V. M, cum majori pompa majorique ornatu celebrata, in quibus communiter etiam ad sacræ Eucharistiæ mensam accedunt; nec desunt in multis locis etiam recreationes, imo et excursiones communes, religiose et decenter institutæ. In omnibus his cura præsidis eorumque qui ipsi assistunt, fortiter eo dirigatur, ut religionis

pietatisque sensus nullibi absit, omniaque communi fini, i. e. ædificationi propriæ et proximorum inserviant.

952 3 — Commendantur Nostris præprimis Congregationes virorum. — C. 24. D. 20. nº 4: „rogata Congregatio, ut Nostris impense commendatas velit virorum Congregationes, ac præsertim operariorum cœtus pro Instituti nostri ratione instituendos et favendos, magna consensione censuit ac decrevit, Patri Nostro summopere commendandum, ut per Superiores aliosque e Nostris urgeat quam maxime curam spiritualem virorum, præsertim operariorum et pauperum, efficiatque, ut, ope exercitiorum spiritualium ac Sodalitatum nostrarum, ex pristina Societatis norma, eosdem ad omnia pietatis et charitatis officia summo studio perducant: cavens tamen, ne Nostri, vel rebus temporalibus administrandis, vel politicis tractandis ullo modo sese immisceant."

953 4. — Præposito sive Vicario Generali Societatis JESU a pluribus Pontificibus collata est potestas erigendi et aggregandi Congregationes B. V. M. tum intra tum extra domos et ecclesias ipsius Societatis; idque ita, ut in ea re statutis in Bulla Clementis VIII. „Quæcunque" et in Decreto S. Congr. Indulgentiarum 8 Jan. 1861 (in quibus modus procedendi præscribitur), minime adstringatur. — Quod denuo concessit Leo XIII. per Congr. Indulg. 23 Junii 1885. — Modus vero erigendi et aggregandi imprimis in nostris ecclesiis et domibus hic est.

Per Provincialem litteræ mittuntur ad P. Generalem, quarum verba fere hæc sunt:

Adm. Rev. Pater!

Quum infrascriptus orator N. N. Congregationem juvenum studiosorum (virorum, vel...) sub titulo B. M. V. Annuntiatæ (Immaculatæ Conceptionis...) et S. Aloysii (S. Joseph...) in ecclesia S. (capella... seminario...) loci... diæcesis... constituere desideret, R^imo^ et Illmo Domino. N.N. Episcopo N. statuta ejusdem Congregationis jam proposuit atque ab eo approbationem et consensum pro ejus erectione et aggregatione obtinuit. Quare prædictus orator Paternitatem tuam humiliter rogat, ut dictam Congregationem in hac ecclesia (oratorio..,) erigere, eandem Primariæ Collegii Romani Congregationi aggregare atque præsidi a Rmo Episcopo assignato N. N. facultates necessarias et opportunas communicare velis.

Nota. — Verba hujus epistolæ ea sunt, ut valeant etiam pro aggregatione Congregationis ab Episcopo jam canonice erectæ, v. g. in ecclesiis non nostris. Quod si agitur de Congregatione instituenda in nostris ecclesiis, oratoriis, sacellis,

clarum est tum erectionem tum aggregationem penes P. Generalem esse, nec requiri interventionem Episcopi ad canonicam erectionem. — Quamvis consensus Episcopi pro erectione in hoc casu non sit necessarius, prudenter tamen petitur, nisi de convictorum nostrorum Congregatione agatur. Sufficit vero, si Episcopus verbo tantum se consentire significet. — Attamen, quando Episcopus per se Congregationem jam canonice erexit, testimonium erectionis authenticum vel ejus exemplar Præposito Generali est proponendum una cum litteris supra positis, quibus tum sola aggregatio et facultatum communicatio est petenda.

5. — De modo ricipiendi Sodales hæc fere teneantur, quæ tamen 954
non prorsus omnia necessaria sunt.

a. — Qui in Sodalitatem cooptari desiderant, ut plurimum peracto demum aliquo probationis tempore recipiantur. In eo quidem temporis spatio, si per Congregationis statuta localia ita provisum est, jam ad officia sodalium communia admitti possunt atque indulgentiis et gratiis eis concessis, in quantum fieri potest, fruuntur, in Sodalitatis vero magistratum non eliguntur.

b. — Sodales, si commode fieri poterit, recipiantur die aliquo B. V. M. sacro, et eo quidem ritu et pompa, quæ in libris in sodalium usum vulgatis describuntur. Probe vero advertendum, formulam receptionis: Ad majorem Dei gloriam (vel similem)..., qua ipsa in Sodalitatem receptio pronuntiatur, non a sodali, qui „præfecti" nomine fungitur, sed a præside ipso per Provincialem vel Ordinarium constituto, vel ab ejus delegato legitimo esse proferendam. — Dicitur: „vel a præside delegato;" nimirum Leo XIII. Rescripto Sacræ Cong. Indulg. 23 Junii 1885, præmissa sanatione omnium adscriptionum ad singula hæc Sodalitia hucusque cum quolibet defectu peractarum, omnibus Congregationum B. M. V. præsidibus benigne permisit, ut ex rationabili causa alium sibi sacerdotem (qui v. g. majoris solemnitatis causa invitetur) substituere possint ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata et alia præsidum munia exercenda. Quodsi receptio novorum sodalium per alium hujusmodi sacerdotem facta sit, recepti nihilominus in Catalogum sociorum adscribuntur. Quominus vero absentes in Sodalitatem cooptentur, Decretis s. Congr. Indulg. 13 Apr. 1878. et 26 Nov. 1880 prohibetur.

c. — Romæ in Congregatione Prima Primaria præses fideles, postquam se formula consueta beatissimæ Virgini consecrarunt, his verbis recipit: „Ego ex auctoritate Adm. Rev. P. Præpositi Generalis Societatis JESU vos in B. V. ab Angelo salutatæ Congregationem Primam Primariam recipio, atque omnium indulgentiarum participes facio; et nunc quidem nomina vestra referantur in album Congregationis, in æternum vero scripta sint in cœlis." Quibus dictis præses, receptis

candelis a Sodalibus coram se genuflexis, eis receptionis testimonia tradit hæc dicens: „Accipe has patentes litteras, quibus assertus es B. V. M. filius; sed tu melius moribus et pietate te ejus filium exhibe. Interim te cum prole pia benedicat Virgo Maria." — Attamen hæc omnia non sunt necessaria, ut receptio sit valida; exstat Resp. Assist. ad Prov. Germ. 14 Maij 1872: „in aggregandis ad Congregationem B. V. M. Sodalibus duo ad essentiam requiruntur: intentio illius qui admittendus est, et consensus illius penes quem est potestas recipiendi; utrumque ut patet signo aliquo externo declarandum est. Tale signum esse potest vel formula consueta, qua in cœtum Sodalium publice adscribuntur, vel traditio et acceptio diplomatis. — Potestate vero admittendi Sodales præditus est solus præses vel director, qui solus sustinet partes Præpositi Generalis Societatis Jesu." — Potest tamen ex rationabili causa alium sacerdotem sibi substituere. — supra litt. *b*. —

In Sodalitatibus potest etiam Scholasticus (vel Monialis in Sodal. puellarum et matronarum) fungi munere Vice-directoris, adjuvando directorem in suo munere habitualiter, ubi id expedire videbitur, recipere tamen in Sodalitatem non potest.

d. — Ut erectio et aggregatio gratis omnino, nulla mercede exacta, præstantur, ita pro inscribendis quoque Sodalibus per se nihil exigi potest præter ea, quæ secundum statuta illius loci approbante Episcopo in expensas pro foliis vel libellis inscriptionis, ornamentis oratorii etc. deputantur.

955 *e.* — Præsidibus singularum Congregationum commendatur:

α. — ut testimonia receptionis typis imprimi curent, quibus in altera folii parte brevis indulgentiarum elenchus, statuta Congregationis et ordo officiorum adjungatur, ad quæ Sodales singulis hebdomadis conveniunt;

β. — ut librum, qui „Congregationis liber" dicatur provideant; in eoque describantur primo loco: 1) litteræ approbationis et consensus Episcopi; 2) diploma erectionis et aggregationis seu ejus breve compendium; 3) statuta Congregationis; 4) nomina singulorum Sodalium, addito die, quo quisque cooptatus est in Congregationem (quod ne unquam omittatur); 5) decisiones graviores ipsius magistratus atque insigniores Sodalitatis eventus.

956 *f.* — De iis qui honoris gratia adscribuntur (membra honoraria) statuit Congr. Indulg. 6 Mart. 1776, si sint Principes, Duces vel Comites suprema potestate utentes, qui dum alibi degunt, vel ad Primam Primariam vel aliam Congregationem admitti petunt, tam eos quam eorum consanguineos vel affines in primo et secundo gradu, qui idem postulant, gratiarum et indulgentiarum participes fieri posse, dummodo aliquam

ecclesiam visitent, et alias conditiones impleant. Et conceduntur hæ indulgentiæ etiam absentibus. — Benedictus XIV.: „Quemadmodum presbyteri...," 15 Julii 1749.

g. — De jure proprietatis Congregationum statuit Bened. XIV. 957
„Laudabile Rom. Pont" 15 Febr. 1758: „Congregationum congregati seu confratres nullum jus nullumque dominium, nullamque actionem supra ædes, vasa, mobilia, ornamenta et supellectilia quæcunquæ tam sacra quam profana ad easdem Congregationes nunc et pro tempore quandocunque spectantia et pertinentia, ac pro illorum usu et ornatu empta et emenda habeant nec habere possint." — Quodsi igitur aliqua Congregatio dissolvatur, de jure proprietatis dicit Lacroix l. 4. n. 145: „sacra supellex, quæ huic Congregationi fuit propria, manet ad usum domus vel Collegii, quia talis fuisse præsumitur voluntas, aut esse consensus sodalium, quando aliquid non rescitur. Tales enim Sodalitates non sunt corpus stabile, sed manent dissolubiles ad arbitrium Societatis; et si dissolvantur, præsumendum est, quod dominium ornamentorum acquiritur loco, in quo fuerunt erectæ." — Præferendum tamen videtur, monere statim sodales de hoc jure proprietatis, ne detur occasio suspicionis et querelæ. — cf. Lugo Resp. Moral. — Et hæc de Congregationibus B. M. V.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE CONFRATERNITATE „BONÆ MORTIS."

Hæc est altera Congregatio Societati JESU propria. In ecclesia Socie- 958
tatis Romana „al Gesù" jam pridem invaluit mos, ut singulis feriis sextis post meridiem fideles convenirent ad venerandam communiter passionem Domini ejusque Matris dolorosæ, meditando et orando, ad obtinendam bonam mortem, unde etiam nomen habebatur. Hanc devotionem fovit auxitque imprimis P. Vincentius Carrafa, septimus Societatis Generalis, circa annum 1648, qui etiam hujus Confraternitatis auctor proclamatur. Brevi post, anno 1655 die 21 Aug. Alexander VII. huic Congregationi indulgentias concessit; unde factum est, ut hæ devotiones mox ad alias ecclesias Societatis extenderentur, et pro largiore fidelium usu in diem dominicam transferrentur. Benedictus XIII. in Bulla: „Redemptoris nostri" 23 Sept. 1729 hanc ipsam Congregationem ad omnes domos et ecclesias Societatis extendit, nominavitque „al Gesù" Archiconfraternitatem, cui tanquam Primæ Primariæ ceteræ omnes aggregandæ essent, conferens simul Præposito Generali vel Vicario Generali

plenam potestatem tum erigendi tum aggregandi. — In restituta Societate Pius VII. 6 Febr. 1821 omnia ista iterum confirmavit; quod idem fecit Leo XII. ex Rescripto 22 Jan. 1827, addens etiam erigendi hanc Confraternitatem in ecclesiis non nostris, aggregandique eas Primæ Primariæ. — Pius IX. „Ad augendam" 23 Jan. 1886 novas indulgentias concessit, pro Dom. 3. post. Pascha et Dom. 3. Sept. — Demum Leo XIII. per Decretum Congr. Indulg. et Reliq. 21 Mart. et 23 Jun. 1885 sanavit omnes defectus in erectione et aggregatione hucusque commissos; quod Decretum R. P. Anderledy, eo tempore Vicarius Generalis Societatis, de dato Fesulis 31 Aug. 1885 cum omnibus Superioribus communicavit, adjecta brevi instructione de erectione et aggregatione harum Congregationum. Hujus instructionis summa capita hæc sunt:

959 1. — Finis hujus Congregationis in eo est, ut fideles ad mortem quam felicissime obeundam rite disponantur per jugem passionis CHRISTI memoriam ejusque publice privatimque recolendæ studium, imprimis autem per vitam recte christianeque instituendam.

960 2. — Exercitia communia: sodales conveniunt vespere in ecclesiam vel oratorium Congregationis singulis feriis sextis vel diebus dominicis, vel saltem semel aut bis in mense, atque exposito SS. Sacramento, concione vel instructione vel meditatione de sanctissima passione Domini nostri, vel de doloribus B. V. M., sive de quatuor novissimis excitantur, ut seipsos disponant ad mortem pie obeundam atque vitam recte instituendam. Ideo preces fundunt communes, in quibus memores sunt sociorum tam morbis afflictorum quam vita defunctorum.

961 3. — Bona opera, ad quæ socii etiam propositis indulgentiarum thesauris alliciuntur, sunt imprimis hæc: ut frequenter sacramentis utantur, maxime diebus, quibus ad exercitia communia Congregationis in ecclesiam conveniunt, — ut semel in mense vel saltem aliquoties in anno diem (maxime illum, qui ab ipsa Sodalitate ad id est destinatus) integre in eo consumant, ut se ad mortem pie obeundam disponant; — ut etiam in diebus ferialibus SS. Missæ sacrificio devote assistant; — ut singulis diebus vespere conscientiam excutiant; — ut opera misericordiæ exerceant, infirmos invisant, atque curent, ut mature ultimis sacramentis recreentur; — ut mortuos pie ad sepulcrum deducant, pro eis orent; — ut pœnitentiæ operibus se conforment CHRISTO patienti et Matri dolorosæ; — ut precibus inter se ad mortem pie obeundam adjuvent.

962 4. — Modus quo fit erectio et aggregatio, similis est priori in Congregatione B. V. M. tenendo. Notandum tamen, in erigendis et aggre-

gandis his Congregationibus diligenter observari debere, quæ hac de re per Clementem VIII. in Constitutione „Quæcunque" 7 Dec. 1604. præscripta atque Decreto S. Cong. Indulg. 8 Jan. 1861 accuratius sunt determinata.

Nota 1. — Responsum s. Congr. Indulg. ad Episcopum Cambrayensem, ad 963
quæsitum: »utrum statuta servanda sint sub pœna nullitatis indulgentiarum, ita ut fideles indulgentiis priventur ob eorum inobservantiam sive integram sive ex parte factam?« — Responsum 25 Jan. 1842: »dummodo Sodalitates sint canonice erectæ, et sodales adimpleant opera a summis Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suæ respectivæ Confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime adscripti fuerint in Confraternitatem, inobservantia partialis seu generalis statutorum non obest acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tanquam injuncta opera ad indulgentias acquirendas.«

Nota 2. — An juvat plurimis adscribi Confraternitatibus? — Rescriptum R. 964
P. Roothaan ad Provincialem Germ. 27 Jul. 1833: »de Confraternitatibus notandum est, jam fuisse a S. Fr. Borgia Nostris prohibitum, quibusvis hisce sodalitiis nomen dare; ita sane mediis ad perfectionem instructa est Societas, ut opus non sit ad alia excurrere. A variis provinciis postulatum fuerat, ut modus poneretur zelo non satis ordinato aliquorum hujusmodi devotiones promoventium. Facile enim fit, ut minus curentur propria, dum appetuntur aliena.«

»Aliud est de Sodalitate ss. Cordis Jesu. Dum autem de illa alicubi erigenda agitur, hæc est tenenda via; — *1)* erigi debet auctoritate Ordinarii; — *2)* dein ad participandum de indulgentiis et privilegiis authenticum exemplar illius erectionis Romam mittendum est ad Primariam ss. Cordis Jesu Congregationem, quæ est apud ecclesiam B. V. della Pace: et remittitur diploma cum elencho indulgentiarum.«

Nimirum omnes norunt, ex revelatione B. Mariæ Margarethæ facta Patres Societatis Jesu imprimis vocatos fuisse ad augendum et divulgandum cultum ss. Cordis Jesu. Quod quum vix melius efficaciusque fieri possit, quam per Congregationem canonice erectam cum suis privilegiis et piis exercitiis, facile apparet, Nostris inde ab initio maxime cordi fuisse, ut sodalitatem ss. Cordis Jesu in suis ecclesiis instituerent foverentque, ita fere ut de facto priori »de Bona Morte« æquipararetur. Plerumque ita institutum erat v. g. in Germania, ut in nostris ecclesiis singulis mensibus utrique Sodalitati certa dies dominica tribueretur pro suo fine consequendo: accedebant sodales ad sacram mensam pro indulgentiis lucrandis, habebant alia pia exercitia, vespere conveniebant ad audiendam concionem sive exhortationem cum precibus communibus, in fine benedictio ss. Sacramenti.

Commendavit autem P. Beckx 22 Febr. 1860, ne nos immisceamus in devotionibus et confraternitatibus, quæ ab aliis religiosis familiis pendent; et P. Anderledy 8 Junii 1884, ut potius Congregationibus B. M. V. et Bonæ Mortis incumbamus.

Nota 3. — Cum cultu ss. Cordis Jesu, qui a nobis quam maxime fieri potest 965
promoveatur, intime cohæret is qui dicitur »Apostolatus Precationis.« Salvator

noster »semper vivens ad interpellandum pro nobis« hoc munus interpellandi sive precandi per ss. Cor suum continuo exercet tum in cœlo tum in altaribus nostris, ad salvandas animas, convertendos peccatores, confortandos justos, servandam innocentiam, tuendam Ecclesiam catholicam, augendum regnum DEI. Proprium igitur est apostolatui precationis, has ss. Cordis intentiones et operationes facere suas et cum ss. Corde et ad ejus exemplar orare pro salute animarum quare hic apostolatus modus Cor JESU colendi est optimus simul et efficacissimus. — Ad promovendum hoc nobile et pium opus anno 1844 plurium fidelium unio facta est sub nomine »apostolatus precationum in unione cum ss. Corde JESU.« Approbata est hæc unio multisque indulgentiis donata a Pio IX anno 1866, et demum 1879 a Leone XIII. novis statutis instructa. — Sodalium vero hujus pii operis sunt tres classes, cum diversis obligationibus diversisque indulgentiis: — *α)* sunt, qui in precibus suis matutinis, quas omittere non debent, offerunt omnia, quæ per diem precantur, agunt, patiuntur, juxta eas intentiones, quibus CHRISTUS Dominus in Sacrificio altaris se continuo offert; — *β)* secundi præterea singulis diebus unam decadem rosarii recitant; — *γ)* tertii offerunt quam vocamus »expiationis communionem«: sive septem sodales uniuntur, quorum singuli successivis diebus hebdomadæ ad s. Synaxim accedunt; sive triginta, pro singulis diebus ejusdem mensis. Et quidem ea voluntate, ut satisfaciant DEO pro innumeris hominum peccatis placentque justam ejus iram, simulque impetrent peccatorum conversionem sanctæque fidei propagationem. — Cavendum Nostris, ne contenti sint, quod ingens numerus nomen dederit maxime in primam classem. Nam si non accedunt opera pietatis, imprimis quæ agenda sunt tertiæ classi, sola recordatio et formatio intentionis tempore matutino vix ullum effectum ad formandos mores exercebit.

ARTICULUS OCTAVUS.

DE PUBLICIS CULTUS DIVINI ACTIBUS.

966 1. — Ex eadem ratione, qua ab officio cummuniter in choro decantando dispensati sumus (Gregorius XIII. „Ex Sedis Apostolicæ" 28 Febr. 1573), abstinemus in ecclessiis nostris etiam ab aliis divini cultus actionibus solemniter peragendis, v. g. a Missis decantandis, quod moris est in aliis familiis religiosis et immediate cum officio chorali conjunctum, apud filios s. Benedicti, s. Francisci etc. Quum vero negari non possit, fieri sæpissime, ut populus fidelis ex ejusmodi solemnitatibus plurimum ædificationis hauriat, non est contra finem et modum Societatis, ut in hac quoque parte aliquid fiat modo nobis vitæque nostræ conformi.

967 *a.* — Quare ut fideles magis alliciantur ad audiendas conciones, nil obstat, talia etiam in nostris ecclesiis peragi. — P. 6. c. 3. §. 4. decl. B: „si in quibusdam domibus vel Collegiis sic convenire judicaretur, eo tempore, quo vespere prædicandum vel legendum est, ad populum detinendum ante hujusmodi lectiones vel conciones, posset vespertinum officium tantum dici. Sic etiam ordinarie dominicis et festis diebus

sine cantu figurato vel firmo, ut vocant, sed tono quodam devoto, suavi et simplici: et id in hunc finem, et quatenus judicaretur, quod populus ad magis frequentandas confessiones, conciones et lectiones moveretur, et non aliter. Eodem tono officium, quod tenebrarum dici solet, cum suis ceremoniis in hebdomada sancta fieri posset."

b. — Imo P. Generalis dispensare potest in hac re, quando hoc 968
convenire judicaverit, in primis ubi degimus inter hæreticos. — C. 1. D. 39: „responsum est, servandam esse Constitutionem et nonnisi ex gravissima causa dispensandum esse a P. Generali, ut Missa cantetur; et id tantum dominicis diebus et festis." — Ex C. 2. D. 17. penes P. Generalem est, cantum Missæ et Vesperarum inducere, prout expedire in Domino judicabit. „Ubi autem inductus esset cantus tam Missæ quam Vesperarum, si inutilis ad finem nostri Instituti et proximorum ædificationem videretur, vel deessent, qui bene id munus præstare possent, commissum est P. Præp. Generali, ut eum valeat revocare ac prohibere, si ita ei visum fuerit convenire." — Dein C. 3. D. 36: „cantus in ecclesiis Societatis inductus talis sit deinceps, qualem P. 6. c. 3. decl. B. præscribit, nempe devotus, suavis et simplex, non figuratus vel firmus; et in iis tantum locis retineatur, ubi per Nostros non admissis externis, commode exerceri potest, et finis, quem prædicta Constitutio proponit et juxta C. 2. D. 17. consequitur; locum tamen habet dispensatio præsertim inter hæreticos et infideles, quoad inductionem, retentionem, modum et qualitatem cantus pro judicio et arbitrio R. P. Generalis."

c. — Quando pro Principibus, fundatoribus vel insignibus bene- 969
factoribus in aliis ecclesiis solemnes exsequiæ celebrantur, licet etiam Nostris eas habere, modo tamen magis simplici et usui nostro accommodato. — Sic C. 1. D. 120: „responsum est, posse celebrari in morte Principum, fundatorum vel de Societate bene meritorum, in nostris ecclesiis [exsequias solemnes], quando pro iis hujusmodi exsequiæ publice fieri solent per ecclesias civitatum; et id nostro modo simplici, absque pompa feretri cum facibus; nec tamen ut Constitutionem hoc debere observari, sed ubi similis ratio posceret, posset a Præposito permitti." — C. 4. D. 61. idem dicitur et additur: „modo nostro simplici, ut fieri solet in sepulturis Nostrorum."

2. — In omnibus ejusmodi actionibus ritus Romanus teneatur ita 970
ut nihil fiat, quod ei contrarium sit. — C. 9. D. 19: „ad uniformitatem in omnibus provinciis observandam statutum est, ut in publicis ceremoniis, in Missis ac Vesperis, quando cantantur in nostris ecclesiis, in sacramentorum administratione et in aliis officiis ecclesiasticis ritus

ubique Romanus observetur, ita ut nihil uspiam quod ritui Romano contrarium sit usurpetur."

971 3. — Processiones publicæ a Nostris ne instituantur; et aliis processionibus publicis interesse non tenemur. — C. 3. D. 35: „decretum fuit, ne deinceps processiones a Nostris fierent; liberam tamen R. P. Generalis haberet facultatem dispensandi circa quascunque processiones retinendas et instituendas, ubi ad DEI gloriam et proximorum ædificationem, præsertim ubi usu præceptæ sunt, et maxime inter hæreticos, et ubi conversioni infidelium datur opera, expedire videret. Omni autem studio et diligentia privilegium aliquod a summo Pontifice impetrandum esse, quo a publicis Ordinariorum processionibus eximeremur." — Hoc privilegium concessit Gregorius XIII. „Quæcunque sacrarum." 16 Julii 1576: „Præpositum ac omnes et singulos presbyteros ac religiosos et personas alias omnes dictæ Societatis ubique locorum existentes ab interessentia supplicationum seu precum aut processionum hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo eximimus et liberamus." — Et addit rationem ejusmodi privilegii concessi: tum ne impediantur Nostri ab operibus sacri ministerii exercendis, tum quia sat multi sunt aliarum familiarum religiosi, qui præstare hoc possunt sine detrimento aliarum occupationum.

ARTICULUS NONUS.

DE EXERCITIIS TRADENDIS.

972 1. — Quantos fructus spirituales exercitia tradenda conferre possint, ipsius s. Ignatii primorumque ejus sociorum exemplum fortissime probat, quippe qui omnes ex hoc exercitiorum secessu prodierint viri perfecti et ad Societatis fundamenta condenda quam maxime idonei. Inde factum est, ut statim a nata Societate usus faciendi et tradendi exercitia omnibus ejus Sociis quam familiarissimus fuerit, cum ingenti ipsorum aliorumque fidelium fructu. Quæ fuit causa, cur Exercitiorum liber, quamvis vehementissime et a viris non vulgaris auctoritatis impugnatus et rejectus, nihilominus, agente Francisco Borgia, a Paulo III. formaliter approbaretur per Bullam „Pastoralis officii" 31 Jul. 1548: „pietate ac sanctitate plena, ad ædificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus... documenta et exercitia prædicta, ac omnia et singula in iis contenta... approbamus, collaudamus, etc."

973 2. — Mirum igitur non est, quod exercitia tradenda tanquam opus

Societati valde proprium proponuntur, in quo faciendo ut valde idoneus sit, unusquisque studere debeat. — P. 4. c. 8. §. 5: „ad exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant, et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod DEI gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint." — P. 7. c. 4. §. 8. et decl. F.

3. — Ut juventur Nostri in exercitiis rite tradendis, ex C. 1. D. 107. 974
directorium, quod vocatur, seu instructio ad singula capita valde adaptata, confectum fuit. Quod directorium, sicut nomen indicat dirigere nos et instruere debet, quomodo in præstando hoc opere spirituali procedamus. Recte igitur hujus directorii studium diligens commendatur. Præterea etiam et quam maxime nobis in tradendis exercitiis usui sunt, quæ ipsi tum in faciendis tum in tradendis iis experti sumus.

ARTICULUS DECIMUS.

DE EDENDIS LIBRIS ALIISQUE SCRIPTIS.

1. — Juvare proximos edendo bonos libros aliaque scripta, quibus 975
errores grassantes corrigantur, veritas proponatur et defenditur, per se jam est præcipuum ministerium in salutem hominum assumptum. At maxime hoc obtinet nostris temporibus, quibus omnia moventur, præsertim ab adversariis religionis christianæ cum pertinacia furoreque quasi infernali, ut libris, libellis, fasciculis, scriptis periodicis, foliis publicis, ceterisque modis, quibus aliquid typis imprimi spargique potest usque ad infimas populi classes, fidem revelatam impugnent destruantque, et bonos mores corrumpant. Necesse igitur omnino est, ut, qui positi sumus ad fidem christianam defendendam et propagandam, descendamus alacres in hunc quasi novum pugnandi campum, armisque iisdem, quibus adversarii utuntur, etiam nos fortiter utamur ad hoc bellum feliciter gerendum, semper parati vigilesque non solum ad retundendas eorum furiosas aggressiones, sed etiam ad obtrudenda, sacra quadam cum audacia, ea omnia, quæ sunt vera, honesta, utilia, necessaria ad salutem operandam.

Hoc quidem ab initio fiebat in Societate, quod probant tot tantaque opera edita; nunc vero, quando imprimendi impressaque spargendi facilitas ex una parte, ex altera vero ardens legendi cupido etiam in infimæ conditionis hominibus tanta est, quæ inhiberi reprimique amplius non potest, requiritur, ut sint inter Nostros, qui quasi unice occupentur in ejusmodi scribendi operatione, et dona sibi a DEO data in nobilis-

simum et utilissimum hunc juvandi proximos finem impendant. His viris gratulemur oportet de industria in hoc ministerio posita; memores etiam simus juvandi eos non tantum piis orationibus, sed etiam suggerendo passim, quæ nobis suppetunt ad eorum et laborem et usum sublevandum. — Quum tamen hoc scribendi munus in Societate non possit unicuique pro arbitrio relinqui, non miramur, quod jam in Constitutionibus ipsis cautio necessaria apponitur. Sic in P. 7. c. 4. §. 11: „qui talento prædítus ad scribendos libros communi bono utiles eos conscriberet, in lucem edere non debet..., nisi prius Præpositus Generalis ea videat et legi ac examinari faciat; ut si ad ædificationem fore videbuntur, et non aliter, in publicum prodeant."

976 2. — Attamen quum non sufficerent ad præcavenda damna, ea quæ in Constitutionibus passim et Congregationibus statuuntur, ipsi Generales pro opportunitate temporis plurima ordinabant litteris ad Superiores datis, quarum gravissimæ sunt Patris Roothaan, 4 Mart. 1844 et P. Beckx, 9 Febr. 1856 et 11 Maji 1862; hæ ultimæ complent et illustrant priores. Tenenda igitur nunc sunt sequentia:

a. — Antequam aliquid edi possit, auctor ipse cum Provinciali conveniat ipsique manuscriptum tradat, vel saltem materiam a se tractatam communicet eo fine, ut hic re intellecta judicet, utrum expediat sitque ad ædificationem, de tali re aliquid in publicum prodere. Per se hoc spectat proprie ad Generalem, P. 7. c. 4. §. 11., sed ex usu est penes Provinciales.

b. — Provincialis dein statuit, an de materia proposita aliquid evulgetur, necne. Licet tamen auctori, si Provincialis responsum sit negativum, ad Generalem recurrere, juxta regulam sat notam.

977 *c.* — Nihil edi debet, quo lædatur charitas, vel quies et pax, etiam inter Nostros, in periculum adducatur; nec quod non sit conforme doctrinæ communiter receptæ. — C. 15. D. 9: „relatum fuit ad Congregationem, quosdam e scriptoribus nostris, adversariorum calumniis provocatos, nonnunquam uti stylo acerbiore, quam viros religiosos decere videatur. Quapropter unanimi censensu declaratum fuit, omnino contra mentem Societatis esse hujusmodi stylum, omnemque talem lucubrationem Nostrorum, qua lectores jure offendi possint. Ad cavendam proin omnem offensionem Congregatio Decreta omnia et Ordinationes, quæ aliquando sunt factæ pro Revisoribus librorum, confirmat et extendit quoad præsens punctum, etiam ad theses et folia quæcunque, ne quid omnino typis vulgetur a Nostris, nisi a Revisoribus ad id constitutis approbatum." — Etiam P. 3. c. 1. decl. O. et P.

d. — Quod dicitur in D. 9. C. 15 modo citato: nil potest typis 978
evulgari a Nostris nisi revisum et approbatum. Nimirum materiæ proprie dogmaticæ, controversiæ et theologiæ moralis examinandæ sunt a quatuor; aliæ materiæ theologicæ, puta exegeseos (si non contineat controversiam), historiæ ecclesiasticæ, conciones et philosophiæ a tribus saltem; profanæ vero materiæ, historiæ scilicet, litteraturæ et ejusmodi, minimum a duobus. — cf. C. 22. D. 20.

e. — Revisorum exstant speciales regulæ, quos legere monentur antequam revisionem incipiant; jubenturque potius severi esse quam indulgentes. Censores ignoti sint auctoribus, et auctores censoribus, si fieri potest, ut horum judicium non pendeat a quocunque respectu. — C. 16. D. 15. — Votum vero hoc est: „opus esse homine de Societate dignum, et mediocritatem in suo genere non mediocriter superare et ita in lucem edi posse."

f. — Quodsi omnes censores idem ferunt suffragium, aut positivum 979
aut negativum, ipse Provincialis secundum hoc definire potest, i. e. ut aut typis mandari possit aut non. Si vero discrepant in suffragiis, res ab ipso ad Generalem referatur necesse est.

g. — Censores scribant notas suas in folio separato, in ipso textu aliquid corrigere illis non licet. Si censent, opus esse corrigendum, antequam edatur, juxta notas a se factas, hoc plane indicare debent simulque indicare istas suas animadversiones, secundum quas putant opus esse mutandum. Alias ea, quæ adnotant, sunt tantum monita quædam auctori data, quibus consideratis vel mutet aliquid vel intactum relinquat.

h. — Auctoribus non licet contractum inire cum typographo vel 980
bibliopola sine auctoritate Provincialis vel Superioris localis. Plerumque juvat, ut hi ipsi formaliter contrahant, juxta quod pretium, de quo convenit, vel in arcam seminarii, vel in utilitatem domus, in qua degit scriptor, solvendum erit.

i. — De necessaria libri alicujus approbatione duo decreta exstant: 981
Trid. sess. 4. de edit. libr.: „nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis et pecuniæ in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita." — Clemens VIII.: „regulares præter Episcopi et Inquisitoris licentiam meminerint se teneri sacri Concilii Tridentini decreto, operis edendi in lucem facultatem a Prælato, cui subjacent, obtinere. Utramque autem concessionem, quæ appareat, ad principium operis imprimi faciant." — Explicemus paucis:

α. — Ex solis verbis hujus instructionis Clementinæ *omnes* regularium libros præviæ censuræ Ordinarii subjacere colligi posset; sed quum Pontifex apertis verbis ad Decretum Tridentinum referat, hocque Decretum de solis libris *sacris* sit, ad hos *sacros libros* etiam prævia approbatio restringenda est. — Secundum vero praxin Secretariæ et Vicariatus Urbis illi libri dicuntur tractare de religione sive esse sacri, in quibus explicatur Scriptura, vel qui tractant de theologia dogmatica, scholastica et morali; de jure canonico, de historia ecclesiastica, de clericis, de monachis, de Dei et Sanctorum cultu, de sacramentis, de sacris ritibus, deque aliis ad religionem pertinentibus, de cultu Deo debito, de religione christiana, et etiam de statu clericorum regularium.

β. — Cum dicatur: „ab Ordinario" approbandos esse libros, quæritur, quisnam intelligatur „Ordinarius;" et non concordant theologi. Alii putant, esse Ordinarium, in cujus diœcesi auctor tunc temporis suum domicilium habeat; alii e contra esse Ordinarium, in cujus diœcesi liber in lucem prodeat vel imprimatur; alii demum, ab utroque petendam esse licentiam. Vides igitur, esse quandam latitudinem in hac re.

γ. — Quamvis Pontifex jubeat, in religiosorum libris sacris statim in initio imprimendam esse approbationem Superioris ordinis, nunc tamen multis in locis ita res se habent, ut prudentiæ sit, non urgere hoc præceptum, ne malevolorum oppositio excitetur neve alia mala inde nascantur.

982 *k.* — Nostri vetantur sub gravibus pœnis sine licentia Superioris quidquam imprimere, etsi fiat vel nomine alieno vel sine ullo nomine. C. 11. D. 18;

1) „ut in auctores animadvertatur gravibus certisque pænis incurrendis: puta privatione officii, votis item activæ et passivæ, inhabilitate etiam ad dignitates et prælaturas Societatis, pœnis etiam corporalibus pro delecti gravitate Superioris arbitrio decernendis."

2) „ut hæc ipsa pœnarum capita ad complices et conscios, etiam Superiores, ea proportione extendantur, qua ipsi magis minusve, vel scriptoris consilia promovendo, vel eadem non revelando, vel ex officio non impediendo in præsentem Societatis perniciem dedecusque peccaverint."

3) „ut librorum nomine etiam debeant, intelligi libelli et folia (ut vocant) volantia; ac demum, quidquid prælo ad publicam lucem committitur."

4) „ut præsumptio fraudis contra illos stare censeatur, a quibus

accepta scripta externi vulgaverint. — C. 15. D. 9. — Quæ omnia confirmata demum et renovata exstant in C. 21. D. 26. et C. 22. D. 20.

Nota. — Quum hoc tempore dispersionis plurimis acciderit, ut vel singuli 983
apud privatos vel saltem extra communitatem degere cogerentur, nec facile censores invenirent, R. P. Beckx nihilominus in »Instructione ad Patres et Fratres dispersos« 1872 n° 16. urget: »notum sit omnibus, etiam tempore dispersionis minime licere, quidquam, licet minoris molis typis edere sine expressa approbatione P. Provincialis, qui in ea concedenda aget juxta Ordinationem de hac re editam 9 Febr. 1856.

a. — Omnia quæ solvuntur pro libris editis, tradantur Superiori domus, cui 984
licet has pecunias impendere in utilitatem auctoris, v. g. emendo ipsi libros vel aliter eum juvando, vel simpliciter etiam in commodum ipsius domus.

b. — Urgetur, ut non solum leges canonicæ, sed etiam civiles de libris impri- 985
mendis et vendendis stricte observentur.

c. — Omnium, quæ eduntur, tria vel saltem duo exemplaria ad archivum 986
Generalis mittenda. — P. Beckx 1856.

d. — Moris est et valde conveniens charitati fraternæ, quamvis non sit ullo modo præscriptum, ut singulis etiam provinciæ domibus unum exemplar operis editi tradatur, in signum amicitiæ et mutuæ dilectionis.

3. — In ultima Congregatione, vigesima quarta, actum est decreto 987
19: utrum Collegia Scriptorum, ab aliis Societatis Domibus ac Collegiis separata, atque dotata reditibus annuisque proventibus, licite admitti possint; an vero hæc res Constitutionibus S. P. Ignatii minime conformis sit (excepto Collegio Civilitatis Catholicæ, quod peculiari ac Pontificia institutione regitur): Congregatio declaravit, hujusmodi Collegia reditibus stabilibus dotata, minime conformia esse nostris Constitutionibus.

„Quum autem deinceps quæreretur: num etiam Constitutionibus, et nominatim P. 6. c. 2. n° 3. repugnet, quod Scriptores, qui conjunctim alicui operi scribendo et edendo allaborent ad defendendam Ecclesiam impugnandosque errores in dies insurgentes, habitent in Collegio, vel in domo applicata tanquam membro ipsi Collegio, ejusque reditibus utantur, Congregatio, diligenter examinata declaratione C. ad dictum Constitutionum locum, aliisque simul Constitutionum locis collatis, declaravit: Præpositum Generalem concedere facultatem posse, quando necessarium aut conveniens ad universale bonum id judicaverit, et per tempus quod ei visum fuerit, ut hujusmodi Scriptores habitent in Collegiis, vel in domo applicata tanquam membro ipsi Collegio ejusque reditibus utantur, dummodo Collegium non gravetur, nec quidquam fiat contra fundatorum et benefactorum intentionem." — cf. n° 763.

ARTICULUS UNDECIMUS.

COLLOQUIUM SPIRITUALE.

988 1. — Quæ hucusque media juvandi proximos proposita sunt, commendantur Nostris quasi opera, quibus vi vocationis nostræ Apostolicæ immediate et directe vacemus. Præterea etiam alius modus magis indirectus, sed non minus efficax tangitur, nimirum tota se habendi et cum hominibus conversandi ratio, præcipue in colloquendo. Notum est satis, ipsum s. Ignatium ceterosque primos Societatis nostræ Patres, sc. s. Franciscum Xaverium, s. Franciscum Borgiam aliosque, cum externis conversantes tantum agendo et loquendo odorem sanctitatis sparsisse, ut non solum bonis ædificationi essent, sed tepidos etiam ad fervorem, imo peccatores ad conversionem excitarent.

989 2. — Propterea habent nostræ Constitutiones inter opera Apostolica etiam hæc in P. 7. c. 4. §. 8: „curabunt etiam privatim proximum piis colloquiis ad meliora promovere, tum consilio et exhortatione ad bona opera, tum etiam tradendis spiritualibus exercitiis." — Et Reg. Comm. 42: „omnes pro ratione sui gradus, data commoda occasione, enitantur piis colloquiis proximum ad meliora promovere, et consilio ac exhortatione ad bona opera, præsertim ad confessionem excitare." — Attendas ad verba: „pro ratione sui gradus," et „data commoda occasione"; quibus instruimur, non omnes Nostros decere eodem modo in conversatione cum externis spiritualia intermiscere; nam aliud exspectatur a Sacerdote, aliud a laico; aliud etiam a religioso ætate provecto, aliud a juvene. Similiter non indiscrete et inopportune spiritualia hominibus quasi obtrudenda sunt, sed commodo tempore, quando omnia ita comparata sunt, ut sperare liceat, fore ut bonum semen cadat in terram bonam et rite dispositam ad ferendum fructum. Indiscretio et inopportunitas, sicut alibi, sic etiam in sanctis verbis tædium generant magisque nocent quam prosunt.

990 3. — Jure merito igitur statuimus: si quis vult vere spiritualiter colloqui, vivat quoque vere spiritualiter; nam ille solus, qui est ipse vere spiritulalis, potest ex thesauro suo ea proferre, quæ spiritus sunt, spiritumque aliis infundunt. Quæ vero proferuntur ab homine immortificato et in externa effuso, quamvis specimen hominis spiritualis præ se ferant, revera sunt inania et nullius fructus. — Item bene observandum: nunquam perveniemus eo, ut externos ædificemus piis sanctisque colloquis, nisi etiam domi et inter nos assuescamus conversationi spirituali habendae, quæ hanc sanctam spiritualiter colloquendi artem quasi instillet nobis et naturalem faciat.

ARTICULUS DUODECIMUS.

DE CORPORALIBUS PIETATIS OPERIBUS.

Etiam hæc jam statim ab initio Societatis ab Instituto nostro minime 991 aliena esse habita, probant verba Juli III. in Bulla „Exposcit debitum" 21 Jul. 1550, ubi, postquam primaria sacri ministerii opera recensita sunt, ita pergitur: „nihilominus ad dissidentium reconciliationem et eorum, qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur, piam subventionem et ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout ad DEI gloriam et commune bonum expedire visum erit, exsequenda."

P. 7. c. 4. §. 9: corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia, quæ majoris sunt momenti permittent, quantumque vires patientur, incumbent: ut infirmis juvandis, præcipue in xenodochiis, eos invisendo et aliquos, qui eis inserviant, mittendo, et dissidentes ad concordiam revocando; sic etiam pauperes ac in custodiis publicis detentos, quoad ejus fieri poterit, per se sublevando, et ut alii sublevent, curando. Metiatur autem oportet Præpositi prudentia, (qui majus DEI obsequium et universale bonum semper ob oculos sibi proponet) quantum in hujusmodi rebus operæ sit ponendum." — Decl. G.: „nihilominus non convenit, societatem vel ejus domos aut Collegia cum aliqua Congregatione miscere." — c. 2. decl. E: „in primis cum possint, qui de Societate sunt, operam suam collocare, ubi bona spiritualia quæruntur, et etiam ubi corporalia, in quibus etiam misericordia et charitas exercetur." — Instr. 4. §. 3: „visitare hospitalia et carceres, quærere eleemosynas pro iis, qui sunt in carcere et xenodochiis." — Reg. Prov. 66: „quæ eleemosynæ externis pauperibus, sive ordinariæ sive extraordinariæ, dari debeant, ipse Superioribus præscribet, auditis Consultoribus, pro Collegii vel domus facultate." — Hæc omnia quantopere conveniant genuinæ Societatis indoli, exempla probant illustrium Patrum, sanctorum Ignatii, Francisci Xaverii, Francisci Regis, Petri Claver aliorumque, qui indefessi erant et ingeniosi in exhibendis misericordiæ operibus etiam corporalibus simul cum spiritualibus. Et cum quanto etiam animarum fructu. Nam charitas hæc parat viam ad hominum animos eosque dociles reddit ad veritates religionis audiendas sequendasque. Quod idem testantur plurimi Nostrorum, qui hisce ipsis temporibus, puta sæviente bello Germanico Gallico, ad hospitalia deputati erant; innumera sunt exempla eorum, quibus hi, ministrando corporibus, simul etiam medicinam spiritualem parabant ad confitenda rite peccata parandamque bonam mortem.

Octava Pars Constitutionum.

De iis, quæ conferunt ad mutuam Unionem.

Haec Pars agit de mutua Sociorum Societatis unione, quae perficitur charitate, concordia, pace, mutuo alterius ad alterum adjutorio et similibus. Imprimis sermo infertur de illo mutuo unionis medio, quo juxta suam constitutionem et structuram Societas Jesu essentialiter habet suam internam firmitatem vigoremque, et consequenter etiam suam operationem efficacem. Hae sunt, quae vocantur Congregationes, sive conventus Patrum Societatis legitime congregatorum; qui conventus repraesentant vel totam Societatem et vocantur Congregationes Generales; vel singulas provincias et vocantur Congregationes Provinciales; vel omnes provincias totamque Societatem pro fine certo persequendo et vocantur Congregationes Procuratorum. De variis his Congregationibus est fere tota nostra Pars octava, a capite secundo usque ad caput septimum inclusive. Sed quum exstent in Instituto de his Congregationibus singulis singulae etiam „formae Congregationum," omnia necessaria et utilia accurate et specialiter continentes, sufficit hic summa tantum eorum capitadescribere, et quidem in uno capite secundo per diversos articulos.

CAPUT PRIMUM.

Quæ juvent ad Unionem.

MAGIS autem expedit primum caput uberius exponere, ea ex causa praecipue, quod docet singulos et facere

ea quae juvant unionem, et abstinere ab iis quae impediunt. Agit nimirum hoc caput de motivis servandae unionis, de mediis adhibendis tum a singulis Societatis Sociis tum a Superioribus tum communiter et a superioribus et a subditis: et quidem de mediis negativis et positivis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE MUTUÆ UNIONIS.

Est ex natura cujusvis hominum cœtus sive Congregationis, ut non possit firma consistere efficaciterque juxta finem suum operari, nisi stabiliatur et coroboretur per arctam et aptam omnium partium conjunctionem, ex qua totum corpus habeat suam firmitatem et singula membra suam vim et energiam. Quod magis etiam necessarium est in Societate JESU, tum propter modum, quo coalescit et componitur, tum propter finem, quem operando persequitur. — Nimirum:

1. — Societas JESU est ordo religiosus universalis, compositus ex 992
nationibus quam maxime diversis, simulque per totum terrarum orbem diffusus. Coaptare vero et continere membra tam varia et ex natura sua quodammodo diversi generis, est labor non facilis, sed eo ipso magis necessarius. — P. 8 c. 1. §. 1: „quo difficilius est, membra hujus Congregationis cum suo capite et inter se invicem uniri, quod tam diffusa in diversis mundi partibus, inter fideles et infideles sint; eo impensius, quæ juvant ad unionem, quærenda sunt: quandoquidem nec conservari, nec regi, atque adeo nec finem, ad quem tendit Societas ad majorem DEI gloriam, consequi potest, si inter se et cum capite suo membra ejus unita non fuerint."

2. — Eruitur tum necessitas hujus unionis ex natura mediorum, 993
quibus utitur Societas ad suum finem prosequendum. Sumus enim ordo clericalis, institutus ad exercendum ministerium sacrum quibuscunque fieri potest mediis et inter cujuscunque generis homines, nobiles et vulgares, doctos et rudes. Quam maxime igitur nobis necessaria est eruditio et scientia universalis ad satisfaciendum tam diversis hominibus diversisque difficultatibus. Unde non abest periculum: „scientia enim inflat," nutritque facile nimiam sui æstimationem; simulque, quum reddat hominem aptum ad serviendum proximis in variis eorum necessitatibus, eorum favorem et amicitiam facilius conciliat. Fit igitur,

ut homines Societatis non raro declinent ad quandam sui elationem, quum sint docti et periti; etiam ad quoddam desiderium favoris hominum captandi, maxime nobilium et magnatum. Quanta autem pericula et incommoda unionis servandæ hæc vitia, superbia et effusio ad exteriora, ingerant, nemo non videt. — P. 8. c. 1. Decl. A: „sunt et aliæ rationes, qualis est, quod ut plurimum litterati erunt, et gratia apud Principes et primarios viros ac populos non parum valebunt." — Eo fortioribus igitur mediis, necesse est, utatur Societas, ut omnes contineantur in ea humilitate suique dejectione et vitæ internæ studio, in quibus salus totius corporis nititur.

994 3. — Dein habet c. 1. §. 1: „nec finem, ad quem tendit Societas, ad majorem DEI gloriam, consequi potest, si inter se et cum capite suo membra ejus unita non fuerint." — Exercitus eo magis est ad pugnandum expeditus, eo majorem spem victoriæ reportandæ habet, quo aptius et arctius milites inter se conjuncti sunt secundum diversitatem gradus et operationis. Quod idem de Societate JESU valet, quæ est exercitus spiritualis, militans sub vexillo crucis ad præliandum prælia Domini contra impugnationes diaboli et mundi. Unitis fortiter viribus, necesse est, descendat Societas in hunc pugnandi campum; quo magis, quod diabolus ejusque asseclæ eo ipso fortes sunt, quod uno agmine in communem sibi hostem, i. e. sanctam Ecclesiam irruunt. Proh dolor, communiter perversi, in hac parte inter se concordes, uno agmine conjuncti, bonos impugnant; hi contra non raro inter se dissident; et discordia res eorum bonæ dilabuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MEDIIS SERVANDÆ UNIONIS EX PARTE SUBDITORUM.

995 1. — Curandum est, non tantopere, ut augeatur numerus Sociorum, sed potius, ut ipsi sint conspicui tum doctrina, tum maxime virtute; nam virtus sola est, quæ passiones inimicas charitati et ordini refrænat, et est vinculum pacis et concordiæ.

P. 8. c. 1. §. 2: „ex parte subditorum juverit, magnam turbam hominum ad professionem non admitti; nec quoscumque, sed selectos homines, etiam inter Coadjutores formatos aut Scholasticos retineri. Multitudo enim magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem, quæ in CHRISTO Domino tam necessaria est, ut bonus status ac procedendi modus hujus Societatis

conservetur." — Decl. B: „hoc autem non excludit numerum (licet magnum) eorum, qui erunt idonei... sed hoc eo spectat, ut commendatum habeatur, ne qui tales non erunt, idonei (præcipue ad professionem) facile censeantur... Qui enim hujusmodi essent, turba existimari non deberent, sed potius, gens electa, tametsi magna ea esset."
P. 10. §. 7: „ut perpetuo totius hujus corporis bonus status conservetur, confert plurimum, quod in prima, secunda et quinta Parte dictum est, de turba et hominibus ad nostrum Institutum ineptis ne ad probationem quidem admittendis. Et si aliqui probationis tempore non esse idonei invenirentur, etiam dimittendis. Si qui vero depravatis moribus essent, aut de quorum emendatione parum speraretur, multo minus essent retinendi. Minus etiam apertum ostium esse debebit ad admittendos aliquos in Scholasticos approbatos et Coadjutores formatos, minime vero omnium in Professos. Non enim alii, quam spritus et doctrinæ selectæ viri et multum diuque exercitati, et in variis probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum, cum omnium ædificatione et satisfactione perspecti ad professionem admitti debent. Sic enim, licet multitudo augescat, non imminuetur nec debilior reddetur spiritus, dum tales sint, qui in Societatis corpus cooptantur." — Etiam P. 5. c. 2. §§. 1. et 2.

2. — Quamvis omnes virtutes inserviant unioni et concordiæ ser- 996
vandæ et augendæ, emineat tamen in omnibus Sociis obedientiæ virtus, qua omnes insignes esse studeant; nam vera obedientia non solum externam conformitatem externumque ordinem creat, sed efficit etiam internam animorum consociationem, sine qua externa quædam conformitas non diu permanebit. — P. 8. c. 1. § 3: „et quia hujusmodi unio magna ex parte per obedientiæ vinculum conficitur, hæc semper in suo vigore conservanda est; et qui foras ad laborandum in agro Dominico ex domibus mittuntur, quoad ejus fieri potest, in eadem sint exercitati. Et hac in virtute, qui primas in Societate tenent, bono sui exemplo aliis præluceant, uniti omnino cum suo Superiore et prompte, humiliter et devote ei obediendo persistant." — Huic obedientiæ fovendæ duo media afferuntur.

a. — Institui potest qui vocatur „Collateralis" — P. 8. c. 1. §. 3: 997
„ei, qui cum aliquo munere gubernandi mittetur, Collateralis socius (si Superiori videbitur, quod sic melius commisso muneri satisfaciet) adjungi poterit; qui sic se geret cum eo, qui aliis præest, et ille invicem cum hoc, ut obedientia ac reverentia subditorum debilior erga Superiorem non reddatur, sed ille potius verum ac fidelem adjutorem

et sublevatorem erga suam personam et aliorum qui suæ fidei commissi sunt, sibi datum esse in Collaterali experiatur." — In decl. D. fusius de hoc Collaterali tractatur; causæ dantur hujus institutionis; edicitur, quomodo se habeat erga Superiorem et Superior erga ipsum. Sed hæc institutio Collateralis minus probata est in Societate: et habet C. 2. D. 86: „non videtur officium Superintendentis vel nomen usurpandum in Societate, nisi ubi pro arbitrio R. P. Generalis necessitas vel magnitudo Collegii utrumque postulaverit: neque enim nomen tantum retinendum est."

998 *b.* — Aliud medium fovendæ obedientiæ in eo ponitur, ut in recurrendo ad Superiores statutus ordo servetur, quia alias facile perturbatio fit et charitas læditur. — P. 8. c. 1. §. 4: „ad eandem obedientiæ virtutem ordo bene observatus inter ipsos Superiores, quorum alii aliis subduntur, et inferiorum erga illos pertinet; ita ut singuli, qui in aliqua domo vel Collegio versantur, ad suum Præpositum localem seu Rectorem recurrant, et per eum in omnibus regi se sinant. Eis autem, qui per provinciam aliquam variis in locis disjuncti manent, ad Provincialem Præpositum vel alium localem viciniorem erit recurrendum, prout eis injunctum fuerit. Omnes vero Præpositi locales vel Rectores crebra cummunicatione cum Provinciali utantur, et juxta ejus arbitrium in omnibus se gerant. Eodem modo Præpositi Provinciales cum Generali se habebunt. Sic enim, subordinatione conservata, unio, quæ in ea quam maxime consistit, aspirante gratia DEI conservabitur." — Particularibus ex causis potest quis ab obedientia immediati Superioris, sive localis, sive provincialis, eximi et obedientiæ altioris Superioris reservari. Sed hoc valde raro fit; et dicit decl. E: „ut plurimum tamen prædicta obedientiæ subordinatio eo melior erit, quo perfectius observabitur."

P. 4. c. 15. §. 5: „[Rector] memor sit etiam subordinationis integre observandæ in obedientia, non solum ad Generalem, sed ad Provincialem quoque, certiorem eum de quibus oportet reddendo... et quæ ab ipso injuncta fuerint (quandoquidem ipsum Superiorem habet) exsequendo; ut æquum est, ad se referri sibique obedientiam præstari ab iis, qui in Collegio degunt; qui quidem Rectorem suum magnopere revereri ac venerari, ut qui CHRISTI Domini nostri vices gerit, debebunt, liberam sui ipsorum rerumque suarum dispositionem cum vera obedientia ipsi relinquendo."

P. 10. §. 9: „sed inprimis id [unionen membrorum hujus Societatis inter se et cum suo capite] præstabit obedientiæ vinculum, quod particulares cum suis Præpositis et hos ipsos inter se et cum Provin-

cialibus, et utrosque cum Generali uniet, ita ut inter omnes diligenter subordinatio servetur."

3. — Tertium servandæ colendæque unionis medium in eo est, ut subditi quam cautissime abstineant ab omnibus dictis et factis, quibus lædatur charitas, perturbetur quies, tollatur pax et concordia inter sodales. Quæ sint singulæ hæ læsiones et perturbationes, expressis verbis quidem non indicatur, quum ea omnia comprehensa intelligantur, quæ sint contra strictissimum præceptum charitatis christianæ et fraternæ, quæ inter nos viget. Eruitur potius ex iis, quæ in hac materia Constitutiones statuunt, quanti faciat Societas hoc vitium vitandum, quantamque habeat curam, ut gravissimum hoc malum amandetur. 999

a. — Non declinat Societas ab infigendis gravissimis pœnis in ejusmodi delinquentes, imo descendit ad extremum quod ei præsto est medium, separationem dico et dimissionem. — P. 8. c. 1. §. 5: „si quis divisionis vel dissensionis eorum, qui una vivunt, inter se vel cum suo capite auctor esse cerneretur, diligentissime ab ea Congregatione velut pestis, quæ eam potest summopere inficere, si præsens remedium non adhibeatur, separandus est." — Et decl. F: „separare, intelligendum est, vel omnino a Societate dimittendo, vel in alium locum transferendo, si hoc sufficere videretur, et ad divinum obsequium ac commune bonum, judicio illius, qui curam ejus habet, magis conveniret." 1000

P. 2. c. 2. §. 3: „et multo magis dimitti oporteret, si damnum allaturus malo vitæ exemplo judicaretur; ac præcipue, si inquietum se ostenderet, et verbis aut actibus offendiculum aliis præberet. Hoc enim tolerare charitatis non esset, sed vitii contrarii in eo quidem, qui tenetur conservare quietem et bonum statum Societatis sibi commissæ." — Explicatur in decl. D: „aliis offendiculum præbere ille intelligitur, qui sui exemplo peccandi occasionem eis præbet, et quidem amplius, si verba adjiceret suasoria, ut ad aliquid mali alliceret, præcipue ad instabilitatem in sua vocatione; vel ad discordiam; vel si quid contra Superiores vel commune Societatis bonum moliretur. In quibus enim talia locum haberent, rationi consentaneum non esset, ut ii in Societate manerent."

C. 5. D. 54 (et 15): „quocirca Congregatio declarat, ejusmodi homines, tantorum malorum auctores, aliorumque seductores, ac eorundem vere complices, censuras et pœnas omnes in Apostolicis Bullis contentas incurrisse. Necnon decernit, eos omnes, utpote gravissimæ divisionis Societatis auctores, a tota Societate velut pestem quamprimum separandos esse; judicio Patris Præpositi permittens, utrum eos peculiaribus

pœnitentiis ante dimissionem castigari conveniat." — Quæ decreta sunt a Congregatione quinta circa hanc rem, Paulus V. „quantum religio" 4 Sept. 1606 expressis verbis confirmavit pœnasque ecclesiasticas statuit.

1001 *b.* — Ut clarius pateat, quantum sit hoc vitium, et ut omnes ab eo magis abhorreant, designatur a Congregatione id esse casum reservatum. — C. 5. D. 51: „sexto detractio famæ bonæque existimationis aliorum et discordiarum seminatio inter fratres." — Ubi sub voce „Fratres" etiam externi comprehenduntur; at practice ad solos Nostros restringendum.

1002 *c.* — Accusationes falsæ quam severissime puniantur. — C. 7. D. 12. „censuit Congregatio, illos omnes, qui seu scripto seu verbo falsum alteri crimen imponerent, sive id temere et ex inanibus suspicionibus, sive ex alia quapiam minus probata causa facerent; eosque etiam, qui graves Nostrorum defectus occultos aliis, quam Superioribus aperirent, graviter severeque pro delicti qualitate puniendos. Superiorum vero conscientiam, juxta instructionem Congregationis sextæ, tamquam in re gravissima et inimica unioni gravandam inprimis hoc decreto eadem Congregatio censuit, ut serio in auctores inquirant severeque puniant, ac publice etiam in publicis delictis; ut horum exemplo reliqui a simili culpa terreantur, et innocentia unicuique sua apud omnes constet. Quodsi auctores ipsos manifestare recusaverint, pro ipsis auctoribus habendos eademque pœna mulctandos. Sed neque ipsi Superiores faciles delatoribus aures fidemque præbeant: disquirant singula nec laboribus parcant, donec in delatæ rei cognitionem veniant; ut aut innocentem ab omni delicti supicione liberent, aut noxium et falsum delatorem pro rei gravitate puniant. Ipsum etiam R. P. Nostrum universa Congregatio rogandum censuit, ut exemplum in hujus Decreti transgressores statuat, digneturque delationibus modum statuere, diligenterque in auctores resque delatas inquirere, ut si nocentem eum, qui defertur, deprehenderit, pro delicti conditione puniat: si innocentem, non patiatur, delatorem impunitum abire. Optaretque eadem Congregatio, in scriptionibus modum teneri, ut nemo ad mediatos Superiores dicta factaque aliorum deferat, nisi prius Superiores immediatos, juxta bene ordinatæ charitatis et prudentiæ leges, per se aliosve monuerit; addatque in iis, quas scribit litteras, monuisse se Superiorem, nec emendationem secutam: nisi graves admodum causæ hunc ordinem invertendum suaderent: quod ubi acciderit, causas transgressi ordinis in litteris ad mediatum Superiorem addat." — cf. Decr. 93. — C. 12. D. 18. — Instr. 13. c. 4. §. §. 1. et 2.

1003 *d.* — Recensentur expressis verbis ii in hac materia delinquentes,

qui gravioribus pœnis digni habeantur. — C. 9. D. 5: „rogata est Congregatio, ut fortissimis remediis occurreret paucorum factionibus, qui cum offensione plurimorum et emendicato externorum auxilio contra Superiorum voluntatem, novarum provinciarum erectiones extorquere conantur. Censuit autem Congregatio, factiosos ejusmodi, quales in postulato exprimuntur, esse Societatis perturbatores, eosque omnibus perturbatorum pœnis subjectos esse voluit; extendendo, in quantum opus esset, ad illos, quæcunque in superioribus Congregationibus adversus Societatis perturbatores constituta fuere. Cumque postmodum postulatum etiam fuisset, ut hoc Decretum ad eos quoque extenderetur, qui per similes factiones legitimas provinciarum divisiones impedire conantur, ad istos quoque extendendum Congregatio decrevit." — Simili modo C. 9. D. 25: „quoniam variis Decretis sancita est pœna in perturbatores Societatis, rogata est Congregatio ut, quinam censendi essent tales, declararet.... his vero adnumerandos esse, qui libellis scriptis aut impressis Societatem ejusque vivendi aut gubernandi modum aut Superiores traducunt, quique ita palam ac passim de Instituto obloquuntur, ut censeri possint velle alios in suam sententiam pertrahere."

e. — Demum statuitur, non requiri formalem probationem criminis 1004
commissi, ut quis possit puniri. — Ibid.: „cum autem ulterius quæsitum esset, quænam forma probationis requireretur ac sufficeret, ut quis damnari posset pœnis contra perturbatores impositis, censuit Congregatio, satis esse, si de crimine certo constet, juxta morem Societatis in Constitutionibus et Pontificum Bullis approbatum." — Notum est, etiam in aliis criminibus probandis et puniendis, v. g. ambitus commissi, vel etiam, si agatur de dimissione seu ejectione, in Societate non requiri formam judicialem.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MEDIIS SERVANDÆ UNIONIS EX PARTE SUPERIORUM.

Studio servandæ confirmandæque in Societate unionis præprimis Superiores nostros eminere debere, ex conditione eorum munerisque, quo funguntur natura, per se fluit; monentur etiam singuli in suis regulis, in hanc curam summopere incumbere. Tangemus hic summa capita tantum.

1. — Superiores iis dotibus, tum naturalibus, tum magis etiam 1005
supernaturalibus, ornatos esse oportet, quibus et auctoritate apud

subditos valeant, et animos sibi concilient; nam auctoritas cum charitate sunt subsidia fortissima, quibus bonum gubernium nititur. — P. 8. c. 1. §. 6. innuitur hoc de Generali et consequenter de omnibus aliis officialibus, in quos ejus influxus descendit. Sufficit igitur hic de quovis Superiore indicare, quæ in P. 9. c. 2. de Generali habentur: ut sit Superior cum DEO conjunctus ipsique quam maxime familiaris in orationibus; ut sit in omni virtutum genere exemplum aliis; ut liber sit ab omnibus inordinatis affectionibus, per gratiam DEI edomitis et mortificatis; ut nihilominus severitatem necessariam cum benignitate et mansuetudine miscere didicerit; ut sit in eo animi fortitudo et magnitudo ad aliorum infirmitatem ferendam. Requiruntur in Superiori etiam dotes naturales; sufficiens doctrina, discretionis donum; vigilantia et sollicitudo; corporis valetudo et decentia; similia, quibus tum apud suos tum apud externos ædificationi sit. Nemo non videt, Superiorem talem quam maxime idoneum esse, tum exemplo tum verbo illud mutuæ charitatis vinculum fovere, quo omnes Socii inter se nectantur.

1006 2. — Præter has dotes personales insit, necesse est, in Superiore ea potestatis plenitudo, ut subditi in omnibus ab ipsis pendeant pro ratione et ambitu muneris commissi. Sic enim rectus ordo custoditur, quo omnis unitas et conformitas nascitur et stabilitur. — Habet P. 9, c. 3. §. 1: „ut bene gubernetur Societas, expedire valde videtur, ut Præpositus Generalis omnem habeat auctoritatem in Societatem ad ædificationem." — Et quod de Generali dicitur, mutatis mutandis tenendum est de omnibus aliis officialibus; intra limites sui muneris et juxta regulas ad singulos spectantes omnem auctoritatem ad ædificationem habeant.

Ita de Provinciali ejus reg. 8: „præter facultates, quæ in his regulis conceduntur, habet etiam eas omnes, quæ in Compendio facultatum Societatis Provincialibus concessæ sunt, quas ex Compendio ipso intelliget." — Reg. 9: „omnes facultates eorum Superiorum, qui Provinciali subordinati sunt, ad ipsum quoque pertinent, ab ipsoque etiam suspendi poterunt, quando ei expedire in Domino videbitur." — Reg. 7. in qua etiam proferuntur, quæ inter ipsum et Generalem valent: „sicut Provincialis, quando necesse est, in regulis, ordinationibus, Decretis, in ipsis etiam Constitutionibus cum particularibus dispensare potest, sic, cum dispensaverit in rebus majoris momenti, quæ videantur urgere, et in quibus sine gravi incommodo Generalis responsum exspectari nequeat, debet eum primo quoque tempore de hujusmodi dispensatione et ejus causa admonere."

Simili prorsus modo est de Superioribus localibus, juxta naturam et intra limites muneris eorum, et pro ratione subjectionis, qua Provinciali subduntur. — Reg. Rect. 10. et 12. — Rectoris etiam est, tueri tum suam ipsius, tum eorum officialium qui ei subsunt auctoritatem. — P. 4. c. 10. §. 8: „curet Rector, ut in suo officio cuique integram obedientiam collegiales præstent, et alii officiales Ministro, et sibi etiam ipsi, prout idem præscripserit."

3. — Sed præter aptitudinem et auctoritatem in Superioribus tertium 1007
fovendæ unionis medium in eo est, ut pateat subditis facilis accessus ad Superiores suos, saltem per litteras ultro citroque missas. Inde est, ut Generalis quam plursimum Romæ resideat, quo omnes sciant se posse recurrere et ipsum invenire. — P. 8. c. 1. §. 7: „et ut locus magis conveniat ad communicationem capitis cum suis membris, conferre plurimum potest, ut Præpositus Generalis magna ex parte Romæ resideat, ubi cum aliis omnibus locis Societatis faciliore uteretur commercio. Provinciales itidem in iis locis diutius versabuntur, unde cum inferioribus et cum Superiori Præposito commoda fuerit communicatio, quantum in Domino id effici poterit." — Attamen restringitur hoc in decl. H: „poterit [Generalis] nihilominus subditos aliis in locis, prout occasio et necessitas occurrerit, visitare, et prope Romam aliquando habitare, prout ad majorem Dei gloriam fore judicaverit." — Et decl. J: „de visitatione Præpositi Provincialis eadem erit ratio atque Generalis; poterit enim id facere, cum videbitur ad Dei majus obsequium fore; estque id valde proprium ejus officii. Cum tamen aliquo in loco diutius est ei residendum, si fieri potest, locum eligat, ex quo cum subditis et cum Generali crebra communicatione litterarum uti possit."

Et hæc litterarum communicatio valde commendatur in §. 9: „magnopere etiam juverit litterarum ultro citroque missarum inter inferiores et Superiores frequens commercium; et cebro alios de aliis certiores fieri, ac audire, quæ ex variis locis ad ædificationem et eorum, quæ geruntur cognitionem afferuntur. Cujus rei Superioribus ac præcipue Generali et Provincialibus cura erit, eo constituto ordine, ut quovis in loco, quæ ad mutuam consolationem et ædificationem in Domino faciunt, ex aliis sciri possint." — In Decl. M. et N. accurate præscribitur, quoties et quando hæ litteræ inter Superiores et inferiores scribendæ sint.

ARTICULUS QUARTUS.

DE MEDIIS UNIONIS SERVANDÆ EX UTRAQUE PARTE.

Hactenus de mediis unionis charitatisque fovendæ, quæ vel a subditis vel a Superioribus adhibeantur. Sunt etiam media magis generalia et ad utramque partem spectantia, quibus tum Superiores tum subditi utantur; quæ aut negativa sive prohibentia, aut positiva sive præcipientia sunt; de quibus in distinctis numeris agere expedit.

I. MEDIA UNIONIS SERVANDÆ NEGATIVA.

1008 1. — Imprimis vitanda est diversitas doctrinæ opinionumque. — P. 8. c. 1. K: „cum iis, qui adhuc litteris operam non dederint, curandum est; ut omnes (ut plurimum) eandem doctrinam, quæ in Societate fuerit electa ut melior et convenientior Nostris, sequantur. Qui autem studiorum cursum jam peregerit, advertat, ne opinionum diversitas conjunctioni charitatis noceat; et quoad ejus fieri poterit, doctrinæ in Societate communiori se accommodet." — Sanctum Ignatium hic non intelligere doctrinam ad dogmata spectantem patet, cum in istis diversitas per se excludatur; sed loquitur de sententiis et opinionibus controversis, quæ ceteroquin rationibus solidis fulciantur, et in quibus diverso modo sentire alias quidem liceat. Et merito sane sanctus Parens hanc opinandi diversitatem reprimit omnino, cum nihil sit, quod magis sejungat separetque animos hominum etiam piorum, quam hæc doctrinæ oppositio; quæ eo usque nonnunquam progreditur, ut commercium mutuum vitetur, non sine scandalo et offensione Sociorum in religione. Non excusatur quidem, sed explicatur talis defectus ex innata homini proclivitate, tenaciter iis inhærendi, quæ ipse vera esse putat, et abhorrendi ab iis, qui aliter sentiunt. — Inde etiam fit, ut prohibitum sit in Societate differentias tales prodere vel scriptis vel verbis: „doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec scriptis libris." — P. 3. c. 1. §. 18. — „Idem sapiamus, idem dicamus quoad fieri potest, juxta Apostolum." — Et ut hæc uniformitas doctrinæ melius servetur, vult Societas, ut sequamur ordinarie doctrinam communem, maxime in theologia et philosophia, caveamusque a pruritu declinandi incaute et præcipitanter in nova et insolita. — Videamus P. 4. c. 5. §. 4. — c. 14. §. 1. — C. 5. D. 56. — C. 22. D. 37. — C. 11. D. 22. — C. 21. D. 14. — Sed de his jam egimus in Parte quarta Constitutionum.

2. — Ne in exterioribus quidem rebus tum profanis tum sacris ulla diversitas appareat, ut in vestitu, conversatione cum externis, sacris functionibus. — P. 8. c. 1. §. 8: „etiam in exterioribus [multum conferet consensio], ut est vestitus, ceremoniæ Missæ et reliqua, quantum personarum et locorum et ceterorum varietas permittat." — Ex c. 5. §. 7: „Sed nec publice Missam dicere debet [sacerdos recens admissus], donec coram aliquo vel pluribus domesticis privatim eam dicat, et admoneatur, ut in modo dicendi conveniat cum aliis de Societate, inter quos agit, et se ad ædificationem eorum, qui illam sunt audituri, componat." — P. 4. c. 8. §. 2: „et ceremoniis iisdem omnis Societas, quantum fieri potest, utatur in quibus usum Romanum ut magis universalem, et quem peculiari quadem ratione Sedes Apostolica amplexa est, quantum patietur regionum varietas, sequetur." — Præcipue in reg. sacerd. 10: „modum ea sacramenta ministrandi, quæ sacerdotes nostræ Societatis tractare possunt, perspectum omnes habeant, in eoque uniformes sint, quantum regionum varietas patietur: formam tamen et rationem absolvendi ab excommunicatione et aliis censuris et peccatis eandem omnes sequantur: attendantque, ne ex modo utendi facultatibus Societatis Ordinarii et parochi jure offendi possint." 1009

3. — „Nemo præter eos, quibus per Superiorem licet, quidquam aliis jubeat aliosve reprehendat." — Reg. com. 31. — Jure optimo, cum utrumque penes solos Superiores sit, cumque debitus ordo lædatur, si ab alio quocunque fiat. Nec invenitur quidquam, quo amor sui ipsius, ne dicam inordinatus sed etiam justus, magis offendatur, quam per mandata et vituperia facta ab iis, quibus non est jus hæc faciendi, quique nobis vel pares vel etiam inferiores sunt. Utinam hic defectus mandandi vituperandive alios procul absit a nostris communitatibus; quot et quantæ pacis concordiæque perturbationes eo ipso etiam amandatæ essent. 1010

4. — Particularis quivis amor particularisque propensio inter nos locum non habeat, neque quoad nationes quascunque, neque quoad ullas personas singillatim. 1011

a. — Itaque hic qui nunc viget falsus spiritus nationalis, sive iste inordinatus amor suæ nationis et patriæ vel etiam alius gentis et imperii, minime tolerari potest; neque permitti, ut, quod fieri solet, vituperiis judiciisque sinistris de oppositis partibus manifestetur. — P. 10. §. 11: „in ipsa vero Societate nec sit nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis, quæ esset fortassis inter

Principes vel Dominos christianos; sed sit potius quidam universalis amor, qui partes omnes, licet sibi invicem contrariæ sint, in Domino nostro amplectatur." — Reg. com. 30: „caveant sibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus sinistre sentire aut loqui solent: quin potius et bene sentiant, et peculiari affectu diversas a sua nationes prosequantur in Domino. Ac proinde nemo bella contentionesve inter christianos Principes in colloquium inducat." — Rationes:

α. — Ista propensio et prædilectio suæ nationis est origine sua affectus mere naturalis, imo non raro æstimatio propriæ personæ non bene ordinata; nihilque commune habet cum principiis fidei supernaturalibus, ex quibus omnia nostra dijudicanda sunt; quare nullum adest in ea meritum supernaturale.

β. — CHRISTUS Salvator noster amore suo mundum universum complexus est proque omnibus hominibus sanguinem fudit, quærens omne, quod perierat. Et Paulus Apostolus: „Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor" est.

γ. — Societas JESU est ordo prorsus universalis multiplici sensu: componitur enim ex Sociis nationum omnium et maxime diversarum; habitat dispersa per omnes mundi partes; operam impendit omnibus gentibus et populis. Cor igitur nostrum dilatatum sit oportet, complectens quam diversissimas partes et factiones et tribus, nec coarctatum inter angustos limites regionis cujusdam et classis hominum singularis."

δ. — Hæc præoccupatio inclinans ad alterutram partem factionum litigantium facillime discordes reddit Socios in eadem communitate sive domo cohabitantes; et ita fit non raro, ut ex bello inter externos oriatur bellum internum inter religiosos in eodem loco commorantes.

Nota. — Clarum est, si bellum inferatur religioni, Ecclesiæ, summo Pontifici, standum nobis esse ex parte veritatis et justitiæ, quidquid sit de diversis nationibus diversisque imperiis et regnis. Attamen ne tunc quidem abripi nos sinamus affectu quolibet christianæ charitati contrario, quum charitatis lex ubique et in omnibus nos dirigere debeat. — Nec diffitemur, quandam prædilectionem patriæ justam esse, quatenus ibi cum majori spe fructus faciendi laboramus, ubi per originem, linguam, consuetudines, aptiores sumus.

1012 *b.* — Nec minori cura cavendum est a particulari amore et inclinatione ad personas singulares, sive externas, sive internas et domesticas, quum talis affectus nec ratione nec fide probetur. Hæ sunt istæ amicitæ privatæ, quæ vocantur, tam perniciosæ in hominibus religiosis. — Industr. c. 8. §. 9: „si peculiari aliquo affectu, etiam naturali, et veluti sympathia, affici se erga aliquem sentiat, curet statim initio omnem extraordinariam communicationem abrumpere et communi tantum

charitate illum amplecti. (Vix enim dici potest, quanta incommoda oblocutionum, detractionum, querelarum, delationum, suspicionum, inimicitiarum, conventiculorum, munusculorum et similium, ex singulari et extraordinaria communicatione oriantur.) Sed omnes uno spiritu complectatur." Nam:

α. — Per inordinatos hos affectus particularesque amicitias injuria infertur tum ipsi DEO Creatori nostro, tum etiam proximo. Jubemur enim diligere DEUM super omnia, omnesque alios in DEO et propter DEUM, ita ut etiam amor erga parentes et sanguine junctos, qui naturaliter in nobis inest, secundum hunc anorem DEI supernaturalem ordinetur. — Ex. c. 4. §. 7: „et ita curandum ei est, ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuat, ac illum in spiritualem convertat, eosque diligat eo solum amore quem ordinata charitas exigit; ut qui mundo ac propiio amori mortuus CHRISTO Domino nostro soli vivit, eumque loco parentum, fratrum, et rerum omnium habet." — P. 3. c. 1. §. 18. — P. 10. §. 11. — Sum. 8.

β. — Nec tamen vetamur, majori cordis affectu eos amplecti, qui virtute et pietate præ ceteris excellunt, quum amor, quo DEUM diligimus, natura sua diigatur primo loco in eos, qui ipsi magis amici sunt ab eoque magis amantur: quare talis amor non est inordinatus nec DEO displicens. Videmus ipsum Salvatorem specialis dilectionis prærogativa insignire illum ex discipulis, qui propter singularem animi munditiam præ ceteiis ei carus erat; similiter nonnullos alios propter majorem fidei firmitatem pietatisque ardorem. — Optime quidem in Salvatore nostro, in quo omnia divina et ordinata sunt; in nobis autem qui sumus homines imperfecti et valde fragiles, etiam tunc non abest periculum deceptionis, ita ut putemus amorem virtutis esse, qui affectus est naturalis et sensualis. Imo fieri potest, ut amor initio spiritualis et justus paulatim declinet in naturalem et sensualem, et quod in spiritu incepit, in carne finiatur. — Indust. c. 8. §. 9.

γ. — Dum vero abstinemus a particulari amore et amicitia, pari 1013
cura laborandum est nobis, ne in oppositum vitium declinemus, in aversionem, iram, odium, inimicitiam. — P. 3. c. 1. P. „ferenda non est inter ullos domesticorum perturbatio, vel ira mutua; et si aliquid hujusmodi accideret, curetur, ut statim cum satisfactione debita in gratiam invicem redeant." — Eph. 4. 2-3: „cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis." — Col. 3. 13: „supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit nobis, ita et vos." — Quam

injustus sit hic aversionis affectus, statim apparet consideranti, unde in hominibus hujus defectus origo habeatur:

1. Oritur in nobis, dum in aliis animadvertimus veros defectus, qui nobis ingrati sunt. At quis ex nobis liber est a defectibus, vel aliis vel fortasse iisdem, quin eos advertamus? Quare si optamus, ut proximi nos quantumvis imperfectos supportent et ament, supportemus et nos et amemus eos imperfectos.

2. Oritur aversio ex qualitatibus naturalibus corporis vel animi, quæ nobis molestæ sunt, quas tamen alter mutare vel abjicere non potest. Nonne injustum est, reprobare in fratre nostro, quod est in ipso sine ejus culpa et quod mutare vel corrigere non est in ejus poteste?

3. Oritur demum ex offensionibus læsionibusque, quas ab aliis patimur. Advertendum autem, tales res plerumque ex inadvertentia et præter intentionem fieri, et proin sine culpa esse. Sed demus, aliqualem culpam in proximo non abesse; num nosmetipsi tantopere a culpa liberi sumus in agendo et conversando cum proximis, ut illis nunquam demus justam causam querendi de nobis.

„Petamus veniam demusque vicissim." Et: „quod vis, ut alii tibi faciant, fac illis similiter."

II. MEDIA UNIONIS SERVANDÆ POSITIVA.

1. — Hæc media vel interna sunt vel externa. Illa majoris momenti, quum sint quasi fundamentum, quo actiones externæ supportentur, et fons ex quo originem suam habeant. De his igitur primum.

014 *a.* — Primum sedem habet amor Dei verus et efficax, idemque Salvatoris nostri Jesu Christi. — Sic P. 8. c. 1. §. 8: „præcipuum utriusque partis vinculum, ad membrorum inter se et cum capite suo unionem, amor est Dei ac Domini nostri Jesu Christi, cum cujus divina ac summa bonitate si Superior et inferiores valde uniti fuerint, perfacile inter se ipsos unientur; idque per eundem illum amorem fiet, qui a Deo descendens ad omnes proximos, ac peculiari ratione ad corpus Societatis pertinget." — Sic jam est ex lege Christi inter mundanos christianos, ut alter alterum complectatur in amore Christi: domini servos, parentes liberos, vicini vicinos, divites pauperes et egenos; quo fit, ut ista universalis familia christiana uniatur sub uno capite et patre, qui est Christus Salvator. Nonne a fortiori id obtinere debet in religiosis familiis, quarum membra arctius etiam colligata sunt in prosequendo uno eodemque supernaturali fine?

b. — Hic Domini nostri amor per se etiam amorem Societatis nostræ postulat: „amor ille, qui a DEO descendens ad omnes proximos, ac peculiari ratione ad corpus Societatis pertinget." — §. 8. — Et revera, filiali pietate et dilectione in Societatem feramur necesse est, quæ nutrit et fovet nos in sinu suo materno multo efficacius, atque mater naturalis filios suos fovere et nutrire potest. Quum igitur omnes simus filii uterini ejusdem matris fratresque inter nos altiori sensu, quam caro st sanguis eos parere potest, nonne absonum esset non amplecti speciali prorsus modo omnes Socios nostros et cum omnibus his uniri in filiali tenerrimoque affectu erga matrem communem nostram et dilectissimam, cujus vita et sors magis nobis cordi est, quam propria vita et sors, cum qua vivere statuimus et pro qua mori parati sumus. 1015

c. — Ex hoc amore supernaturali et sincero ultro ea reverentia gignitur, qua omnes et singulos Socios prævenimus et honoramus. — Summar. reg. 29: „in omnibus rebus procurando atque optando, potiores partes aliis deferre; omnes in animo suo tamquam sibi superiores ducendo; et exterius honorem ac reverentiam, quam exigit cujusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibendo; atque ita fiet, ut se mutuo considerantes in devotione crescant, DEUMque Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoscere studeat." — P. 3. c. 1. §, 4. 1016

d. — Et quo magis cordis nostri benevolentia in DEUM fertur et propter ipsum in fratres nostros, eo longius abstrahimur ab amore proprio, quo omnis amor supernaturalis enecatur: induimurque sensis humilitatis obedientiæ, paupertatis, quæ unionem et pacem inter nos nutriunt. — P. 3. c. 1. §. 4: „omnes diligentissime curent... se in pace et vera humilitate interna conservare sine ullo impatientiæ aut superbiæ signo... in omnibus procurando atque optando potiores partes aliis deferre; omnes in animo suo tanquam sibi superiores ducendo, etc." 1017

2. — His internis mediis fovendæ unionis addenda sunt media externa quippe quæ ex internis genita manifestant sensus internos, simulque etiam internos amoris affectus firmant et augent.

a. — Uniformitas appareat in externa vitæ ratione, in victu, vestitu, habitaculo aliisque corpori necessariis: nec minus in sacris functionibus externis, in Missa dicenda, sacramentis administrandis et ejusmodi. — P. 8. c. 1. §. 8: „multum etiam conferet [ad unionem] consensio tum in interioribus..., tum etiam in exterioribus, ut est vestitus, ceremoniæ Missæ, et reliqua." — Summ. 42. — In hac re ipse Superior suo exemplo præeat; reg. Rect. 2: „communes regulas ipse servet, et par- 1018

ticularia in cibo, indumentis et aliarum rerum usu, quantum fieri potest, vitet; et familiaritate atque indulgentia cum quibusdam alios ne offendat." — Sapientissime dictum.

In C. 7. D. 7. summopere approbatur, Generalem resignasse propriam mensam: „laudavitque propensam in communem mensam voluntatem Patris Nostri, Deum precata, ut eamdem in illo mentem perpetuet et successionibus largiatur." — Hoc factum est, antequam Clemens VIII. et Urbanus VIII. omnibus Superioribus injungerent, ut communi mensa uterentur. — De litaniis recitandis habet C. 9. D. 7: „Congregatio inductum hunc in Societate morem laudans atque approbans, ad inducendam uniformitatem statuit, ut ubique: Ave Maris Stella, Sub tuum præsidium et oratio: Defende quæsumus, quotidianis Sanctorum litaniis adjungantur."

1019 *b.* — In ægrotos et debiles amor noster imprimis dirigatur, quippe qui ope nostra præ ceteris indigent. — P. 3. c. 2. §. 6: „sit aliquis domi, qui præsit in iis, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent tum conservandam in sanis (et quidem in iis præsertim, qui ex ætate vel aliis de causis sunt debiliores), tum restituendam in ægrotantibus; cui debeant omnes, si male se habere extraordinarie senserint, id referre: ut de remedio, prout charitas exigit, convenienti provideatur." — Decl. G: „cura habeatur ægrotorum magna, quorum ægritudo simulatque infirmario indicata fuerit, si senserit ille rem esse alicujus momenti, Superiorem admoneat; et vocetur medicus, etc." — „Nihilominus tamen, si experimento comperirietur aliquis ferre non posse alicujus regionis cœlum et male habere continenter cerneretur, Superiori considerandum relinquitur, num ille migrare alio debeat, ubi melius habens corpore, impensius divino servitio vacare possit." Attamen ipse infirmus hoc non postulet, sed relinquat Superiori. — Reg. Rect. 59: „ægrotorum cura habeatur magna; et observetur diligenter tam in victus ratione, quam in ceteris, quod medicus præscripserit." — Reg. Min. 5: „eorum potissimum rationem habeat, qui in corporis cura minorem de se ipsis sollicitudinem gerunt; curetque, ut adsit, cum medicus ægrotos inviset." — Reg. Præf. san. 2 — Reg. Infirmar. 2. —

1020 *c.* — Hospitales ut sint quam maxime, Nostri admonentur. — C. 7. D. 18: „censuit Congregatio, Beati P. Nostri majorumque vestigiis fortiter insistendo, magna ubique charitate hospitio excipiendos, ut mutui amoris vinculo arctius in dies colligemur, maxime cum liberalior in Nostros hospitalitas una e primis validisque inter nos conjunctionis causis merito numerari debeat. Neque permissurum unquam DEUM, ut irremuneratam relinquat benignitatem, sed ingenti fœnere compen-

saturum, ut non una in hanc diem Societatem in variis provinciis experientia docuit." — Nec quidquam ab hospitibus compensationis exigendum vel admittendum, nisi negotiorum causa vel sanitatis recuperandæ longiorem alicubi moram duxerint. — Reg. Rect. 80: „charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Collegium transeuntes; eosque amanter hospitio excipiat; ac meminerit, se aliquo viatico aut eleemosyna eos, si indigerent, juvare posse; curet item diligenter dirigere ac juvare expeditiones hospitum, qui negotiorum causa domi versantur." — P. 4. c. 2. F. — P. 6. c. 2. D. — Reg. com. 48.

Nota. — Non raro accidit, ut hospes in aliena domo valde solitarium et derelictum se sentiat, non obstante Superiorum cura et benevolentia. Charitas suadet, ut intra limites regulæ et consciis Superioribus domus, illi nos offeramus ad præstanda illa auxilia, quæ in se quidem parva, sed ex affectu exhibita magnopere juvant ad confortandum vinculum charitatis fræternæ; v. g.: subministrare utensilia; ostendere domum, sacellum, bibliothecam; comitem exeunti se præbere; cet. Quam maxime jucundum est hospiti postea recordari de talibus benevolentiæ significationibus, quæ probant, esse nos, quamvis diversis in locis habitantes, unam magnam familiam, cujus filii dispersi, simulatque DEO disponente conveniunt, familiari quoque et efficaci amore inter se complectantur.

d. — Recreatio communis, qua quotidie ex regula fruimur, non est 1021
solum ad relaxandum spiritum viresque recuperandas, sed potissimum etiam ad fovendum affectum charitatis fraternæ. — Ponamus hoc loco omnia ea, quæ de hac recreatione facienda Constitutiones exhibent. — Reg. Rect. 55: „a prandio et a cœna hora una, diebus autem veneris post collationem vespertinam dimidia recreationi religiose impendatur; idque in uno loco, si commode fieri poterit. Sed neque extra hujusmodi horas labores nimium continuari sine aliqua convenienti relaxatione sinat." — C. 6. D. 6: „cum itaque multa hinc inde diu a Patribus allata in medium fuissent, visum tandem est majori parti, nihil de consueta illa hora recreationis detrahendum esse, de qua loquitur regula Præp. 56. et Rect. 55; verum enitendum esse diligenter, ut aliis rationibus, quæ a diversis propositæ fuerant, occurreretur incommodis, quæ certum est alicubi in recreationibus inveniri, aut ex iisdem promanare."

α. — Non fit recreatio ultimis diebus hebdomadæ sacræ. — C. 7. 1022
D. 34: „ad illud, quod quidam proposuerant, placeretne Congregationi in posterum abstineri a recreatione in hebdomada sancta, a feria quarta post decantatas tenebras usque ad vesperam feriæ sextæ inclusive, censuit Congregatio, ab omni illis diebus recreatione in honorem ac reverentiam dominicæ passionis abstinendum."

1023 β. — Secundam recreationem habere quidam possunt. — Ord. c. 4. §. 21: „qui in refectorio vel culina tempore primæ aut secundæ mensæ ministrant, noverint eandem sibi legem [silentii] esse servandam, quamvis secundæ recreationi iidem interesse poterunt." — Instr. 13. c. 3. §. 3.

1024 γ. Quomodo in recreatione agendum sit, dicitur jam in P. 3. c. 1. §. 4., de modo cum Nostris agendi in genere. In specie autem in Ord. c. 4. §. 22: „studeant omnes recreationis tempus religiose transigere, ne spiritus liberiore conversatione intepescat plurimumque distrahatur; curentque rerum curiosarum ac ludicrarum narratiunculis amandatis, ea quæ pios religiosos decet, loqui assuescere; quo fiet, ut cum erit nobis cum externis agendum, ea colloquia miscere noverimus, quæ pietatem oleant et audientes ædificent." — Imprimis Instr. 13. c. 9: „de recreatione quotidiana religiose transigenda"; cujus est § 2: „ut peculiaris hac in re diligentia a Superioribus adhibeatur (quibus præeundum erit exemplo ceteris), ut recreationis tempus juxta reg. Præpos. 56. et 55. Rect. religiose impendatur. Quod nisi recte et ut religiosum decet et ut finis hujus institutionis postulat, traducatur, refrigescat spiritus necesse sit plurimumque distrahatur. Quo sane fiet, ut dum inter nos ea, quæ pios viros decent, loqui non assuescimus, deinceps etiam cum externis ea colloquia minime miscere noverimus, quæ pietatem redoleant et audientes ædificent."

§. 3: „advigiletur igitur, ut non solum exterminentur, si quæ sunt, oblocutiones et obmurmurationes, sed explodantur etiam a religiosa recreatione rerum curiosarum ac ludicrarum narratiunculæ, libertasque et sæcularitas indecora. Sæculares autem rumores, qui foris audiuntur, juxta regulam nec temere nec sine fructu domi narrentur."

§. 4: „proinde suppeditabit abunde materiam recreationi nostræ Catalogus a P. Natali p. m. confectus, qui saltem quotannis ad memoriam excitandam semel atque iterum legendus erit ad mensam; tum lectiones quotidianæ, quæ in refectorio audiuntur, præsertim litteræ annuæ; denique spiritualium librorum frequens lectio, si ei tempus juxta regulam arbitrio Præpositi, Rectoris aut Præfecti spiritus statis horis studiose impendatur."

§. 5: „porro consuetudo visendi sanctissimum Sacramentum a prandio vel a cœna, uti nullo modo generatim præscribenda est, ob multas rationes, ita nequaquam omnino prohibenda videtur, si et ipsa loci dispositio faciliorem eam reddat aliquibus, qui sponte velint accedere; quibus Superioris erit, si nimii fuerint, modum indicere."

§. 6: „postremo ad præcavenda liberioris conversationis incommoda

præmonendi erunt omnes in exhortationibus, ut ab hujusmodi narrationibus et collocutionibus abstineant, adhibeanturque ad eam rem idonei syndici et submittantur subinde viri probi spirituales, qui sermones sanctos et religiosæ recreationi convenientes inducant; nec desint transgredientibus pœnitentiæ, vel ab ipsamet recreatione ad tempus submovendis, quando hac in re non leviter eos peccasse Superior perspicue animadverterit." — Hæc de recreatione.

e. — Aliud fovendæ unionis medium externum est mutuum mitten- 1025
darum litterarum commercium, præsertim inter Superiores et subditos. — P. 8. c. 1. §. 9: „magnopere etiam juverit litterarum ultro citroque missarum inter inferiores et Superiores frequens commercium; et crebro alios de aliis certiores fieri ac audiri, quæ ex variis locis ad ædificationem et eorum, quæ geruntur, cognitionem afferuntur. Cujus rei Superioribus ac præcipue Generali et Provincialibus cura erit; eo constituto ordine, ut quovis in loco, quæ ad mutuam consolationem et ædificationem in Domino faciunt, ex aliis sciri possint."

· Quoties scribendum sit ad Superiores ex officio, enumeratur in C. 1026
2. D. 54. et in „formula scribendi" c. 2.:

α. — Ordinarie ad Generalem ex officio scribere debent Provinciales semel quolibet mense; Rectores, Superiores domorum, in quibus saltem sex sunt Sacerdotes, Instructores Patrum tertiæ probationis et Magistri novitiorum tertio quoque mense; Superiores domorum minorum bis in anno; imo 1830: Superior residentiæ utut parvæ scribere debet ad Generalem, etiamsi huic residentiæ deficiant consultores. Consultores Provincialium mensibus Januario et Julio; Consultores Superiorum localium mense Januario; Socius Provincialis saltem semel quotannis.

β. — Ordinarie ad Provincialem ex officio scribere debent Rectores et Superiores domorum, in quibus saltem sex sunt Sacerdotes, singulis hebdomadis; Superiores minorum domorum bis in mense; Consultores Superiorum localium mensibus Januario et Julio; Instructor tertiæ probationis sæpe et sub finem anni; Magister novitiorum ad minimum sexto quoque mense et sub finem biennii novitiatus: Rector Universitatis bis in anno. Missi ad fructificandum in agro Domini scribant ad Provincialem aut ad eum, quem ille designaverit, singulis hebdomadis vel quoties ipsis fuerit præscriptum. Quoad Missiones, quæ alicui provinciæ applicatæ sunt atque ab ea dependent, R. P. Beckx ordinationem edidit 30 Julii 1874.

Litteræ annuæ historiaque domus ex C. 2. D. 37. semel per annum scribendæ sunt; priores mittuntur in singulas provinciæ domos, ut

auditis, quæ ad ædificationem etiam alibi fiunt, omnes in animo recreentur mutuoque amore crescant.

1027 *f.* — Nutritur confidentia promoveturque harmonia quam efficacissime, quando subditi in loquendo et agendo cum Superioribus tenent modum simplicem et apertum, qui æque distet ab impudentia et arrogantia, atque a diffidentia et reticentia: ratio agendi loquendique sæcularis et politica quam longissime abest a religioso, qui mente sincera DEO servire studet. — Instr. 13. c. 8: „de humana et politica ratione agendi, præsertim in junioribus;" — 1) excitandi quidem sunt, qui hoc malo laborant, spiritu perfectionis serioque monendi, ne huic pesti religionis adhærescant; quod magnopere dedeceat virum religiosum, qui candorem et simplicitatem profitetur, dici nedum esse politicum. — 2) Superiores, cum aliquos humanis rationibus quasi adminiculis ad suos fines consequendos uti compererint, facto ipso technas ipsorum dissolvant et cuniculos antevertant, præscindendo intersessiones, favores, machinationes ita, ut eorum consilia irrita omnino reddantur; doceanturque, dum juvenes sunt, detestari tantum malum in Societate; et servanda curent, quæ in Ordinationibus generalibus c. 4. præscribuntur. Quodsi subditis ipsis, ut suos fines propriaque commoda mediis non religiosis assequantur, tam indecorum est, quid Superioribus fiet, si in hoc ipso quo gravius eo turpius peccaverint?"

1028 *g.* — Conciliat animos exercitium genuinæ humilitatis, qua alios nobis præferri non tantum libenter ferimus, sed sollicite curamus. — P. 3. c. 1. §. 4: „in omnibus procurando atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam sibi superiores ducendo; et exterius honorem ac reverentiam, quam exigit cujusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibendo; etc." — Nil magis alienat a nobis fratrum animos, quam iste amor proprius, quo nobis solis servimus, ceteros negligimus.

1029 *h.* — Appareat demum semper ista simplex hilaritas in loquendo et agendo, quæ ultro nascitur ex animo bene ordinato, „ut serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium." Intelligitur vero, hanc serenitatem nihil commune habere cum arrogantia et frivolitate, sed esse vere modestam et religiosam.

CAPUT SECUNDUM.

De Congregationibus.

INTER media externa, quibus totum Societatis corpus coadunatur et compaginatur, praeeminent facile variae Congregationes quae vocantur, i. e. plurium membrorum legales conventus, qui secundum statuta hujus religionis suis temporibus coeunt. Et hoc ex natura rei; nam generatim in vita sociali, tum ecclesiastica tum civili, tales conventus sunt quasi quidam fons vitæ, in quem totius corporis vigor confluit, et ex quo vicissim iste vigor in omnes partes effunditur, ad confortandum totum corpus singulaque ejus membra. Hi conventus personarum legitime congregatarum per se unitatem miro modo augent copulantque quam arctissime singulorum animos in prosequendo communi omnibus fine etiam communi omnibus ratione: colloquuntur, conferunt, consultant, decernunt communicato inter se consilio, eas res, quibus totius corporis salus et energia sustentatur, crescit, laetissimos fructus profert. — In Societate JESU habentur tres Congregationes: Generalis, Provincialis, Procuratorum, quarum formae et leges in Instituto explicite recensentur; unde hic tantum summa capita proferuntur. 1030

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONGREGATIONE GENERALI

Jam in primis Pontificum Bullis horum in Societate conventuum sive consiliorum expressa fit mentio, et attribuitur illis potestas decernendi in omnibus rebus gravioribus. — Paulus III. „Regimini" 27 Sept. 1540: „qui quidem Præpositus de consilio consociorum Constitutiones ad consecutionem hujus propositi nobis finis conducentes in consilio condendi auctoritatem habeat, majori suffragiorum parte semper statuendi jus habente. Consilium vero intelligatur esse in rebus quidem gravioribus ac perpetuis major pars totius Societatis, quæ a Præposito commode convocari poterit; in levioribus autem et temporaneis omnes illi, qui in loco, ubi Præpositus noster residebit, præsentes esse contigerit." 1031
Julius III. Exposcit debitum" 21 Julii 1550: „consilium vero necessario convocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones et alia graviora, ut alienare vel dissolvere domos ac Collegia semel erecta,

intelligatur esse major pars totius Professæ Societatis (juxta Constitutionum nostrarum declarationem), quæ sine magno incommodo potest a Præposito Generali convocari."

Gregorius XIV. „Ecclesiæ catholicæ" 28 Junii 1590: statuimus, decernimus et ordinamus, ut in Societatis prædictæ Congregationibus quibuscunque eo prorsus modo procedatur, atque ea tantum tractentur et definiantur, quæ in Constitutionibus ac Congregationum generalium Decretis statutum jam est vel in posterum statuetur, ut in iisdem Congregationibus tractentur et definiantur." — Ex his apparet, esse penes ipsam Societatem statuere, quales istæ Congregationes futuræ sint, quæ jura iis competant, quando et a quo convocentur, et similia. Videamus nunc singula.

1032 1. — Congregatio generalis pleno et perfecto sensu ipsam Societatem JESU juridice repræsentat: habet proin omnem potestatem legislativam, tum ad leges novas condendas, tum ad latas abolendas. — C. 4. D. 19: „cum Congregationis Generalis, cujus est leges condere, sit etiam eas hoc modo declarare." — C. 7. D. 76: „de legibus condendis, quæ vim habeant Constitutionum et Decretorum generalium, quorum abrogatio a Generali non pendet."

Habet dein Congregatio generalis summam potestatem administrativam (in quantum non est restricta per leges Pontificias) tum bonorum temporalium, tum aliarum rerum; ordinarie tamen et exceptis nonnullis casibus eam per Præpositum Generalem exercet. — P. 4. c. 2. §. 5: „possessionem Collegiorum cum rebus temporalibus, quæ ad ipsa spectant, capiet Societas."

Sola Congregatio generalis eligit Præpositum Generalem; et hæc est causa primaria eam convocandi. — P. 8. c. 2. §. 1: „aliquando autem congregari omnino erit necessarium, ut ad electionem Præpositi Generalis, sive eligendus sit, qui in demortui locum succedat, sive aliquam ob causam ex iis, propter quas Generalis a suo officio absolvi potest." — Eligit etiam Assistentes. — P. 9. c. 5. §. 2: „electio vero quatuor hujusmodi Assistentium eorum erit, qui Præpositum eligent, quando ad id congregantur." — Dein eligit Admonitorem Generalis, juxta C 2. D. 22: „et placuit fieri decretum, ut scilicet eligeretur ex Professis quatuor votorum et ejus electioni Procuratores interessent."

1033 *Nota.* — Congregatio generalis, ut sit perfecta habeatque omnem suam auctoritatem, includit Præpositum Generalem tanquam totius corporis caput. Unde fit, ut quæ decreta sunt ante electionem Generalis, ab ipso post electionem, seu potius a Congregatione cum ipso, confirmentur. Idem accidit, quando infirmitate

prohibitus sessionibus interesse impeditur suoque loco alium substituit. — P. 8. c. 7. §. 4: »si Præpositus Generalis ea corporis va'etudine non esset, ut posset rebus omnibus tractandis interesse, posset alium suo loco substituere... sed omnia tandem arbitrio Præpositi cum suis definitoribus relinquentur.« — C. 1. D. 115: »an ea, quæ decisa sunt in Congregatione ante electionem, rata sint futura in posterum, si contra Constitutiones non fuerint. Statutum est ut non obligent in futurum, sed scribenda esse seorsum, ut possint illis uti, si volent. Quæ vero post electionem decisa sunt, scribenda esse seorsum, et ut auctoritatem haberent, quam illis Constitutiones præbent, P. 8. C. 7.» — C. 2. D. 51: »cum ex Decretis præcedentibus primam et secundam electionem unum corpus auctoritate Congregationis confectum esset, et quædam emendata; placuit eidem Congregationi, ut ea confirmarentur, ita saltem, ut ad primam Congregationem vim haberent.« — C. 3. D. 4. et 33. — Sic factum est, ut inter Decreta ante et post electionem non sit amplius differentia valoris.

2. — Quando convocanda sit Congregatio generalis, et quibus ex 1034
causis, in Constitutionibus sic definitur.

a. — Non convenit congregari certis annis recurrentibus; nec nimis crebro, quum satis provisum sit bono statui Societatis ex modo, quo gubernium et administratio omnimoda juxta statuta Constitutionum constanter exercentur. Necesse igitur est, ut adsint causæ graves et speciales. — P. 8. c. 2. §. 1: „illud imprimis suppositum sit, quod non videtur in Domino expedire, ut certis temporibus aut crebro fiat; quoniam Præpositus Generalis adjutus communicatione, quam cum universa Societate habet, et eorum opera, qui cum ipso degent, hoc laboris et distractionis universæ Societati, quantum fieri poterit, adimet." — P. 9. c. 1. C: „constat rarius congregandam universam Societatem, si Præpositus ad vitam eligetur; quandoquidem quæ fiunt Congregationes, majori ex parte ad ejus electionem, et raro in aliis occasionibus fiunt."

Jam in C. 2. D. 19. p. el.: „cum ageretur a R. P. Præposito de Congregatione generali, an certis et statutis temporibus esset cogenda, visum est Congregationi, ejus sententiam sequi, quæ septimo quoque anno eam celebrandam esse censuit, hoc addito, quod si major pars Provincialium in septimo anno judicaret, res graves non esse, quæ tractari in Congregatione debeant, differri possit in biennium, ita ut nono quoque anno ad summum celebrari debeat. Sed intercessum est et intercessio obtinuit, ne ullum certum tempus præscribatur; sed tertio quoque anno veniant simul ex omnibus provinciis Procuratores, qui Professi quatuor votorum et viri maxime idonei sint, a Congregatione provinciali electi, et habeant jus suffragii simul cum Assistentibus et ipso Patre Generali, qui duo suffragia et qualitatem præcedendi habebit,

ad decernendum, an cogi debeat Congregatio generalis necne." — Idem C. 4. D. 7. — Etiam C. 5. D. 30: „communi omnium consensu ac nemine prorsus discrepante, nullum certum tempus Congregationi generali cogendæ præscribendum; sed Decreta 24. secundæ et 10. quartæ Congregationum generalium servanda esse, quæ præsens Congregatio rata firmaque habet et de novo confirmat." — Demum C. 7. D. 9.

1035 *Nota.* — Innocentius X. »Prospero felicique» 1 Jan. 1646 decrevit: »ut in posterum perpetuis futuris temporibus Congregatio generalis in prædicta Societate Jesu singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimæ Congregationis generalis, haberi et celebrari omnino debeat; ita quod illius celebratio nullo modo nec ex quavis causa, sive per Præpositum Generalem pro tempore existentem, sive per quamcunque Congregationem particularem vel generalem impediri vel ultra novennium hujusmodi differri seu prorogari possit» — »præterea, ut, quotiescunque habebitur et celebrabitur Congregatio generalis hujusmodi, toties novi Assistentes ab illis plane diversi, qui præcedente novennio Assistentium hujusmodi muneribus functi fuerint, eligi seu assumi et deputari [debeant].« — Hæc Constitutio Innocentii X. jam per Clementem IX. »Religiosorum virorum« 20 Sept. 1668 suspensa fuit usque ad sequentem Congregationem generalem; quod deinceps pluries factum est, donec Benedictus XIV. »Devotum majori« 17 Dec. 1746 eam abrogavit: »memorati Prædecessoris (Innoc. X.) statutum, mandatum, præceptum et ordinationem, ut Congregatio generalis in prædicta Societate singulo quoque novennio... haberi debeat et celebrari, [perpetuo revocamus]«. — Ex decreto tamen Constitutionis prædictæ Innocentii X. plures convocatæ sunt Congregationes generales, nimirum: Congregatio undecima a Goswino Nickel Præposito Generali, anno 1661; decima quarta a Thyrso Ganzalez anno 1696; decima quinta ab eodem Thyrso, seu potius ex ejus voluntate a Michaele Angelo Tamburini Vicario anno 1706. At cum ipse Pater Thyrsus, antequam convenirent, vivere desiisset, hæc eadem Congregatio fuit etiam ad eligendum Generalem. — Quam acriter Societas semper insisteret in non convocanda Congregatione generali fixis temporibus, juxta Constitutiones, quamvis semper erant nonnulli diversæ opinionis, eruitur ex his decretis: C. 11. D. 12. et 13. — C. 12. D. 1. et 2. — C. 14. D. 4. — C. 16. D. 6.

1036 *b.* — Necessario cogenda est Congregatio generalis in his sequentibus casibus, spectantibus vel ad personam, vel simul ad munus ipsius Generalis:

α. — Quando eligendus est novus Generalis, quod per se patet. — P. 8. c. 2. §. 1: „aliquando tamen congregari omnino erit necessarium, ut ad electionem Præpositi Generalis, sive eligendus sit, qui in demortui locum succedat, sive aliquam ob causam ex iis, propter quas Generalis a suo officio absolvi potest."

In priori eventu convocatur ab eo, qui rite nominatus vel electus est Vicarius; alias aliter, uti videbimus.

β. — Convocari debet, si de deponendo Generali agitur. — P. 9. c. 5. §. 4: „si accideret aliquod ex peccatis (avertat id DEUS), quæ sufficiunt ad Prœpositum officio suo privandum." — Quæ sint talia peccata habet c. 4. §. 7: „locum haberet in quibusdam casibus (quos speramus per DEI bonitatem, aspirante ipsius gratia, nunquam eventuros), cujusmodi essent peccata mortalia in externum actum prodeuntia, ac nominatim copula carnalis, vulnerare quemquam, ex reditibus Collegiorum aliquid ad proprios sumptus assumere vel cuivis extra Societatem donare; vel aliqua stabilia bona domorum aut Collegiorum alienare; vel pravam doctrinam habere. Si quid ergo horum accideret, potest ac debet Societas, si de re sufficientissime constaret, eum officio privare et, si opus est, a Societate removere." — Modus vero convocationis faciendæ habetur P. 9. c. 5. §. 4: „simulatque res per testimonia sufficientia, vel ipsius [Generalis] affirmatione constaret, juramento obstringantur quatuor Assistentes ad id Societati denuntiandum; et cum omnium, vel certe trium subscriptionibus Congregationem, i. e. Præpositos Provinciales cum duobus aliis, quos singuli ex sua provincia secum adducent (qui congregari tenebuntur) convocandam. Et si res divulgata, et communiter manifesta esset, non exspectata quatuor Assistentium convocatione, Provinciales alii alios vocando convenire deberent." — Sequitur tunc modus accurate tenendus in tam tristi eventu. 1037

γ. — Si Generalis ad gubernationem inutilis fieret ex ætate vel morbo, convocanda est Congregatio generalis modo supra proposito, ut videat, quid agendum sit. — P. 9. c. 5. §. 6: „si accideret, Præpositum Generalem ad Societatis gubernationem esse inutilem, re partim coram eo et partim in ejus absentia agitata, dispiciatur, an eligi Vicarium absoluta cum potestate, quamvis sine nomine Præpositi Generalis, (quamdiu vixerit, qui tunc erat) oporteat; et id, si pluribus quam dimidiæ parti suffragiorum visum fuerit, sic agendum erit. Si id necessarium fore non judicarent, videndum erit an præter ministros illos, quorum opera Generalis utebatur, Societas alios providere debeat; ut sublevato magis eo et adjuto, non desideraretur, quod ad gubernationem Societatis conveniret. Et ea in re sequi oportebit, quod plus quam media pars eorùm, qui congregati sunt, statuerit. Si ageretur de dignitate, quam ut plurimum pati non potest Præpositi officium, si non compulerit talis obedientia summi Pontificis, quæ ad peccatum obligare posset, res in consultationem ne adducatur; sed id omnino tanquam certum tenendum est, nec debere, nec posse consensum ad hujusmodi dignitatem admittendam præstari." — Et decl. D: „omnino esset inutilis Generalis, qui usu rationis careret, quique in morbum minime 1038

curabilem incidisset, tamque gravem, ut rebus sui officii vacare non posset, nec aliquando vacaturus speraretur."

1039 *c.* — Præter hos casus congregandi Societatem, qui spectant personam Generalis, fieri potest, ut tractandæ sint res quædam gravissimæ ab universa Societate sic congregata. — P. 8. c. 2. §. 2: „cum deliberari oportebit de rebus perpetuis ac magni momenti, quales essent v. g. Collegia vel domos dissolvere aut alio transferre; vel res admodum difficiles ad universam Societatem spectantes; vel rationem procedendi in illa pertractare ad majus divinum obsequium." — Et tunc P. 9. c. 3. §. 12: „ejusdem [Generalis] erit, convocare Societatem ad generalem Congregationem (quando aliis de rebus, quam de electione Præpositi est agendum) et statuere, ut provincialis etiam Congregatio convocetur, cum expedire judicaverit; et dirigere eos, qui convenerint, ac suo tempore, iis absolutis, quæ tractanda erant, dimittere."

1040 *d.* — Ultimo necesse est convocare Congregationem generalem si Congregatio Procuratorum id decrevit. — C. 2. D. 19: „tertio quoque anno veniant simul ex omnibus provinciis Procuratores, qui Professi quatuor votorum et viri maxime idonei sint, a Congregatione provinciali electi; et habeant jus suffragii simul cum Assistentibus et ipso Patre Generali, qui duo suffragia et qualitatem præcedendi habebit, ad decernendum, an cogi debeat Congregatio generalis, necne." — Quæ jam supra sub litt. *a.* incidenter prolata sunt.

1041 3. — Convocandi Congregationem generalem quisnam habeat jus, respective officium, pendet ex fine, propter quem conveniendum est.

a. — P. 8. c. 4. §. 1: „cum ad eligendum novum Præpositum, priore vita functo, conventura est Societas, unus ex Professis, quem suum in hac parte Vicarium ante mortem Præpositus nominaverit, alios certiores faciendos curabit. Hic autem Vicarius (ut plurimum) unus ex iis erit, qui adesse Præposito et ipsum juvare soliti sunt; vel certe ex iis, qui proxime degunt. Hujus officium erit, Societatem ad electionem Præpositi faciendam, præscripto tempore et loco, quo convenire oporteat, convocare." — Decl. A: „si tamen [Generalis] morte occupatus, vel morbo, qui ad hunc effectum perinde ac mors censeatur, Vicarium non nominavit, qui apud eum fuerint Professi (quamvis non in eodem loco, sed in vicinis fuerint), pluribus suffragiis Vicarium eligent. Et sive Præpositus Generalis aliquem vicinum absentem, sive nullum nominaverit; qui præest domui in qua mortem obiit Generalis, vel qui vicinior esset, si in nulla domo Societatis moreretur, curabit statim mitti, qui certiores faciat Professos vicinos, ut ad Vica-

rium constituendum (ut dictum est), qui gerat vices Generalis, donec ille electus fuerit, congregentur, vel ad eum agnoscendum, quem constabit electum esse." — Et C. 2. D. 50: „cum ageretur de numero eorum, qui ad electionem Vicarii Generalis necessarii viderentur, constitutum est, ut minimum sex eos esse debere." — Dein C. 6. D. 27. nº 1: „si vel Præpositus Generalis ante mortem Vicarium Societatis non nominaverit, vel ante novi Generalis electionem moriatur, ad ejus electionem omnes Professi, qui eo in loco fuerint, vocandi sic erunt, ut senarium quidem numerum excedant, sed plures tamen quadraginta non sint." — Imo in regionibus remotioribus non est necesse exspectare, donec vocentur. — Congr. Provinc. 3: „ad electionem vero electorum, si ad eligendum Generalem venturi sunt, poterunt convenire in provinciis remotis, quando illis commodum fuerit, quacunque via de morte Generalis certiores facti fuerint, etiamsi nondum litteras [de morte ejus] a Vicario accepissent."

b. — „Si accideret aliquod ex peccatis (avertat id DEUS), quæ suffi- 1042
ciunt ad Præpositum officio suo privandum: simulatque res per testimonia sufficientia, vel ipsius affirmationem constaret, juramento obstringantur quatuor Assistentes ad id Societati denuntiandum; et cum omnium, vel certe trium subscriptionibus Congregationem, id est, Præpositos Provinciales cum duobus aliis, quos singuli ex sua provincia secum adducent, (qui congregari tenebuntur) convocandam. Et si res divulgata et communiter manifesta esset, non exspectata quatuor Assistentium convocatione, Provinciales, alii alios vocando, convenire deberent." — P. 9. c. 5. §. 4.

c. — Quodsi Generalis ex morbo vel ætate incapax fiat ad guber- 1043
nandum, res ita componitur. — C. 8. D. 28: „decrevit Congregatio, Assistentium esse judicare, quando sit substituendus Vicarius Generali adhuc viventi, sed inutili ad Societatis gubernationem." — Et C. 12. D. 55: „censuerunt plus quam duæ tertiæ partes, satis esse, si pars illorum major judicaverit." — Et C. 8. D. 29: „censuerunt, in prædicto casu eligendum esse Vicarium, juxta formulam eligendi ipsum mortuo Generali.... Et quam primum ab eodem Vicario, consultis Assistentibus, debere moneri Societatem de statu Generalis, et exquiri suffragia Provincialium et duorum Præpositorum localium vel Rectorum uniuscujusque provinciæ in Europa, quatuor votorum professione antiquorum: ex quibus suffragiis appareat, quid major pars censeat esse faciendum pro bono Societatis.... Interea vero Vicarius jam electus Societatem gubernare debebit, eo prorsus jure, quod in officio ipsius continetur."

1044 *d.* — Exceptis his tribus casibus vere singularibus, penes solum Generalem erit convocare Congregationem generalem. — P. 8. c. 2. C: non res perpertuæ quævis satis sunt, ut generalis conventus indici debeat, nisi majoris momenti sint. Aliquæ tamen magni momenti, licet non perpetuæ, satis essent. Hoc autem discernere et statuere Præpositi Generalis erit." — c. 4. §. 2: „quando non ad electionem Generalis congregatur Societas in aliis eventibus Præpositus Generalis eam convocabit." — P. 9. c. 3. §. 12: „ejusdem Generalis erit, convocare Societatem ad generalem Congregationem (quando de aliis rebus, quam de electione Præpositi est agendum), et statuere, ut provincialis etiam Congregatio convocetur, cum expedire judicaverit; et dirigere eos, qui convenerint; ac suo tempore, iis absolutis, quæ tractanda erant, dimittere." — Tandem C. 6. D. 26 §. 3: „si fuerit in Congregatione Procuratorum decretum, cogendam esse Congregationem generalem, intelligitur inter sesquiannum esse cogendam; mensem autem ac diem R. P. N. Generalis constituet; atque ita scrutinio altero non erit opus, quo, quando cogenda sit, quæratur." — C. 7. D. 71. censuit, sesquiannum non in annum mutandum.

1045 4. — Quinam vero sint, qui ad Congregationem generalem citari possint, vel citari debeant, pendet imprimis ex speciali fine Congregationis convocandæ.

a. — Quum Congregatio generalis legaliter et juridice sit ipsa Societas JESU eamque repræsentans, sequitur, Societatem professam, sive Professos quatuor votorum proprie eos esse, qui vocandi sint sive omnes, sive ex parte juxta normam in Constitutionibus præscriptam, cum omnes congregare et impossibile et inconveniens sit. Eo magis hoc obtinet, quum in nonnullis negotiis expediendis, v. g. in electione Generalis aliisque paucis electionibus penes solos Professos quatuor votorum jus ferendi suffragii esse possit. — Attamen in nonnullis casibus possunt, imo debent vocari etiam alii, qui inferiori in gradu constituti sunt, Professi trium votorum vel Coadjutores spirituales. — P. 8. c. 3. §. 1: „non omnes, qui sub obedientia Societatis vivunt, nec Scholastici approbati, verum Professi dumtaxat, et præterea Coadjutores aliqui, si ita expedire in Domino videretur, sunt ad Congregationem generalem convocandi." — Et ex his quidem, sicut etiam ex Professis, ii tantum vocantur, qui commode et sine detrimento Societatis venire possunt: „et quidem ex his, nonnisi qui commode venire queant. Non itaque infirmi ac valetudinarii, nec qui in regionibus remotissimis agunt, ut in Indiis; sed nec illi, qui præ manibus

negotia habent magni momenti, quæ absque gravi incommodo deseri non possunt, convenient. Pendebit autem hoc ex judicio Præpositi Generalis, si is ad Congregationem convocaverit; vel eorum, qui congregati in singulis provinciis fuerint, ut venturos ad generalem Congregationem eligant." — In decl. A. dicitur, etiam non Professos vocari aliquando conveniens esse, „præsertim si Rectores Collegiorum, et eorum Procuratores, aliique officiales, quibus optime perspecta erunt, quæ ad eorum officia pertinent, vocentur. Possent etiam ejusmodi officiales suffragium activum et passivum ad reliqua habere, ita tamen, ut Professis quatuor votorum nequeant præesse. Si Congregatio ad electionem Generalis indicitur, nullus, qui quatuor vota solemnia in professione non emiserit, suffragium activum aut passivum ad hujusmodi electionem habere poterit."

b. — Quinam in individuo ire possint vel debeant ad Congrega- 1046
tionem generalem, definiunt, vel ipsæ Constitutiones, vel alii, sive Generalis sive Provinciales. Quum vero in hac re decursu temporis quædam mutatio facta sit, necesse est, singula ex ordine proponere.

α. — Si agitur de eligendo Generali vel de rebus personam ipsius spectantibus, habet P. 8. c. 3. §. 1: „cum conventus celebrabitur ad eligendum Generalem, aut ad deliberandum de iis, quæ ad Generalem ipsum spectant, terni ex singulis provinciis veniant; Provincialis videlicet Præpositus cum duobus aliis, qui fuerint ad hoc negotium in Congregatione provinciali electi, quæ quidem Congregatio in singulis provinciis ante generalem ad hunc finem cogetur." — Decl. B: „Provinciali veniendum esse intelligatur, si possit; sin minus, pro se alium mittat, qui magis idoneus ei videbitur ex tribus, quos Congregatio provincialis elegerit."

Habent ergo jus suffragii in Congregatione: — 1) Vicarius Generalis, si tunc aliquis eo munere fungitur; — 2) Assistentes, ex C. 2. can. 31; — 3) Provinciales Europæ cum duobus electoribus; — 4) nunc etiam Provinciales et electores provinciæ Marylandiæ ex C. 22. D. 29 et Missurianæ ex C. 23. D. 11; — D. 24. D. 9. — 5) Procuratores provinciarum extra Europam, si sint quatuor votorum Professi et electi a suis provinciis, et pariter eorum substituti; qui eo jure non excidunt, donec in Europa subsistunt ex consensu Patris Nostri (non tamen propter aliud munus sibi ab eodem commissum), et alius ejusdem provinciæ Procurator non advenit; ex C. 9. D. 36. et C. 10. D. 9; — 6) Secretarius Societatis et Procurator Generalis admittuntur post electionem Generalis, ex. C. 4. D. 11. et C. 3. D. 44. et habent jus suffragii.

1048 *Nota 1.* — C. 24, D. 9: »decrevit, ut provinciæ Marylandiæ Neo-Eboracensis et Missouriana in posterum, non obstantibus Congregationum decretis quibuscunque, præsertim C. 22. D. 29., ac sublatis omnibus privilegiis atque exceptionibus, sub communi nostro jure constituantur, ac ceteris provinciis æquiparentur.«

Nota 2. — Jus suffragii sive activi sive passivi, tum in generali tum in ceteris nostris Congregationibus, nunquam habere possunt, qui ad episcopatum evecti actu regunt diœcesin vel vicariatum apostolicum, etiamsi Nostrorum in missionibus Superiores sint. — C. 22. D. 41.

1049 β. — „Cum Conventus ad res alias indiceretur, Præpositus Provincialis, sine Congregatione provinciæ, duos ex ea eligere poterit pro arbitrio Præpositi Generalis: cujus erit, pro occurentium causarum ratione constituere, num Conventus provincialis hujusmodi ad duorum illorum electionem sit cogendus an Provincialis sine Conventu eos debeat eligere, prout ei videbitur in Domino expedire... Quodsi præter duos electos quosdam alios Præpositus Generalis designaret, vel Præpositus Provincialis adducendos judicaret, eadem erit horum et aliorum ratio. Sed si Provincialis præter tres aliquos eligeret, plures quam duos adjicere non poterit, ita ut ad summum quinque ex una provincia veniant." Ita P. 8. c. 3. §. 1. — Postea vero C. 4. D. 37: „placuit Congregationi, concurrente Patrum numero ultra duas tertias partes, ut semper fierent Congregationes provinciales ad eligendos eos, qui ad generalem venturi essent; et non relinqueretur liberum, ut Generalis vel Provincialis eos nominaret." — Et non obstante intercessione facta, idem retinuit et statuit eadem C. 4. D. 39.

1050 *c.* — De *numero* Patrum congregandorum *necessario* habet C. 20. D. 19. „fieri potest propter incertas et variabiles temporum circumstantias, ut numerus provinciarum Societatis jam exiguus, adhuc imminuatur; occurrens incommodo inde secuturo, Congregatio decernit, ut casu quo ad futuram Congregationem generalem numerus Deputatorum provinciarum, cum Assistentibus et Vicario ad 20 non perveniret, possit mitti ex singulis provinciis quartus aut etiam quintus elector, ita ut saltem viginti electores vocentur ad Congregationem; quod ita intelligendum est, ut semper servetur æqualitas quoad numerum Deputatorum in omnibus provinciis."

1051 5. — De ceteris, quæ spectant Congregationem generalem, puta de loco, tempore, modo agendi, accurate statutum est.

a. — De loco, quo conveniant Patres, est in P. 8. c. 5. §. 1: „locus, quo conveniet Societas ad Generalis electionem, videtur ordinarie curia summi Pontificis esse debere, ubi plurimum erit ipsius Generalis resi-

dentia; nisi Societas, ex composito, conveniendum esse in alium locum, qui commodior omnibus futurus esset, statueret; ut si quis in confinio diversarum provinciarum, in quibus manet Societas, esset constitutus, vel alius, qui magis accommodatus videretur. — Si Præpositus Generalis est, qui Societatem ad alia negotia congregat, ejus erit eligere ac designare locum, quem in Domino aptiorem judicaverit."

Nota. — Ultima Congregatio, vicesima quarta, ex ordinatione summi Pontificis habita est in Domo Loyolæa, quam elegit præ domo Truncinensi etiam a Patre Vicario proposita; quum iniquitas temporis suaderet, Patres in urbe Roma per longius tempus non manere congregatos. — C. 24. in initio.

b. — Tempus, quando conveniant, est in P. 8. c. 5. §. 2: „spatium temporis, quod cogendæ Societati tribuetur, ubi de electione Generalis agendum est, quinque aut sex mensium erit, a tempore quo litteræ, quæ de hac re commonefacient, scriptæ fuerint. Prorogari tamen id tempus poterit, cum necessitas postulaverit. Cum vero alias ab causas fuerit congreganda, Generalis Præpositus pro suo arbitratu tempus designabit." — De prorogatione habet C. 1. D. 44: „si prorogatio esset facienda, per Vicarium fieri debere et Assistentes ad plura suffragia. Si tamen exacto termino præscripto in initio, venerint aliqui designati ad Congregationem, ut illi etiam suffragium habeant ad prorogationem temporis præscripti." — Idem dicit C. 10. D. 4. et addit quoad dijudicandum de necessitate prorogationis: „hujus tamen necessitatis examen Vicario et Assistentibus pro tempore futuris ita commendandum esse, ut in dubio potius in partem affirmantem inclinent. Quod et fecit."

c. — Litteræ, quibus evocantur Patres, ea etiam indicent, quæ scitu necessaria vel utilia sunt quoad futuram Congregationem. — P. 8. c. 5. §. 3: „modus in congreganda Societate servandus hic erit, ut ille, cujus est hoc munus, confestim variis viis Provinciales, et si qui ex Professis singillatim convocandi essent, adscripta, quantum sat ipsi esse videbitur, causa, loco et tempore Conventus habendi, certiores faciat; admonens quoque, ut ubique Missæ celebrentur et orationes fiant pro felici Præpositi electione." — Fiant Congregatioues provinciales cet. cet.

d. — Modus, quo procedat Congregatio, præscribitur accurate in 1052
„Formula Congregationis Generalis," et ex natura et fine ejusdem quasi ultro se offert. Generatim habeto:

α. — Hymno de Spiritu Sancto cum sua oratione flexis genibus recitato, decernitur ad plura suffragia, eos, qui adsunt, plenam et legitimam Congregationem efficere. Sequuntur electiones variæ: Secre-

tarii et ejus Assistentis; Exhortatoris; Inclusoris; Patrum ad cognoscenda detrimenta circa electionem Generalis; Judicum de ambitu, cet., ita ut de omnibus, quæ tangunt substantiam Congregationis, provisum sit. Dein sumuntur informationes, de quibus C. 1. D. 6. a. el.

β. — Sequitur tunc ipsa Generalis electio, quæ triplici modo perfici potest: sive per inspirationem, qua movente Spiritu Sancto omnes omnino in uno designando conclamant; sive per scrutinium, quod, si Congregationi bonum videtur, quinquies fieri potest, ita ut, qui plus quam mediam partem omnium suffragiorum habuerit, Generalis Præpositus sit: vel si impar sit numerus is, qui ex duabus partibus major obtigerit. Demum si post quintum scrutinium non est creatus Præpositus, et Congregationi videtur non ultro progredi in scrutiniis, fit electio per compromissarios; id est, ex singulis Assistentiis per plura medietate suffragia singuli electores eliguntur, qui creant Generalem eum, ad quem major eorum pars inclinavit.

γ. — Incipiunt tunc negotia tractanda, præside Generali, qui habet semper duo suffragia, excepto casu, quo res aguntur ad ejus personam spectantes; tunc enim, quod clarum est, jus nullum suffragii ferendi habet, nec interesse potest sessionibus eas tractantibus. Quæ vero Congregationi tractanda et definienda proponantur, constituunt Patres ad hoc deputati. — Eliguntur etiam modo præscripto Assistentes et Admonitor.

δ. — Non est dissolvenda Congregatio pro solius Generalis arbitrio sine consensu ipsius Congregationis, quæ Generali superior est. — Minime necesse est generalium Congregationum Acta provinciis communicare; decreta tamen typis excudenda sunt et Provincialibus danda, ut in singulis provinciis exstent. — C. 6. D. 27. nº 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CONGREGATIONE PROVINCIALI.

1053 Nomine „provinciæ" in religione venit complexus earum personarum earumque domorum, quæ sunt sub obedientia unius Superioris, qui dicitur Præpositus provinciæ sive Provincialis. Fit autem quis membrum talis provinciæ, dum a Præposito ejus in Societatem JESU admittitur modo ordinario; vel etiam, dum jam admissus ex decreto Generalis subit aliquod munus fixum in tali provincia, puta Rectoris vel etiam Provincialis; quo munere perfunctus redit eo ipso ad suam originariam provinciam, ad quam antea pertinebat. Sed potest etiam Generalis

aliquem definitive et simpliciter transferre ex una in aliam provinciam, eumque huic definitive adscribere tanquam ejus proprium membrum. — C. 7. D. 59: „propositum item, qua nota cognosci posset applicatum aliquem alicui provinciæ: censuit fieri aliquem de provincia voluntate Patris Nostri, verbo vel scripto expressa; vel applicatione illius ad aliquod provinciæ munus ordinarium, sive res effectum sortiatur, sive non, nisi revocata foret." — C. 9. D. 33: „munus ordinarium Congregatio, probans judicium Deputatorum, censuit esse munus quodcunque fixum et stabile, ad eam provinciam, de qua agitur, proprie pertinens: et quidem a Patre Nostro impositum, sive ad definitum tempus, ut est munus Provincialis, Præpositi, Rectoris; sive indefinitum, quale est Lectorum theologiæ, S. Scripturæ, Procuratoris cet. Ceterum insuper declaravit absoluto munere, quod de jure vel consuetudine præfixum terminum habet, quale est Provincialis, Rectoris cet., applicationem cessare; in ceteris, quibus præfixus non est terminus, applicationem durare, donec de personis ea ratione applicatis fuerit aliter a Patre Nostro constitutum." — Idem possunt Provinciales efficere ad tempus mutua conventione C. 7. D. 60: „propositum rursus, an Provinciales per regulam 112. mutuo consensu mutuis applicare provinciis suis personas possint, censuit, in temporariis posse, in perpetuis recurrendum ad Generalem esse." — C. 16. D. 18. — C. 14. D. 23. — C. 18. D. 16.

Congregatio igitur provincialis est Conventus eorum de Societate, 1054
qui in singulis provinciis ex certo quodam numero Patrum, juxta ea, quæ habent de hac re Constitutiones, coalescit. De ea hæc tenenda sunt:

1. — Convocari necesse est Congregationem provincialem in certis casibus per Constitutiones determinatis:

a. — Si agitur de electione Generalis vel de rebus ad ejus personam spectantibus. — P. 8. c. 3. §. 1: „cum Conventus celebrabitur ad eligendum Generalem, aut ad deliberandum de iis, quæ ad Generalem ipsum spectant terni ex singulis provinciis veniant, Provincialis videlicet Præpositus cum duobus aliis, qui fuerint ad hoc negotium in Congregatione provinciali electi, quæ quidem Congregatio in singulis provinciis ante generalem ad hunc finem cogetur."

b. — Ad eligendos Procuratores, qui tertio quoque anno ad Generalem conveniant. — C. 2. D. 19: „tertio quoque anno veniant simul ex omnibus provinciis Procuratores, qui Professi quatuor votorum et viri maxime idonei sint, a Congregatione provinciali electi." — P. 8. c. 2. B.

c. — Si generalis Congregatio ad alias res tractandas cogeretur, olim penes Generalem erat, constituere, ut Provinciales sibi socios eligerent, P. 8. c. 3. §. 1; postea vero decrevit C. 4. D. 35., 37., et 39: „statutum fuit, ut decretum 42. præcedentis actionis XIV. de cogendis semper Congregationibus provincialibus ad eligendos eos, qui ad Generalem venturi essent, non relicta libertate Generali vel Provinciali eos nominandi, retineatur in omnibus, ut in proxima actione constitutum fuit, non obstante intercessione ibi facta; et ita servandam esse Constitutionem P. 8. c. 3. §. 1. juxta hujus decreti formam, non obstante decreto tertio Congregationis secundæ, Congregatio declaravit."

1055 2. — Ii, qui vocandi sunt ad Congregationem provincialem, recensentur in P. 8. c. 3. §. 1: „convenient autem et suffragii jus habebunt in ea Professi omnes provinciæ, qui interesse poterunt; Præpositi domorum atque Collegiorum Rectores ac Procuratores; vel ii, quos tanquam Vicarios illi suo nomine miserint." — Attamen mox, crescente jam in dies numero Professorum et Superiorum, ne nimius esset numerus convenientium, varia variis temporibus circa hanc rem statuta fuerunt:

a. — C. 5. D. 60: „[decrevit Congregatio] numerum congregandorum... hoc modo contrahendum esse, ut ad Congregationem provincialem pro eligendo Procuratore conventuri quadragenarium numerum non excedant, nec quinquagenarium, quando ad Conventum generalem convocatur provincialis; et in utroque casu major sit Professorum numerus. De quota vero et aliis particularibus huc pertinentibus Definitores decernant."

b. — C. 12. D. 21: „cum vero aliqua sint extra Europam Collegia, ad aliquam Europæ provinciam spectantia, dubitatum est, an Collegiorum illorum Rectores, aut Professi ibi degentes, ad Congregationem provincialem veniendi jus habeant. Re diu satis agitata, statutum tandem fuit, hujusmodi seu Rectores seu Professos jus nullum habere, vel ut vocentur vel ut veniant; adeoque nec Rectoribus jus ullum competere, mittendi quemque ex suis subditis."

c. — Congregatio 22. Decreto 28. extendit jus veniendi ad quasdam vicinas partes extra Europam: „Rectoribus et Professis in illa Africæ ora, quæ Galliæ subdita est, degentibus jus esse, ut secundum Formulam ad Congregationem provincialem conveniant, non obstante C. 12. D. 21." — Cum deinceps rogaretur Congregatio, ut præcedens Decre-

tum ob rationum paritatem extenderetur ad Patres provinciæ Hispaniæ, qui sunt in insulis Canariis, Congregati omnes ad unum postulato annuerunt.

d. — Domus provinciæ Galliæ, quæ bona stabilia non habent, scholas autem habent et numerosissimos convictores, visum est omnibus, saltem tanquam Collegia inchoata haberi oportere, quorum Rectores eadem jura easdemque facultates habent ac ceteri Rectores. — C. 20. D. 14. — Quod idem est de aliis regionibus; unde vocandi sunt ad Congregationem provincialem. — Rectores vero seminariorum sæcularium hoc jure non fruuntur, nec vocandi sunt. — Ex Resp. Gener. 1617.

e. — Vocandus est ad Congregationem provincialem Procurator provinciæ proprius; et si nullus sit proprius vel hic impeditus fuerit, ingrediatur Procurator Collegii maximi; et si hic quoque fuerit impeditus, qui ratione professionis jus habet. In dubio, quodnam sit Collegium maximum, petant a Generali. Satisque erit, ut hujusmodi Procuratores sacerdotes sint, ut interesse et suffragium habere possint.

f. — De numero supra constitutum necessario cogendo habet C. 5. D. 81: „præter Provincialem ipsum et Superiores omnes locales et Procuratorem provinciæ maximi Collegii conveniant tot Professi antiquiores illius provinciæ, quot ad præfixum numerum explendum sufficiant. Quodsi contingat numerum Superiorum, qui Professi non sunt, ita excrescere, ut tertiam suffragiorum partem superent, tunc tot Professi addantur, servato antiquitatis ordine, quousque duas tertias partes conficiant, etiamsi hoc modo præfixus numerus excederetur."

Nota — Sublatis nunc, quæ existebant, itinerum difficultatibus ac longitudine, 1056
duæ provinciæ extra Europam existentes, Marylandiæ scilicet et Missuriana, ex C. 20. D. 29. et respective C. 23. D. 11. habent jus, sicuti ceteræ provinciæ, mittendi ad Congregationem generalem, et proin similiter jus ad Congregationem provincialem habendam suo tempore. — Imo nunc in omnibus æquiparantur ceteris provinciis. — C. 24. D. 9. — C. 24. D. 10. jus tribuit Missionibus dependentibus ab aliqua Provincia adesse Congregationi provinciali, — 1, ita tamen, ut Præpositus Generalis designet missiones, quibus hoc utile et æquum esse censuerit, possitque tale jus revocare. — 2, ut ipse Superior missionis, vel, si impeditus fuerit, alius ab ipso substitutus, non solum possit, sed etiam debeat ad Congregationem provincialem accedere, nisi officium gerat ab Apostolica Sede commissum, a quo ad nutum Generalis avocari non possit; quo in casu Præpositus Generalis determinabit, cui ejus loco veniendum erit. — 3, ut sicut Rectores collegiorum intra Europam, locum intra numerum habere debeat. Habet vocem activam ad omnia; passivam etiam, si sit professus quatuor votorum.

1057 3. — Modus procedendi in Congregatione provinciali similis est Congregationi generali: hymno de S. Spiritu dicto decernitur ad plura suffragia, eos, qui adsunt, plenam et legitimam Congregationem efficere; eligitur Secretarius ejusque Assistens; duo Deputati, qui cum Provinciali, præsente Secretario seligant, quæ post electionem mittendorum Congregationi proponenda sint. Sequitur tertio vel quarto die electio mittendorum per secreta suffragia ad plura medietate: habentur duo scrutinia; in quibus, si nullus electus fuerit, dantur in tribus sequentibus usque ad quintum inclusive inter eos tantum suffragia, qui aliquod suffragium habuerunt. In sexto vero et ceteris deinceps sumantur tres, qui plura aliis suffragia habuerunt in proximo scrutinio; nisi post decimum scrutinium Congregatio malit compromissione uti. In ipsa Congregatione Provincialis habet semper duo suffragia et casu quo qualitatem præcedendi.

4. — Factis hoc modo electionibus, de iis fit deliberatio, quæ Generalis deliberanda proponit; dein quæ a Deputatis afferuntur, et demum quæ a Deputatis omissa tamen ab auctore proponuntur. Notum est, non licere sermonem inferre de substantialibus Instituti; sed proponitur quæstio, an Congregatio generalis cogenda sit. Durare licet Congregationem ad decem vel summum ad duodecim dies.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CONGREGATIONE PROCURATORUM.

1058 1. — Tertio quoque anno a 15 Novembris post finem ultimæ Congregationis generalis computando ex omnibus provinciis ad Generalem conveniunt Procuratores, qui Professi quatuor votorum et viri maxime idonei a Congregatione provinciali electi sunt.

2. — Die constituto incipit Congregatio, si jam duæ tertiæ partes Procuratorum advenerint, nisi Generalis cum iis, qui advenerunt, exspectandos esse judicarit eos, qui cito affuturi sperentur.

3. — Absolutis necessariis formalitatibus quarto die fit Decretum de cogenda vel non cogenda Congregatione generali, acceptis prius informationibus imprimis ab ipso Patre Generali, cui magis perspectus est universalis Societatis status. Decernitur per secreta suffragia ad plura medietate; Generalis habet duo.

4. — Quodsi cogendam esse Congregationem generalem decretum fuerit, absque alio scrutinio intra sesquiannum cogendam esse intel-

ligitur; nam mensem ac diem Præpositi Generalis erit præscribere.

5. — Procuratores afferunt Generali, respective Secretario, Acta Congregationum provincialium et alia litteraria: catalogos personarum, memorialia negotiorum. Agunt etiam cum Generali de informatione eidem danda juxta Constitutiones de iis rebus, quas ex suis provinciis attulerunt. — P. 8. c. 2. B.

Nona Pars Constitutionum.

De Præposito Generali et de gubernatione in Societate.

Fere tota est haec pars de uno capite totius Societatis, sub quo omnia alia membra constituuntur et ex quo suam operationem et efficaciam habent; i. e. de Praeposito Generali. Convenit tamen praemittere ea, quae ad Societatis regimen in genere spectant et quibus hoc regimen praecipue juvatur. Inde caput primum et secundum.

CAPUT PRIMUM.

De gubernatione generatim.

POTESTAS regiminis in Ecclesia sive jurisdictio ecclesiastica, intelligitur potestas a fundatore Christo Ecclesiae suae collata, dirigendi et gubernandi subditos fideles in ordine ad finem suum supernaturalem consequendum. Est igitur potestas condendi leges easque iterum abrogandi seu mutandi, tum invigilandi earum observationi et judicandi corripiendique transgredientes; paucis: agendi cum effectu ea omnia, quae ad hunc finem consequendum vel necessaria sunt vel conducunt. — Haec jurisdictio est vel ordinaria, quae muneri inhaeret sive jure proprio sive jure privilegii, quaeque concesso munere eo ipso conceditur; vel jurisdictio delegata, quae committitur alicui ab altero, qui tenet eam vi muneris sui, quique simul habet facultatem aliis eam tribuendi vel communicandi. Clarum est, haec omnia etiam in Societate Jesu valere.

ARTICULUS PRIMUS.

DE JURISDICTIONE IN SOCIETATE JESU.

1059 1. — Quivis ordo religiosus ab Ecclesia approbatus per hanc ipsam approbationem omni jurisdictioni sæculari subtrahitur transitque sub

jurisdictionem Superiorum ecclesiasticorum. — Suarez de rel. (gen.) t. 3. l. 2. c. 18 n° 12: „religiosus status eo ipso, quod per Ecclesiam approbatur et instituitur, est status sacer et ecclesiasticus, et personæ ejus... sunt personæ sacræ et ecclesiasticæ... Hinc ergo fit, ut eo ipso, quod aliquis religiosus constituitur, sub spirituali jurisdictione Pastorum Ecclesiæ constituatur. Illa ergo subjectio non est conditio necessaria ad statum religiosum constituendum, sed est quasi proprietas consequens ad illum statum; et eadem ratio est de jurisdictione, quæ illi subjectioni respondet." — n° 11: „olim, ante exemptionem religiosorum... subjiciebantur Episcopo tanquam habenti jurisdictionem in ipsos... Post exemptionem vero omnes subduntur summo Pontifici vel Prælatis propriæ religionis, quibus Pontifex suam jurisdictionem communicavit. Nunquam ergo status religiosus sine subjectione ad Prælatum aliquem, habentem jurisdictionem propriam in omnes ejus professores inventus est."

Nimirum per exemptionem (quod verbum jam indicat) jurisdictio ecclesiastica in religiosos Episcopis subtrahitur sive eximitur, ipsique religiosi sic exempti subduntur suæ religionis Superioribus, qui proin sunt Prælati proprie dicti habentque jurisdictionem ordinariam, quasi episcopalem. — Ita Suarez, ibid. tr. 8. l. 2. c. 1. n° 6: quia eo ipso, quod religio a jurisdictione Episcoporum eximitur, manet immediate subjecta solius Pontificis jurisdictioni. Non poterat autem convenienter gubernari immediate per solum summum Pontificem aut per commissarios vel delegatos ab ipso; quia in omni Congregatione necessarii sunt Pastores ordinarii, quibus ejus cura ex officio incumbat. Ergo si hujusmodi Pastores proximi non sunt Episcopi, necessarium est, ut sint Prælati proprii uniuscujusque religionis. Atque hinc inferunt communiter doctores, Præpositum Generalem, Provincialem et localem seu conventualem uniuscujusque religionis approbatæ a summo Pontifice et exemptæ esse vere ac proprie Prælatos... cum ergo Superiores religionum jurisdictionem habeant spiritualem fori contentiosi eamque ordinariam (nam ex vi proprii muneris eam habent, unde et delegare illam possunt) Prælati proprie dicuntur..." — Hæc jurisdictio Superioribus religiosis competens provenit ex jure positivo, non autem ex jure divino. Suarez ibid. n° 7.

2. Quoad Societam JESU omnia hæc obtinent, et obtinebant a prin- 1060
cipio, cum Societas sit ordo ab Ecclesia approbatus. Sed etiam expressis verbis profertur in multis Pontificum Bullis, ut Pauli III. „Regimini" et „Licet debitum"; Julii III. „Exposcit debitum"; Gregorii XIII. „Ascendente Domino"; Leonis XIII. „Dolemus inter." — Idem sequitur

ex eo, quod Pius V. „Dum indefessæ," necnon ejus successores declararunt, Societatem JESU esse ordinem mendicantem, proindeque exemptum eo ipso et per communicationem privilegiorum.

1060 3. — Quis vero sit subjectum jurisdictionis, explicat Suarez tr. 10. l. 10. c. 4. n° 2: „principaliter dicendum est, jurisdictionem hanc considerari posse, vel prout exsistit in communitate aliqua Societatis, vel in singularibus personis, utroque enim modo potest jurisdictio ecclesiastica communicari. Imo una et eadem jurisdictio potest nunc esse in singulari persona, et postea in communitate aliqua, ut jurisdictio episcopalis ordinarie est in Episcopo, et Sede vacante in Capitulo. Uterque ergo modus habendi jurisdictionem in Societate reperitur, sicut in aliis etiam religionibus. Est autem hoc peculiare Societatis, ut nulla communitas ejus habeat propriam jurisdictionem gubernativam, nisi sola Congregatio generalis totius Societatis; nam provinciales Congregationes hanc jurisdictionem non habent, et multo minus quælibet inferiores." — n° 5: „quamvis autem hæc jurisdictio Congregationis ordinaria sit, prout ordinaria a delegata distinguitur, potest tamen dici extraordinaria, prout distinguitur ab ea, qua ordinarie et continuo regitur Societas. Quod enim illa jurisdictio non sit delegata, certum est, tum quia convenit illi ex certa et statuta lege a Pontificibus confirmata et ex vi sui muneris; tum etiam a posteriori, quia potest illam delegare et committere, imo etiam tanquam ordinariam conferre. Extraordinariam autem eam voco, quia non pertinet ad ordinarium regimen Societatis neque ad perfectionem et integritatem ejus, ut Congregatio generalis actu semper exsistat; neque ut ab ea immediate manet ordinarius influxus suæ jurisdictionis Societati necessariæ, sed solum in casibus necessariis congreganda est, qui extraordinarii dici possunt. Hæc autem jurisdictio actu non exsistit, nisi pro tempore, pro quo generalis Congregatio actu exsistit; et ideo extraordinaria appellari potest."

1061 4. — Jurisdictio in Generali: n° 6: „hinc ergo concluditur, supremam jurisdictionem Societatis ordinariam utroque modo esse solum in Præposito Generali; nam in illo est ex vi sui muneris et ex vi legis; et ordinarius influxus, quo universa Societas regitur, ab ipso manat, vel immediate, vel cum dependentia ab ipso. Hoc constat ex Bullis et Constitutionibus... Apud illum... [sunt]... omnia, quæ ad universale regimen spectant..., et quod amplius est, Vicarium etiam Generalem sibi post mortem substituere, qui Societatem ad Generalem eligendum convocet eamque regat, donec Generalis eligatur." — Explicat dein

originem et naturam jurisdictionis in Generali; n° 10: „dicendum censeo, jurisdictionem Generalis, simpliciter loquendo, pendere a Societate, ut legitime congregata in unum corpus, et non e converso... Quia Congregatio generalis est simpliciter superior, et quia Generalis in nulla re potest minuere potestatem talis Congregationis; solum ergo ab illo pendet in congregari, ut sic dicam... postquam autem semel congregata est, ipsa habet simpliciter supremam jurisdictionem independenter a suo Præposito, adeo, ut nec dissolvi possit ex sola illius voluntate sine consensu ejusdem Congregationis." — n° 12: „parum enim refert, quod dicamus, hanc potestatem dari immediate ipsi Generali a summo Pontifice" [prout Gregorius XIII. „Decet Romanum Pontificem" 3 Maji 1575: omnes gratias, facultates et indulta, hucusque concessa vel in posterum concedenda, prædicto et pro tempore exsistenti Præposito Generali Societatis hujusmodi concessa esse], „dummodo fateamur datam esse cum prædicta dependentia a Congregatione generali. Deserviet autem ille modus loquendi ad explicandum facilius verissimum proloquium in Societate ac Constitutionibus consentaneum: nimirum, Generalem habere omnem potestatem Societati concessam a summis Pontificibus, tam communi quam speciali jure, et tam directe per propria privilegia, quam indirecte per communicationem aliorum... Non tamen id proloquium pendet ex illo principio seu loquendi modo, unde in rigore fortasse verius est, jurisdictionem hanc immediate fuisse communicatam Societati a summo Pontifice, et per Societatem in Congregatione generali exsistentem transferri in Præpositum Generalem. Nam hic est melior ordo Providentiæ, ut influxus capitis veniat ad inferiorem Prælatum per medium; Congregatio autem generalis revera est medium inter Pontificem et Præpositum. Deinde quia Pontifex per se solum intendit dare huic religioni sufficientem jurisdictionem et potestatem, qua se possit gubernare; applicationem autem hujus potestatis ad hanc vel illam personam, imo etiam ad hunc vel illum modum regiminis, ipsi Societati commisit. Denique nunquam Pontifex contulit hanc potestatem Beato Ignatio, sicut CHRISTUS contulit Petro ecclesiasticam potestatem, sed tradidit Societati." — n° 13: „non est ergo similitudo quærenda inter utramque concessionem; et consequenter neque inter electionem Pontificis et Generalis, ut in utraque scilicet tantum fiat designatio personæ; nam de Pontifice est longe alia ratio, siquidem ejus potestas altiori modo descendit immediate ab ipso CHRISTO, omnino independenter ab hominibus. In præsenti autem jurisdictio immediate communicatur per homines, et non solum pendet a Papa, sed etiam suo modo a Societate... Recte ergo dicitur, Generales

habere hanc potestatem proxime a Societate; nec Paulus III, in citatis verbis aliud significat, sed confirmat et approbat institutionem Societatis quoad hanc partem, et ratam habet Generalis electionem cum omni potestate, quam illi Societas concedit..."

1063 5. — Jurisdictio in Superioribus; idem Suarez l. 10. c. 5. n° 1 seqq: „quod attinet ad inferiores Prælatos sub Generali dicendum primo est, illos participare hanc jurisdictionem et potestatem majorem vel minorem, pro ratione sui muneris, et juxta distributionem seu communicationem a Præposito Generali manantem; ita statuitur P. 8. c. 1. §. 6. seqq... Nam in primis necessarium est, ut Prælati suam jurisdictionem habeant, sine qua propria munera exercere non possunt. Modus autem perfectior et aptior ad majorem unionem religionis et ad perfectiorem obedientiam est, ut inferiores Prælati habeant illam a suis Superioribus et dependentem ab illis; et quia non debet esse in omnibus æqualis, sed major in majoribus Prælatis, ideo recte uniuscujusque mensura a Superiore præscribitur." — Inde autem non sequitur, ut n° 2. concludit, in Prælatis Societatis infra Generalem constitutis non esse certam ac definitam jurisdictionem, sed arbitrariam juxta voluntatem Generalis, et proinde non ordinariam. — n° 3: [econtra] „certum est, Provinciales et Præpositos locales seu Rectores Societatis habere jurisdictionem ordinariam, et non tantum delegatam. Probatur, quia sunt ordinarii Pastores ac veri Prælati, ut constat ex jure communi religionum.... quod Societati commune est quoad hanc partem. Item patet ex Constitutionibus, in quibus hæc munera vocantur prælationes et dignitates Societatis; et hæc intelliguntur comprehendi in voto, quod Professi emittunt, non prætendendi prælationem aut dignitatem in Societate... Non est autem vera prælatio nisi jurisdictionem habeat ordinariam. — In hac porro jurisdictione duo considerari possunt, scilicet substantia ejus, ut sic dicam, et quantitas. Simpliciter ergo habere jurisdictionem, intrinsecum est his muneribus; et hoc satis est, ut talis jurisdictio ordinaria sit. Unde non solum non potest Generalis tollere a Provinciali vel Rectore jurisdictionem absolute; imo hoc repugnantiam involvit, quia de intrinseca ratione talium munerum est jurisdictio. Verum etiam nec potest facere, ut Societas sine propriis Provincialibus et Prælatis localibus gubernetur; quia hoc pertinet ad primariam institutionem hujus religionis, quam ipse immutare non potest. Solum ergo quoad quantitatem seu extensionem jurisdictionis pendent hi Prælati a Generali; quod non regugnat ordinariæ jurisdictioni. Nam hoc fere modo pendent Episcopi a Papa, et multo magis

Legati, qui tamen ordinariam jurisdictionem habent. Unde etiam in C. 4. D. 28. sancitum legimus, posse Patrem Generalem delegare Vice-Præpositum domus Romanæ cum ordinaria potestate." — n° 4: „sed in hoc etiam addendum est, aliquam esse quantitatem hujus jurisdictionis ex natura rei necessario conjunctam cum tali munere, ut est illa, sine qua moraliter ac debito modo fieri non potest. Deinde unusquisque ex his Prælatis habet in Societate proprias regulas et Constitutiones ad illum pertinentes, in quibus potestas suo muneri attributa declaratur. Et illa censeri debet potestas ordinaria, quia jam est certa lege præscripta et adjuncta tali muneri. Similiter in Compendio Privilegiorum declaratæ sunt facultates omnes ad dispensandum vel absolvendum, vel ad alias gratias concedendas illis commissæ." [Reg. Prov. 8; Præp. 13. et Rect. 12.] „Quodsi præter has voluerit Generalis plures facultates concedere, vel omnibus vel aliquibus prælatis inferioribus, illæ revera erunt tantum delegatæ." — n° 5: „potest dici [talis jurisdictio] arbitraria, quia semper pendet ex voluntate Generalis, qui ex causa potest eam restringere, et ex gratia potest illam augere. Et hoc est, quod Constitutiones intendunt, et inde non fit, talem jurisdictionem non esse ordinariam... Neque hoc habet ullum inconveniens, sed ad debitam subordinationem expedit" — n° 6: „fatemur in Societate ad cognoscendam uniuscujusque Prælati facultatem utendum potius esse affirmativa quam negativa regula; i. e.: id unumquemque posse, quod sibi est concessum, non vero, quidquid sibi non est prohibitum: unde in citatis regulis Præpositi et Rectoris dicitur: quas habeat facultates, partim ex his, quæ ipsi in his regulis conceduntur, partim ex Compendio facultatum Societatis intelligat; ut in iis, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere."

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DURATIONE MUNERUM.

1. — Multis in familiis religiosis munera ordinaria Superiorum ad 1064
statutum tempus conferuntur, quo elapso expirant eo ipso, omnisque Superiorum jurisdictio iis inhærens exstincta est. In Societate Jesu res aliter se habet: nimirum solus Generalis eligitur ad tempus vitæ; de ceteris officialibus habet P. 9. c. 3. §. 14: „constituat [Generalis] per se ipsum Rectores Collegiorum et Universitatum ac Præpositos locales domorum, quos aptiores fore judicaverit; Provinciales itidem Præpositos ad triennium ut plurimum (quamvis et contrahi et prorogari etiam id spatium temporis possit, quando ad majorem Dei ac

Domini nostri gloriam id fore videbitur)." — Decl. J: „cum iis, qui bene suum officium faciunt et ei possunt satisfacere, in triennii definito spatio nihil deperit, quandoquidem hoc tempus et contrahi et prorogari poterit; cum iis, qui se parum idoneos ostenderent, id commodi accedit, ut sine nota, cursu triennii peracto, removeri possint, nisi ante id tempus ratione universalis boni, Generali removendi viderentur." — Hæc verba satis clara sunt mentemque sancti Ignatii spiritumque Constitutionum manifestant; nimirum, esse penes Generalem, dare munera, et quidem ad quod tempus ipse judicaverit, ratione habita majoris DEI gloriæ Societatisque boni, quamvis spatium triennii per se aptum et conveniens videatur ad finiendum munus collatum, juxta ordinem communiter contingentem.

1065 2. — Hæc tamen Constitutio ne in Societate quidem omnibus placebat; et fuerunt, uti notum est, jam tempore Patris Claudii spiritus inquieti, qui inter alias etiam hanc Constitutionem mutare molirentur. Inde est C. 5. D. 35: „petitum fuit, ut auctoritate Congregationis statueretur, ne Superiorum localium officia ultra triennium continuentur. Decrevit autem Congregatio, nullum certum tempus præfigendum, sed servandum esse Decretum 87. Congregationis secundæ generalis. Et nihilominus Congregatio vehementer commendat Patri Præposito, ut diligenter curet, ne præfecturæ istæ Societatis nimis diuturnæ sint aut prolixe continuentur."

Non multo vero post eidem Congregationi quintæ significavit Cardinalis Toletus quædam declaranda, quæ suæ Sanctitatis voluntas erat ut executioni mandarentur. Unde C. 5. D. 64. n° 1: „ut Provinciales atque Rectores, exceptis qui sunt in domibus Novitiorum, non durent ultra triennium, sed vacent saltem per annum, in quo obediant, sicut ceteri." — Et tria alia puncta, in quorum fine pergit Decretum: „quæ omnia Congregatio reverenter audivit, et debita cum submissione, obedientia atque animorum promptitudine amplexa est."

Attamen brevi post Paulus V. in celeberrimo Brevi „Quantum religio Soc. JESU" 4 Sept. 1606 hæc habet: „[religionem Societatis JESU] diversimode perturbare, ab incœpto retardare, malis artibus humani generis hostis quotidie nititur; e contra vero illam et in suo laudabili proposito confovere et ad Instituti ipsius puritatem et nitorem pristinum retinendum adjuvare, in quo uno solo vis religionis consistit, procurarunt prædecessores nostri et nos totis viribus contendimus." — Consequenter inter alia multa laudat et confirmat C. 5. D. 35. de nullo certo tempore Superiorum officiis præfigendo.

Nihilominus iterum Innocentius X. „Prospero felicique" 1 Jan. 1646, expressis verbis hæc decrevit: „ut omnes et singuli ejusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales et alii Officiales, jurisdictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris novitiorum, in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, et officiis prædictis quomodocunque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare debeant; eaque elapso triennio hujusmodi eo ipso vacent et vacare censeantur; ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia prædicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice-Provincialis seu Vice-Præpositi, vel Vice-Rectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari valeant, nisi per annum cum dimidio saltem a fine dicti triennii computando, a prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis prædictis cessaverint, tenore præsentium statuimus, mandamus, præcipimus et ordinamus."

Demum Alexander VII. „Debitum pastoralis officii" 1 Jan. 1663 prædictam ordinationem Innocentii X., quam pluries ad certum tempus suspenderat, perpetuo revocavit, abrogavit, cassavit, irritavit, annullavit. Ita factum est DEO favente, ut etiam in hac re pristina Constitutio suum vigorem recuperaret.

3. — Juste tamen omnino C. 5. D. 35. commendat Patri Generali 1066
diligenter curare, ne præfecturæ Societatis nimis diuturnæ sint aut prolixe continuentur. Gravissimæ enim sunt rationes, quæ suadent, ut mutatio Superiorum crebrior fiat.

a. — Gubernare subditos onus est, a quo optimus quisque abhorret propter nimias curas difficultatesque muneri annexas. At quo brevius est tempus portandi hoc onus, eo facilius portatur propter spem, fore ut post tempus non adeo longum onus tollatur. Dein quo brevius est spatium gubernationis, eo plures ad gubernandum assumendi sunt; quo fit, ut onus portandum secundum mensuram magis æquam dividatur.

b. — Et cum hoc modo plures accedant ad gubernationem, numerus etiam augetur eorum, qui experiendo artem regendi subditos didicerunt; quod magnum est solatium Superiorum majorum, cum delectum habeant virorum aptorum ad hanc partem tam difficilem.

c. — Illi vero ipsi, qui actu gubernant, facilius liberi manent a periculo abutendi sua potestate, cum sciant, brevi fore, ut suæ villicationis rationem reddere debeant, sintque instar aliorum ad obediendum obligati. Quam rationem expressis verbis Constitutiones pro frequenti

mutatione Superiorum afferunt: „ut nimirum iterum obedire discant, sicut et ceteri."

d. — Non raro etiam fit, ut viri ad alia officia quam maxime idonei v. g. ad docendum litteras, habendas conciones, dandas missiones, compellente necessitate cum apti Superiores desint, ad gubernandum ad tempus assumi debeant; qui quo celerius suo munere defuncti sunt, eo citius etiam reddi possunt prioribus suis occupationibus cum consueto fructu proximorum exercendis.

e. — Dein quod habet P. 9. c. 3. I: „cum iis, qui se parum idoneos ostenderent, id commodi accedit, ut sine nota, cursu triennii peracto, removeri possint; nisi ante id tempus ratione universalis boni, Generali removendi viderentur."

f. — Demum negari non potest, mutationem ipsam personarum plerumque ex natura sua novum quemdam afferre vigorem vivendi et agendi. Nam ita hominum natura est comparata, ut, dum novum quid offeratur, etiam excitetur magis et animetur, majorique cum lætitia et energia ea amplectatur, quæ variationem ab ordinariis et consuetis important. — Quæ omnia luculenter probant, quam conveniens sit hæc lex mutandi Superiores.

ARTICULUS TERTIUS.

DE NATURA SEU FORMA REGIMINIS IN SOCIETATE.

1067 Forma regiminis in aliqua societate est ille modus stabilis, quo auctoritas ab illo, qui regit, possidetur et exercetur. Si subjectum auctoritatis supremæ est una persona physica, forma regiminis dicitur monarchica; si illud est persona moralis, seu Collegium plurium personarum optimatum, dicitur aristocratica.

Quæ sit forma regiminis in Societate JESU exprimitur a Gregorio XIV. „Ecclesiæ Catholicæ" 28 Junii 1591: „[gubernandi rationem in Societate JESU] Ignatius fundator... monarchicam et in definitionibus unius Superioris arbitrio contentam esse decrevit..., illud sequetur commodi, ut universus ordo ad monarchicam gubernationem compositus maxime servetur unitus" — Verissimum hoc quidem est; sed tamen statim apparet, huic formæ monarchicæ aliam speciem regiminis immixtam esse, quam secundum analogiam juste aristocraticam nominemus; et quidem modo tam miro et efficaci, ut regiminis forma totalis ad sustentandam et roborandam totam Societatem quam aptissime componatur. Rectius igitur vocatur forma regiminis mixta, sensu mox explicando.

1. — Natura regiminis monarchici potissimum in eo est, quod ordinarie tota potestas executionis sive administrationis ab uno homine tenetur, qui est caput totius corporis, seu Pater Generalis; et quod hæc plenitudo potestatis ab ipso Generali in ceteros Superiores tum provinciales tum locales convenienti modo derivatur pro natura et ambitu muneris, quo funguntur. Per electionem enim, quæ juxta Constitutiones a Sede Apostolica probatas rite facta est, Generalis eo ipso plenam hanc potestatem regendi et gubernandi tenet, etiam antequam alia approbatio summi Pontificis accedat. Retinetque hanc potestatem Generalis solus ad tempus vitæ, exceptis nonnullis illis casibus tristibus, de quibus in Constitutionibus ipsis provisum est. Generalis demum est fons jurisdictionis in ceteris Superioribus omnibus, eo quod ipse eos ad sua quemque munera nominat quodque eorum jurisdictionem et restringere et augere potest, ut in Articulo primo jam explicatum est. — Porro etiam in his Superioribus, provincialibus et localibus, potestas est per modum monarchiæ, cum ipsi pendeant quidem a Generali, sed non ex nutu ejus arbitrario, sed per modum in Constitutionibus provisum; et cum ipsis etiam sit in multis rebus muneri competentibus potestas absolute et definitive ordinandi constituendique. — Pro hac regiminis forma monarchica militant rationes gravissimæ:

a. — Quod jam dicit ipse Gregorius XIV: „ut universus ordo maxime servetur unitus." In hac regiminis forma potestas ordinandi, cum sit penes unum solum, magis firma et unita manet proindeque et expeditior est et efficacior. Unde fit, ut subditi, periculo propriæ voluntatis propriique judicii exempti, magis ex voluntate Superioris dependeant perfectioremque in parendo obedientiam exhibeant. Si contra, v. g. res definiendæ sint in capitulo vel provinciali vel conventuali, potestas regendi magis divisa apparet, nec tam facile subjectionem judicii et voluntatis secum trahit.

b. — Abest etiam a regimine monarchico multiplex illa occasio dissensionis discordiæque, quæ pro fragili hominum natura non raro invenitur in capitulis religiosorum, maxime dum agitur de eligendis variis Superioribus distribuendisque muneribus. Accedit etiam, ut gravissimum et maxime nocivum malum ambitus, quam fieri potest efficacissime excludatur vel saltem reprimatur.

c. — Deinde facilior est mutatio Superiorum, quando hæc vel necessaria vel utilis est, cum sit penes unum Generalem mutare Superiores, si in Domino judicet expedire. Et facile intelligitur, si causæ mutandi Superioris odiosæ sint et occultæ, hac ratione famæ hominis

melius parci diffamationisque periculum tum apud internos tum apud externos magis evitari.

d. — Dicunt quidem, periculo abutendi sua potestate exponi nostros Superiores, cum independenter et quasi absolute in rebus agendis disponere possint. Attendant, quæso, quod ea potestatis pars, quæ abutendi periculum fere sola habet, nimirum potestas legifera, in Societate ne penes solum Generalem quidem sit, nedum penes aliquem Superiorem Generali inferiorem. Potestas vero executionis administrationisque in Superioribus quam accuratissime circumscribitur Constitutionibus, regulis, consuetudine, ut vix possit quis extra limites suæ potestatis evagari, quin timeat, ne corrigatur, vel per Superiorem altiorem, vel per Admonitorem sibi constitutum, vel per Consultores suos admoneatur, vel alio modo convenienti.

e. — Demum dicendum videtur, nostram regiminis formam quodammodo analogam esse regimini Ecclesiæ, cujus caput unicum, summus Pontifex, ex plenitudine potestatis regit et gubernat totum gregem sibi a DEO commissum. Nemo tamen non videt, quam enormis sit differentia utriusque regiminis, cum Generalis ex jure humano tantum pro aliquali Ecclesiæ parte constituatur habeatque sibi Superiorem absolutum tum ipsum Pontificem tum ipsam Societatem professam, in Congregatione generali rite sedentem; imo dependeat in rebus non paucis etiam a voto suorum Assistentium. — Et hæc de forma regiminis monarchica.

1068 2. — Regimini monarchico in Societate admixtam esse formam aristocraticam, qua temperetur, diversæ in ea constitutæ Congregationes probant. Quarum facile princeps est Congregatio generalis, composita ex professis totius Societatis per universum mundum dispersæ; de qua jam supra.

a. — Hæc Congregatio generalis est ipsa „Societas JESU" sensu juridico spectata; ipsa enim Societatem repræsentat continetque in se omnia ejus jura et privilegia conjuncta. Unam porro partem potestatis tenet ipsa sola, legislativam scilicet, cum ipsius solius sit, leges condere, tollere, mutare, prout pro temporis conditione convenire judicat. Sed etiam in aliis rebus, administrativis et gubernativis, hæc Congregatio definitive et ultimatim decernit; imo sunt negotia quædam, quæ ab ipsa sola rite componi possunt; quorum summum est, eligere Generalem. Ipsa demum est supremum tribunal, cui ipse Generalis subjectus est, quem, licet habeat plenitudinem potestatis, tamen casu quo munere suo privare imo e Societate ejicere potest. —

Sed etiam Congregationes ceteræ, provinciales nimirum et Procuratorum, quamvis fere non habeant nisi vota consultativa, tamen ex modo quo inter se deliberant independenter a Generali, et ex modo quo tum sua tum provinciæ sensa exprimere Generalique suggerere possunt, influxum quam maxime efficacem in gubernationem vitamque totius Societatis exercent, plerumque magis immediatum et particularem pro conditione Societatis et provinciæ respectivæ.

b. — Sed in ipsis etiam Superioribus Generali inferioribus habes aristocratiam sat validam. Quamvis enim ab ipso Generali et constituantur et amoveri possint, tamen non sunt „ad nutum amovibiles," sed juxta modum et consuetudinem in Societate approbatum. Fruunter dein etiam jurisdictione ordinaria ex regula et ex jure muneri annexa, vi cujus res ordinarie occurrentes independenter et definitive componere et decidere possunt. Ipsi etiam Rectores, etsi non sint professi, vel professi in ordine antiquitatis nondum sat provecti, gaudent præ ceteris hoc privilegio, ut necessarie vocentur ad quamlibet Congregationem provincialem.

c. — Ne tamen etiam in hac regiminis forma aristocratica periculum remaneat abusus, aliis verbis: ne Superiores Generali inferiores abutantur potestate sibi competente in damnum Societatis (quod periculum propter humanam fragilitatem omnino ut absit, fieri vix potest), multiplici modo in Constitutionibus provisum est; maxime eo, quod nemo sit in Societate, qui non teneatur ad reddendam suæ administrationis rationem, ita ut abusus, si quando irrepserit, non tam multo post corrigatur.

CAPUT SECUNDUM.

De manifestatione delicti.

HUCUSQUE de regimine generatim. Adjungimus statim 1096
illam in Societate institutionem, qua Superiores, ut bene gubernent dirigantque sibi subditos, mirum in modum juvantur, quaque ex altera parte subditi, ut debito cum amore, reverentia, fiducia Superioribus se regendos tradant, non minus proficiunt. Est hæc, quam vocamus, delatio, denuntiatio, manifestatio delicti. Nomen quidem odiosum, res tamen, prout in Societate constituta est, quam maxime salubris tum singulis membris tum bono corporis communi. — Quomodo vero judicandum sit de

hac institutione, elucet ex Patris Claudii epistola (inter selectas) »de institutione Scholasticorum« 29 Januar. 1611, cujus aliquam partem proferimus:

„Sciant omnes, valde perniciosum esse, si quis sibi persuadeat, alienos defectus non debere aut posse manifestari, maxime ubi peccatum aut peccandi periculum apparet... enimvero meminerit Reverentia Vestra, quod in ejusmodi negotio, post maturam deliberationem ac diligens studium multorum præcipuorum theologorum, definierit unanimis consensus Cong. 6. [D. 32. et 33.], adeo ut non modo contrariam omnino sententiam vel opinionem, quæ fratres nostros a proposito fine retardare posset, eradicare oporteat, sed et diligentissime sit perquirendum, si qui forsitan aliud docerent aut consulerent; eos namque juxta Constitutiones alio amandare cogeremur."

Recurrendum igitur est ad duo ista decreta necnon ad Ord. Gen. c. 15., ubi explicitis verbis accurate tota doctrina in hac re tenenda proponitur tum pro subditis tum pro Superioribus.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID SIT MANIFESTATIO HÆC.

1070 Ea igitur delatio, denuntiatio, manifestatio, quæ in Constitutionibus exhibetur, est communicatio sive revelatio Superiori rite facta de defectu unius ex Nostris, quem is vel jam commisit vel committere parat; eaque mente facta, ut Superior pro muneris sui officio satagat vel damnum imminens avertere, vel damnum jam factum reparare, vel etiam pœnam debitam infligere.

Distinguitur vero duplex denuntiatio, fraterna scilicet et judicialis. Prior est, quæ fit Superiori uti patri, proxime eo fine, ut delinquens frater emendetur; altera habet præterea finem puniendi delinquentem, in quantum bonum commune postulat, ne delictum impunitum maneat. Suarez de rel. Soc. JESU tr. 10. l. 10. c. 8. explicite hanc materiam tractat; explicans simul principia, quibus innitatur; nimirum:

1. — Lex ipsa naturalis jubet nos succurrere proximo indigenti, ex virtute scilicet misericordiæ, cujus est sublevare afflictum, removendo ejus malum in quantum possumus. Major vero est indigentia sive necessitas spiritualis præ temporali vel corporali; unde etiam nobiliora sunt et magis necessaria opera misericordiæ spiritualia, puta: corrigere

errantem modo debito, vel ad ejus emendationem juvare; qui finis est proximus et præ ceteris intentus in hac denuntiatione.

2. — Notissimum est, Salvatorem nostrum, Matth. 18, 15. seqq. expressis verbis hoc injungere: „si peccaverit in te frater tuus.... dic Ecclesiæ"; quod in nostra re idem est atque: „dic Superioribus communitatis." — Hoc CHRISTI mandatum non est novum mandatum divinum positivum, sed potius explicatio et definitio mandati legis naturalis, qua omnes homines tenentur; a fortiori igitur homines christiani, quorum caput et dux charitatis perfectionem sublimissimam ipso suo exemplo quam efficacissime nos docuit et imitandam nobis proposuit.

3. — Juxta Constitutiones, quæ sunt lex nostra privata, contenti esse debemus, ut defectus nostri Superiori manifestentur, etiam omissa monitione privata; imo etiam parati ad fratrum nostrorum defectus Superioribus manifestandos. — Jam in Ex. c. 4. §. 8: „interrogetur, an contentus sit futurus, ut omnes errores et defectus ipsius et res quæcumque, quæ notatæ in eo et observatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur. Num etiam boni sit consulturus (quod et ipse et quivis alius facere debet), ab aliis corrigi et ad aliorum correctionem juvare; ac num manifestare sese invicem sint parati, debito cum amore et charitate, ad majorem spiritus profectum; præsertim ubi a Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita præscriptum aut interrogatum ad majorem DEI gloriam." — Reg. Sum. 9. et 10 — Ord. c. 15. — Quod vero ita in Societate ordinatum sit, gravissimis nititur rationibus:

a. — Nam finis hujus denuntiationis, qui est imprimis delinquentis 1071
emendatio procuranda, hoc modo directe et quam efficacissime obtinetur, per Superiores nimirum, qui muneris sui ratione aptissimi sunt, specialemque gratiam habent ad hanc rem expediendam.

b. — Etiam bono communitatis quam optime consulitur, pericula et incommoda ab ea removentur. Defectus enim in communitate commissi magis nocivi esse solent proximis propter scandali et infectionis periculum; ad quod avertendum præ aliis ipsi Superiores positi et idoneis mediis instructi sunt.

c. — Ipsi etiam religioso hæc lex eam affert utilitatem, ut, cum sciat defectum committendum delatum iri Superiori, eo cautius incedat, ne hujusmodi aliquid committat.

4. — Ad has rationes quæ omnibus religionibus communes sunt, accedunt in Societate nostra etiam aliæ eæque gravissimæ, ortæ tum ex natura ministerii apostolici, tum ex modo, quo composita est Societas. Etenim :

a. — Ministeria nostra, cum sint quam maxime varia, varias etiam requirunt in operariis nostris dotes et virtutes; quas nosse oportet Superiores, ne in injungendis distribuendisque laboribus fallantur, in singulorum perniciem Societatisque nocumentum et periculum. Quam notitiam specialem et necessariam non possunt habere, nisi ad normam hujus legis de occultis quoque defectibus edoceantur.

b. — Major pars Nostrorum sunt juvenes adhuc educandi et formandi juxta vitæ religiosæ rationem; qui proin Superioris educantis et instruentis consilio et monitis quam maxime indigent. Necesse igitur est, ut Superiores, qua patres spirituales, filiorum suorum quam accuratissimam habeant cognitionem; quam acquirunt tum ex manifestatione illorum ipsorum, quippe qui jubentur nihil clausum, ne conscientiam quidem propriam tenere; tum ex manifestatione hac nostra, quam alii charitate ducti Superiori de iis faciunt.

c. — Et ipsa Societatis fama periclitaretur, si quæ mala audiuntur de ejus sociis, Superioribus manifestanda non essent. Postulat autem amor matris nostræ, Societatis, ut eam defendamus et protegamus contra hostem hunc internum; nimirum, ne proprii ipsius filii male agendo famam ejus maculent ipsamque hoc modo impediant in procuranda proximorum utilitate et salute.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUOMODO SUBDITI GERERE SE DEBEANT IN MANIFESTANDO.

1072 Quæ sint partes subditorum in hoc manifestandi delicti officio, scilicet, quæ ipsis licita sint et quæ obligatoria, quam clarissime exponitur in C. 6. D. 32. et Ord. Gen. c. 15. p. 1; et sufficit fere, ipsa verba afferre, ut perfecte omnia patescant.

1. — Licet subdito, omnia revelare Superiori, etiam gravissima. — C. 6. D. 32. nº 1: „licitum esse omnibus manifestare Superiori, ut Patri, quodcunque delictum alterius, sive grave sit sive leve; et hunc esse sensum regulæ." — nº 3. „cum in eodem loco (Ex. c. 4. §. 8.) non solum de defectibus, sed etiam de erroribus et quibuscunque aliis rebus, quæ in ipso notatæ et abservatæ fuerint, fiat expressa mentio, non esse dubium, quin de omnibus delictis, etiam gravioribus sit sermo."

1073 2. — Et huic rei ingredientes Societatem ipsi consentimus. — nº 2: „cum in illo capite Ex. c. 4. §. 8. omnibus proponatur, et interrogentur, an contenti sint futuri, ut omnes defectus et res quæcunque, quæ in iis notatæ et observatæ fuerint, Superiori manifestentur, eo ipso Nostros

cedere cuicunque juri famæ, quod huic manifestationi obstare posset; et facultatem concedere omnibus, deferendi ad Superiorem quæcunque etiam gravia, quæ de illis notata fuerint; quandoquidem et ratione majoris humilitatis et profectus spiritualis, et ut a Superiore magis cognosci et melius dirigi aut juvari possint, ipsimet expresse concesserint et judicaverint sibi magis expedire ad majorem DEI gloriam et bonum animæ."

3. — Consiliario autem non licet revelare, quæ ei credita sunt. — 1074
n° 4: „verba illa regulæ" per quemvis etc." intelligi de illis, quæ ab aliquo alio in eo notata et observata fuerint, non autem de iis, quæ ipsemet secreto et consilii petendi gratia, ut dirigatur vel juvetur, cum alio communicaverit. — Si quando autem ob aliquas peculiares vel graves rationes dubitaverit consiliarius, num debeat manifestare Superiori rem eo modo in secreto acceptam, tum consulat diligenter Doctores, ut in re tanti momenti prudenter atque cautione, qua decet, procedere possit."

4. — Potest subditus adire Superiorem, etiam antequam interrogatur. 1075
— n° 5: „necesse non esse in hac manifestatione exspectare, ut hoc illi a Superiore injungatur vel ab ipso interrogetur, cum verba illa: „præsertim ubi a Superiore fuerit ita præscriptum" satis declarent, debere esse paratos ad hanc manifestationem, non exspectato Superioris præscripto."

5. — Imo in deferendis defectibus communi bono nocivis subditus 1076
tenetur ultro adire Superiorem. — n° 7: „in delictis, quæ vel in detrimentum boni communis vel in damnum imminens tertiæ personæ vergunt (qualia sunt infectiva aliorum et nociva bono religionis, ut sunt lapsus carnis cum tertio, seminatio discordiarum inter fratres, furtum, impugnatio et machinatio contra Institutum vel Superiores, præsertim vero Generalem, consuetudo detrahendi et susurrandi, et his similia), non solum potest, sed etiam tenetur quisque immediate uti denuntiatione paterna, manifestando illa Superiori, ut provideat secreto et prudenter tam bono subditi, quam bono religionis."

6. — Et tunc fieri potest, ut etiam ad judicialem denuntiationem 1077
descendere oporteat. — n° 8: „quando autem prudenter judicaretur, non posse adhiberi sufficiens remedium, quo provideatur bono communi vel tertiæ personæ, nisi assumatur in ea re officium judicis, tunc tenebitur subditus ad denuntiationem judicialem Superiori faciendam."

7. — Gravissimum autem est, ut semper et in omnibus adsit recta 1078
intentio. — n° 6.: „quod vero subjungitur: „debita cum charitate et amore", sic accipi debere, ut, qui manifestat, non debeat aliquo inordinato

affectu duci, ut alius scilicet confundatur, mortificetur, puniatur; sed ex affectu charitatis, ut videlicet ille melius juvetur in spiritu, periculis a Superiore occurratur...; atque ita manifestans servet eum modum manifestandi, in verbis, narratione, intentione, qui amorem et charitatem præ se ferat."

Nota. — Hæ sunt regulæ tenendæ a subdito in explendo denuntiationis officio. Quam apte, ordinate, sancte omnia disposita sunt. Quæ si integre observentur, non modo justæ querelæ nullus est locus, sed omnia mirum in modum nos juvant ad ea consequenda, quæ maxime nobis cordi sunt, nimirum perfectio propria, salus et honor Societatis, auxilium spirituale proximorum. — quod idem omnino elucet ex ratione, qua juxta Constitutiones Superiores in arduo hoc officio explendo procedere debent.

ARTICULUS TERTIUS.

QUID SIT SUPERIORIS OFFICIUM DENUNTIATIONE FACTA.

1079 Superioris est, facta sibi manifestatione, agere uti pater spiritualis, cui imprimis cordi est filii emendatio. Unde est, quod regulæ datæ C. 6. D. 33. omnes collineant in hunc præcipue finem consequendum.

1. — Res ita agenda est secreto, ut Superiori non liceat vel denuntiantis nomen revelare — n° 1: „ea ratione secretum servare debet Superior, ut deferentem nulli revelet sine ejus consensu, quem interdum dare tenebitur, atque ita, ut Superior semper omnimodæ indemnitati deferentis consulat." — Et revera valde odiosum esset officium deferentis, si ipsius famæ hoc modo non consuleretur; et vix quis inveniretur tam fortis et constans, qui onus hoc ferret, cum jam per se satis onerosum sit denuntiare eum, qui sibi loco fratris est.

1080 2. — Neque delatum revelare potest Superior, nisi in quantum omnino necesse est ad finem denuntiationis factæ assequendum. — n°. 2: „delatum etiam nulli debet revelare, qui non possit prodesse fini, quem denuntiatio paterna intendit, qui est profectus spiritualis subditorum et bonum commune religionis, quibus Superior debet paterne providere. Quare sine urgenti necessitate et magna utilitate in ordine ad dictum finem, et cum eo minore detrimento, quo possit respectu famæ delati, nunquam debet manifestare delatum." — n° 3: „quando judicat ob fines et rationes dictas revelandum, tunc debet illis tantum manifestare, qui prodesse possunt ad remedium adhibendum."

1081 3. — Cum delato ipso agere potest Superior de re delata. — n° 4: „habita ratione finis denuntiationis paternæ potest [Superior] ipsum delatum aliquando monere et corrigere secreto, coram duobus testibus, ut

ex Evangelio cum sancto Thoma docent Doctores. Item et de remedio consulere, imponendo secretum iis, cum quibus communicat." — n° 15: „potest etiam unus Superior dicere rem sic delatam et notam alteri Superiori ejusdem delati, quando res ita postulaverit ad finem paternæ delationis."

4. — In re gravissima non prohibetur Superior consulere alios idoneos, ita tamen, ut delatoris nomen ipsis non revelet. — n° 6: „cum autem possit et sit licitum, de ea re consultare cum iis, cum quibus expedit, pro remedio et cum secreto, ut tamen cum majori cautione procedatur, quando consultatio videretur necessaria, petatur consensus deferentis, quem dare ille debebit, sic tamen, ut in consultatione deferentis nomen taceatur, et res, quoad fieri potest, in universali tractetur. Non debet autem Superior petere a deferente, ut suo nomine subscribat rem delatam, cum ea subscriptio tantum deserviat denuntationi judiciali." 1082

5. — Permissum est Superiori, secreta remedia adhibere. — n° 7: „potest item ob dictum finem facere secreto, quæcunque judicaverit expedire ad remedium profectumque delati, citra ejus infamiam: ut monere privatim, reprehendere, terrere minis, diligentius invigilare circa ipsum, mutare illum loco, prævenire occassiones, cavere a recidivo, non admittere ad aliquod officium, removere ab officio, quod habet, si sine violatione secreti, sub aliqua occasione apparenti et probabili, id præstare possit." 1083

6. — Nihil obstat, quominus Superior utatur occasione delationis factæ ad publicam reprehensionem quorundam defectuum. — n° 8: „potest etiam Superior aliqua ex sic delatis publicare in publicis refectorii reprehensionibus, ut sunt defectus leves et communes subditorum, imponendo pœnitentias ordinarias, secundum praxim communem Societatis, dummodo non afferant ipsi delato infamiam alicujus momenti; et quoad fieri poterit, consensus habeatur deferentis, et sine ullo ejus detrimento fiat." 1084

7. — Imo dimissio delati propter res Superiori communicatas non excluditur. — n° 9: „denique potest Superior interdum ex sic notis et ad se tanquam ad Patrem delatis venire ad dimissionem delati ex Societate; sic tamen, ut, licet adjuvetur et utatur hac notitia, non tamen eo modo procedat, ut talis defectus possit cognosci ab aliis, vel in specie vel in genere; sed alias alia via cognitas notas opponat, quæ ad illum dimittendum sufficientes sint in opinione aliorum; aut nihil dicat, nec det occasionem aliquam credendi, quod aliquid tale imponatur in pœnam delicti, quod omnino secretum est, nec alia via 1085

scitur, quam paternæ denuntiationis." — Monet demum Congregatio, ne nova videantur, quæ ab ipsa de denuntiatione fraterna probata sint, cum eadem antiquitus jam in aliis religionibus viguerint, approbante Sede Apostolica.

ARTICULUS QUARTUS.

DE DENUNTIATIONE JUDICIALI.

Quæ hucusque dicta sunt, referuntur ad denuntiationem fraternam, unicam fere in Societate usitatam. Attamen fieri potest, ut judicialis denuntiatio et forma etiam judicialis adhibenda sit; quæ qua ratione in Societate fieri debeat, indicant Constitutiones.

1086 1. — Eam fieri posse, habet C. 6. D. 32. n. 8: „quando autem prudenter judicaretur, non posse adhiberi sufficiens remedium, quo provideatur bono communi vel tertiæ personæ, nisi assumatur in ea re officium judicis, tunc tenebitur subditus ad denuntiationem judicialem Superiori faciendam." — Sequitur inde, subditum satisfacere legi nostræ suæque conscientiæ, si Superiori tanquam *patri* denuntiationem debito modo faciat; tunc Superioris est, considerare, an res ejusmodi sint, quæ *judicialem* requirant processum.

Num possit Superior a fraterna denuntiatione transire ad judicialem, explicat Lugo „de justitia," disp. 37. n° 82: „communi sententia negatur, id fieri posse;" i. e. ultro et sine gravi ratione; nam ipse Lugo statuit has exceptiones:

a) quando ex delicto grave damnum immineat, vel pro communitate vel pro tertio, tunc Superiorem posse, imo et debere, uti notitia quam acquisivit, ad tale damnum efficaciter removendum. — n° 83.

b) quando per viam paternam Prælatus non consequatur emendationem subditi, et speret per viam judicialem eam se esse consecuturum. Tunc enim delatorem potest obligare ad juridicam denuntiationem.

1087 2. — In Societate JESU non exsistit forma judicialis legaliter definita; nec dicitur ullibi in Constitutionibus, formam judicialem secundum normam juris communis assumendam esse. Contra habet C. 6. D. 45: „cum regula nostra Summ. 9. et 10. finiatur in denuntiatione paterna, et casus sit rarissimus, in quo oporteat descendere ad judicialem, visum sibi [Patribus Deputatis] esse, non expedire, ut Congregatio Generalis aliquid de ea statuat; sed solum, ut R. P. N. Generalis curet instructionem fieri pro Superioribus, ut, si quando opus sit,

intelligant, quem in ea tenere modum debeant. Doctrinam porro illam, quæ jam dicto scripto continebatur et ex qua elici posse videtur Instructio, plerosque omnes probasse. Hanc vero Deputatorum sententiam tota Congregatio probavit." — Tunc C. 7. D. 94: „proposita formula judiciaria a Patribus Deputatis composita, censuit Congregatio, nullo illam decreto suo firmandam; sed Patris Nostri prudentiæ rem totam committendam, qui eam, quando commodum opportunumque, atque expedire in Domino judicaverit, Provincialibus communicare dignabitur, maxime cum gravior aliqua necessitas id postulaverit."

3. — Quæ tamen esse possit talis forma judiciaria, ostenditur in 1088
casu ambitus quoad Generalatum; sed ne tunc quidem necessaria est. — P. 8 c. 6. §. 2: „qui autem de ambitione hujusmodi convictus esset;" et decl. A: „oporteret clare testimoniis convictum esse, vel alioqui, quantum satis est de veritate eorum, quæ objecta sunt, constare, quacunque ratione id constare posset." — Quomodo „convictus", habetur tunc C. 4. D. 49: „decretum fuit, ut quod habetur P. 8. c. 6. A. de tribus antiquioribus Professis, qui cum Vicario judicaturi sunt eos, qui ob ambitum delati fuerint, intelligatur de antiquioribus Professis diversarum nationum, ita ut omnes quatuor judices sint ex illis quatuor nationibus, ex quibus Assistentes eligi solent." — C. 7. D. 65. censuit quinque in posterum judices creari, i. e. ex singulis Assistentiis singulos.

Coroll. — De appellatione sive provocatione ab inferiori ad supe- 1089
riorem judicem ratione illatæ injuriæ, tenenda sunt tum ea, quæ jus commune, tum quæ jus nostrum privatum statuunt.

1. — Jam ex Bulla Pauli III. „Licet debitum" 1549, non licet Nostris, a correctione regulæ Societatis secundum Ordinationes facta (ut vigor disciplinæ melius servetur) appellare, nec talis appellatio ab ullo judice admitti potest. — Quod idem est in omnibus religionibus — Comp. Priv. nov. n° 52.

2. — Per communicationem cum Canonicis Sanctissimi Salvatoris: „nulli de Societate ab Institutis, ordinationibus, correctionibus et mandatis Congregationis Generalis, aut aliorum Superiorum, ad quemcunque, etiam ad summum Pontificem et Sedem Apostolicam, nisi de speciali summi Pontificis licentia, appellare licet: appellationesque desuper pro tempore interpositæ et inde secuta irrita habentur." — Ibid n° 53.

3. — In causis gravioribus, v. g. quæ infamiam vel acerbam pœnam inducunt, licet omnibus religiosis appellationem proprie dictam interpo-

nere. Sed per communicationem cum Cisterciensibus in Lusitania ex Bulla Clementis VIII., Nostris sub excommunicatione ipso facto incurrenda interdicitur appellare, præterquam a Prælatis Ordinariis ad Generalem Præpositum, et ab hoc ad Congregationem Generalem, a qua nonnisi in casu injuriæ ad solam Sedem Apostolicam appellare licet. — Ibid. n° 53.

4. — Recursus ad Superiores omnibus religiosis licitus est, servatis ex regula servandis. Sed per talem recursum non suspenditur jurisdictio inferioris Superioris, nec quantum ad obligandum nec quantum ad exsequendum. — Ibid. n° 53.

CAPUT TERTIUM.

De Præposito Generali.

1090 „Ut in omnibus Rebuspublicis, vel Congregationibus bene constitutis, præter eos, qui ad fines particulares in eis tendunt, necesse est esse aliquem, vel etiam plures, qui boni universalis curam habeant, et ut ad proprium finem ad id tendant; sic etiam in hac Societate præter eos, qui particularibus domibus, Collegiis et provinciis etiam, in quibus hujusmodi sunt domus vel Collegia, præsunt, necesse est, esse aliquem qui universæ Societatis curam habeat; qui hunc sibi finem constituat, ut bene gubernetur, conservetur, et augeatur totum Societatis corpus; et hic est Præpositus Generalis."

SIC P. 9. c. §. 1. qui eligitur non ad tempus aliquod definitum, sed ad vitam constituitur; cujus rei causae adduntur: ut scilicet majori fruatur auctoritate, valeat experientia et exercitatione tam necessaria, et ne Societas ipsa plus laboris et distractionis patiatur, quod fieret, si ea saepius ad eligendum Generalem convocanda esset. — Proponitur accurate, qualis esse debeat Praepositus Generalis, quoad dotes supernaturales et etiam naturales.

ARTICULUS PRIMUS.

QUALIS ESSE DEBEAT GENERALIS.

1091 1. — Requiruntur in eo dotes illæ supernaturales quæ reddant eum quam intime Deo unitum, ut Ejus quodammodo sapientia et virtute omnia circa universam Societatem constituat. — P. 9. c. 2. §. 1:

„inter dotes varias, quibus ornari Præpositum Generalem optandum est, omnium prima hæc erit, ut cum DEO ac Domino nostro quam maxime conjunctus et familiaris, tam in oratione quam in omnibus suis actionibus sit, ut eo uberius ab ipso, ut boni totius fonte, universo corpori Societatis abundantem donorum ac gratiarum ejus participationem, ac multum valoris et efficaciæ omnibus illis rationibus, quibus ad animarum auxilium utetur, impetret."

a. — Bonum exemplum. — P. 9. c. 2. §. 2: „ut vir sit, cujus in omni virtutum genere exemplum reliquos de Societate juvet: ac præcipue in eo splendor charitatis erga omnes proximos, et imprimis erga Societatem; ac veræ humilitatis, quæ DEO et hominibus amabilem eum reddant, sit conspicuus."

b. — Mortificatio. — §. 3: „liber etiam ab omnibus inordinatis affectionibus per gratiam DEI edomitis et mortificatis sit oportet, ne interius judicium rationis perturbent; et ut exterius tam sit compositus, et in loquendo præsertim tam circumspectus, ut in eo nihil ne verbum quidem, notari possit, quod non ad ædificationem, sive eorum qui de Societate sunt (quibus speculi et exemplaris loco esse debet), sive externorum faciat."

c. — Severitas cum mansuetudine. — §. 4: „nihilominus eo modo didicerit rectitudinem ac severitatem necessariam cum benignitate et mansuetudine miscere, ut nec se flecti sinat ab eo, quod DEO ac Domino nostro gratius fore judicaverit; et tamen filiis suis, ut convenit, compati noverit, eo modo se gerendo, ut etiam qui reprehenduntur vel corriguntur, quamvis secundum inferiorem hominem, quod agitur, displiceat, agnoscant nihilominus, quod recte in Domino et cum charitate ille suum officium faciat."

d. — Animi magnitudo et fortitudo. — §. 5. „animi etiam magnitudo ac fortitudo ei est pernecessaria, ad infirmitatem multorum ferendam, et res magnas in divino servitio aggrediendas; in iisque constanter quando id convenit perseverandum; non propter contradictiones (licet a magnis et potentibus excitatas) animum despondendo; nec ab eo, quod ratio et divinum obsequium postulat, ullis eorum precibus aut minis separari se sinendo; ut omnibus demum casibus, qui incidere possunt, sit superior: nec prosperis efferri, nec adversis dejici animo sese permittat, paratissimus, cum opus esset, ad mortem pro Societatis bono in obsequium JESU CHRISTI DEI ac Domini nostri subeundam."

2. — Hæ dotes supernaturales potiores quidem sunt omnibus aliis; 1092
sed naturales etiam adsint, oportet, quamvis in hac parte, si quid

fortasse desit, per adjutores ejus facilius suppletur. Quod dicitur maxime de his dotibus naturalibus in §. 10: „et si aliquæ ex dotibus superius dictis deessent, certe non desit eximia probitas et amor erga Societatem, ac judicium bonum, quod etiam idonea doctrina comitetur: in reliquis enim per eos, qui ad ejus auxilium destinandi sunt..., cum auxilio ac favore divino multa suppleri poterunt." — Itaque:

a. — Prudentia. — § 6: „ut præclaro intellectus ac judicii dono polleat; ut nec in rebus ad speculationem nec ad praxim pertinentibus, quæ occurrerint, hoc talento sit destitutus. Et quamvis doctrina valde ei necessaria sit, qui tam multis viris eruditis est præfuturus, magis tamen necessaria est prudentia, et in rebus spiritualibus et internis exercitatio ad varios spiritus discernendos; ad consilium ac remedium tam multis, qui necessitatibus spiritualibus laborabunt, adhibendum."

b. — Discretio animi. —: „discretionis etiam donum in rebus externis, ac modo res tam varias tractandi, et cum tam diversis hominum generibus, in ipsa Societate et extra illam, agendi erit summopere ei necessarium."

c. — Vigilantia et sollicitudo. — §. 7: „et imprimis necessaria ad res conficiendas est vigilantia et sollicitudo ad res incipiendas, et strenuitas ad easdem ad finem et perfectionem suam perducendas; ut nec incuria nec remissione animi inchoatæ et imperfectæ relinquantur."

1093 *d.* — Corporis vires. — §. 8: „ad corpus pertinet: in quo, quod ad sanitatem, speciem externam et ætatem attinet, habenda est ratio, hinc quidem decentiæ et auctoritatis, inde vero virium corporis, quas ejus munus exigit, ut in eo fungi officio suo ad Dei ac Domini nostri gloriam possit."

e. — Bona fama. — §. 9: „circa res externas est: inter quas, quæ magis ad ædificationem et Dei obsequium in eo officio conferunt, præferri debent. Hujusmodi esse solent existimatio ac bona fama; et demum quæ ex ceteris ad auctoritatem cum externis et cum iis, qui de Societate sunt, adjuvant."

f. — Debet esse Professus quatuor votorum. — P. 8. c. 3. A: „si Congregatio ad electionem Generalis indicitur, nullus, qui quatuor vota solemnia in professione non emiserit, suffragium activum aut passivum ad hujusmodi electionem habere poterit." — C. 1. D. 6. c. 3. a. el. — P. 5. c. 1. A.

Nota. — Vides, qualis esse debeat ille, qui quasi super candelabrum positus, luceat coram omnibus, qui in Societate sunt, ad cujus exemplum pro mensura gratiæ sibi communicatæ omnes se componant. Quodsi etiam dotes naturales requiruntur, facile colliges, etiam has per gratiam nutriendas et elevandas esse, et sint Generales homines spirituales, qui viam Dei currere possint.

ARTICULUS SECUNDUS

De Generalis in Societatem auctoritate.

Statuitur generale principium, P. 9. c. 3. §. 1: „ut bene gubernetur Societas, expedire valde videtur, ut Præpositus Generalis omnem habeat auctoritatem in Societatem ad ædificationem." — Quæ eadem etiam est ratio, cur ad vitæ tempus constituatur, P. 9. c. 1. §. 1: „propterea quod experientia, et in gubernando exercitatio, et hominum particularium notitia, et erga eosdem auctoritas confert magnopere, ut bene hoc munus obeat, ad vitam et non ad tempus aliquod præscriptum erit eligendus." — Et hujus durationis dantur præterea aliæ rationes in decl. A: „una est, quod longius recedet omnis cogitatio et occasio ambitionis, quæ hujusmodi officiorum pestis est, quam si certis temporibus esset eligendus. Altera, quod facilius est, unum idoneum, quam plures ad hoc munus inveniri. Tertia est exemplum, quod sumitur ex communi ratione gubernationum magni momenti, quæ ad vitam esse solent, tam in ecclesiasticis, summi Pontificis et Episcoporum, quam in sæcularibus, Principum ac Dominorum." — Quamvis vero Præpositi Generalis auctoritas potestasque amplissima et universalis sit, tamen non est arbitraria et indefinita, quum capite tertio satis accurate jura ejus functionesque describantur. Nimirum:

1. — „Primum Præpositus Generalis per se et per alios admittere 1094
in domibus vel Collegiis vel ubicunque libeat, poterit eos, qui ad Institutum Societatis ei idonei videbuntur, sive ad probationem, sive ad professionem, sive in Coadjutores formatos vel Scholasticos approbatos admittendos, censeat. Potest etiam eosdem dimittere et a Societate removere." — Sic P. 9. c. 3. §. 1. — Quæ vero in dimittendis ex Societate tenenda sint principia, quique tenendus modus, in Constitutionum Parte secunda singula proponuntur.

2. — „Idem poterit, non exspectata Generali Congregatione, Domos, 1095
Collegia, Universitates Societati oblatas accipere, et in fundatores, cum privilegiis in quarta Parte dictis, eos quos in Domino admittendos duxerit, admittere." — §. 17. — Ea vero dissolvere non poterit, sine Generali Congregatione; P. 4. c. 2. §. 3: vel cum potestate ei ab hac collata, sive in particulari, sive magis generaliter. — Potest provincias erigere. — C. 1. D. 108: „placuit Congregationi confirmatio provinciarum, quæ hactenus fuerunt; et ut relinqueretur Præposito

novarum institutio." — C. 2. D 36. p. el.: „visum est Congregationi provinciarum institutionem juxta decretum prioris Congregationis Generalis Præposito Generali relinquendam esse: qui tamen nonnisi re diligenter considerata et cum Assistentibus communicata, novas provincias instituere ad commune Societatis bonum deberet."

1096 3. — P. 9 c 3. §. 5: „est item penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quosvis contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium, tam domorum quam Collegiorum Societatis; et imponendi ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum Collegiorum in eorundem utilitatem ac bonum, cum facultate sese onere liberandi restituta pecunia, quæ data fuerit. Alienare autem aut omnino dissolvere Collegia vel domos jam erectas Societatis sine Generali ejus Congregatione Præpositus Generalis non poterit." — Sed vide etiam n° 732. et 733.

1097 4. — §. 14: „constituat idem, ut dictum est C. 2. §. 68. per se ipsum Rectores Collegiorum et Universitatum, ac Præpositos locales domorum, quos aptiores fore judicaverit; provinciales itidem Præpositos ad triennium, ut plurimum (quamvis et contrahi et prorogari etiam id spatium temporis possit, quando ad majorem Dei ac Domini nostri gloriam id fore videbitur). Quibus etiam eam potestatem communicabit, quam duxerit communicandam." — Assistentes vero constituere non poterit, P. 9. c. 5. §. 3., nec Admonitorem suum. — P. 9. c. 4. §. 4.

1098 5. — Si senio aut gravi morbo impeditur, quominus muneri suo vacet, Vicarium sibi potest constituere, cum approbatione Provincialium. — P. 9. c. 4 §. 6. — Hæc tamen non videtur esse necessaria, si propter spem recuperandæ sanitatis Vicarius ad brevius tempus constituatur; cujus potestas, restituta Generalis sanitate, eo ipso cessabit. Debet etiam ante mortem eligere Vicarium, qui vita perfuncti locum sustineat, donec novus Generalis electus sit. — In utroque casu, si Generalis vel nolit, vel non possit designare Vicarium, hic eligitur modo præscripto; et quid agendum sit, Vicarius et Assistentes cum antiquioribus Professis videant. — C. 8. D. 29.

1099 6. — P. 9. c. 3. §. 2: „ejusdem erit, quos mittendos judicaverit, et quocunque volet, ad studium litterarum mittere; poterit et eosdem revocare, ante vel post absoluta studia; ac transferre ab uno in alium locum." — §. 9: „mittere poterit omnes sibi subditos... ad quaslibet

mundi partes, ad quodvis tempus vel definitum vel indefinitum, prout ei videbitur; ad quamvis actionem... poterit etiam missos revocare... decl. G: etiam missos per summum Pontificem nullo tempore definito."

7. — „Sicut ad Generalem pertinet curare, ut Societatis Constitu- 1100
tiones ubique observentur, ita ad eumdem pertinebit, in iis quæ accidunt, ubi dispensatione opus est, habita ratione personarum, locorum, temporum, et aliarum circumstantiarum, dispensare; quod munus ea cum prudentia, quam lux æterna communicaverit... præstabit. Idque tam de experimentis eorum, qui in probationibus versantur, quam de aliis rebus, in quibus eam fuisse mentem eorum, qui Constitutiones condiderunt, ad gloriam DEI ac Domini nostri judicabitur, dictum sit." — P. 9. c. 3. §. 8.

8. — „Ejus erit, uti facultatibus a Sede Apostolica Societati con- 1101
cessis, et eam partem illarum unicuique inferiorum communicare, quam in ipso bene collocatam, ad finem divini obsequii nobis præfixum, existimaverit. Ejusdem erit, revocare eas vel contrahere ad eamdem regulam divini beneplaciti omnia exigendo." — §. 10.

9. — „Quando non ad electionem Generalis congregatur Societas, 1102
in aliis eventibus Præpositus Generalis eam convocabit, præterquam in illis, quæ in nona Parte, c. 1. decl. C. exprimentur." — P. 8. c. 4. §. 2. — „Ex Professis, qui Congregationi intererunt, unusquisque suffragium unicum, solus Generalis duo habebit. Sed si numerus par esset, Provincialis reliquis præferetur; et si inter ipsos Provinciales esset paritas, pars illa, in quam Præpositus Generalis inclinabit,... esset præferenda." — P. 8. c. 3. §. 2.

CAPUT QUARTUM.

Quæ juvent Generalem.

DUM habet Praepositus Generalis omnem in Societate potestatem ad aedificationem, ut bene utatur ea, etiam Societas ipsa eum adjuvat, tum sua circa ipsius personam et rationem agendi providentia, tum suggerendo media administrationi utilia, tum dando idoneos adjutores, quorum opera utatur in munere suo obeundo. De quibus singulis haec.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SOCIETATIS IN GENERALEM AUCTORITATE.

1103 „Facultas vel providentia Societatis erga Præpositum (habita semper ratione boni universalis ac majoris ædificationis) sex in rebus, quæ ad DEI gloriam juvare possunt, consistit." — P. 9. c. 4. §. 1. seqq.

1. — „Prima [facultas] ad res externas pertinet, vestitus, victus et expensarum quarumlibet, ad personam Præpositi spectantium; quæ omnia vel augere vel imminuere poterit Societas, prout Præpositum ipsum ac se decere et DEO gratius fore judicabit. Et huic Societatis ordinationi Præpositum acquiescere oportebit."

2. — „Secunda ad corporis curam pertinet, ne in laboribus, vel rigore nimio mensuram excedat. Qua etiam in re ad moderationem se reduci sinet Superior, et Societatis arbitrio acquiescet."

3. — „Tertia ad animam ejus spectat, cum etiam viris perfectis aliquando hujusmodi cura... sit necessaria. Habeat ergo Societas cum Præposito Generali (et idem cum inferioribus fieri posset,) aliquem, qui accedens ad DEUM in oratione, postquam divinam bonitatem consuluerit, et æquum esse id judicaverit, cum modestia debita ac humilitate, quid sentiat in ipso Præposito requiri ad majus obsequium et gloriam DEI, admonere teneatur, sive ille sit ejus confessarius, sive alius quispiam per Societatem designatus, qui ad hoc negotium aptus videatur." — Ut aliqua ex parte postulato ipsius Præpositi Generalis satisfaceret, statutum voluit C. 12. D. 7: „ut deinceps PP. Assistentes tertio quoque mense, convocante reliquos eorumdem professione antiquissimo, conveniant ac inter se discutiant, num aliquid sit, de quo monendus videatur Generalis, aut quod illi repræsentari debeat; tum quoad ea, quæ propriam ipsius personam attingunt, tum quoad administrationem et gubernationem Societatis; illumque si quid sit, de eo quam primum, sive oretenus, sive scripto pro sua prudentia moneant aut illi repræsentent. Ad quod tamen nec ipsi tenebuntur, quin illorum pars major consenserit, si impar eorum fuerit numerus, aut media si par fuerit."

4. — P. 9 c. 4. §. 5: „Quarta est, quod si quis urgeret (licet eum non obligando sub pœna peccati), ut dignitatem aliquam admitteret, in qua Præpositi officium necessario relinquendum esset, non posset sine consensu Societatis eam admittere: Societas autem, semper intuendo, quæ ad majus DEI obsequium et gloriam pertinent, si obedientia Sedis Apostolicæ non compulerit, assensum nunquam præstabit."

5. — „Quinta locum habet, si accideret, ut valde negligens vel

remissus esset in rebus magni momenti ad Præpositi officium pertinentibus, propter corporis gravem ægritudinem aut senium, spe emendationis ea in parte sublata, unde multum detrimenti publicum bonum pateretur. Tunc enim Coadjutor vel Vicarius, qui Generalis officio fungatur, est eligendus; sive ipsemet Præpositus eum cum approbatione Præpositorum provincialium sibi substituat, sive illi cum approbatione duorum Præpositorum localium vel Rectorum uniuscujusque provinciæ eum per litteras pluribus suffragiis eligant ad Societatis gubernationem, cum ea facultate, quæ Generali, vel ipsi Societati, si ea eligeret, communicanda videretur."

Nota. — Ex. C. 8. D. 29, in eo casu eligendus est Vicarius eo modo, quo post mortem Præpositi. Et ex C. 12. D. 55. Assistentium est judicare, an talis casus in Præposito adsit, et quidem secundum majorem eorum partem.

6. — „Sexta locum haberet in quibusdam casibus, (quos speramus per Dei bonitatem, aspirante ipsius gratia, nunquam eventuros) cujusmodi essent peccata mortalia in externum actum prodeuntia; ac nominatim copula carnalis, vulnerare quemquam, ex reditibus Collegiorum aliquid ad proprios sumptus assumere vel cuivis extra Societatem donare, vel aliqua stabilia bona domorum aut Collegiorum alienare, vel pravam doctrinam habere. Si quid ergo horum accideret, potest ac debet Societas (si de re sufficientissime constaret), eum officio privare, et, si opus est, a Societate removere; in omnibus præ oculis habendo, quod ad majorem Dei gloriam et universale bonum Societatis fore judicabitur."

ARTICULUS SECUNDUS.

QUÆ JUVENT GENERALEM IN SUO MUNERE.

P. 9. c. 6. §. 1: „cum proprium Generalis officium non sit concionari, nec confessiones audire, nec alia hujusmodi (in quibus tamen ille ut particularis persona videbit, quid præstare possit, cum ei per alias occupationes officii sui proprias licebit, et non aliter), sed ita regere universum hujus Societatis corpus, ut conservetur, et, gratia divina aspirante, in bono suo statu et modo procedendi ad Dei et Domini nostri gloriam crescat, ad quem sibi propositum finem sua potestate uti debet." — Hæc verba, quibus incipit caput, satis indicant in genere, qua ratione Generalis procedat in regenda Societate; specialia tamen quædam valde opportuna accuratius hanc rationem describunt, quæ tum alibi, tum in hoc capite proferuntur.

1104 1. — Resideat ordinarie in eo loco, qui ad expediendas tot et tam varias obligationes natura sua aptissimus statim apparet. — P. 8. c. 1. §. 7: „et ut locus magis conveniat ad communicationem capitis cum suis membris, conferre plurimum potest, ut Præpositus Generalis magna ex parte Romæ resideat, ubi cum aliis omnibus locis Societatis faciliori utetur commercio." — Cum Roma sit caput totius orbis catholici, ex qua res religionis omnes diriguntur et ad quam necesse est conveniant partes omnes ad suas res componendas, facile cernitur, quam aptum sit, caput Societatis per orbem diffusæ etiam in hoc centro degere, quum, licet minori quidem mensura et minori gradu, similes tamen prorsus curæ et sollicitudines spectent ad ipsum, ad quas expediendas et definitive ordinandas centies ei recurrendum est ad homines et ad tribunalia, quæ Romæ ei præsto sunt ibique solum. Inter quas personas præeminet summus Pontifex; unde sequens:

1105 2. — Curet quam maxime Generalis, ut Sedi Apostolicæ quam intime adhæreat ejusque benevolentiam tum sibi tum Societati ipsi conciliet. — P. 7. c. 1. §. 8: „ad finem nostræ professionis ac promissionis melius consequendum, Præpositus Generalis, cum novus CHRISTI Vicarius in Sede Apostolica fuerit constitutus, per se vel per alium, intra annum ab ejus creatione et coronatione, teneatur ejus Sanctitati declarare, professionem ac promissionem expressam obedientiæ, qua ipsi Societas peculiari voto circa missiones ad DEI gloriam se obstrinxit." — Etiam P. 7. c. 1. §§. 1. et 2. — Hic est honor summus Societatis summaque ejus laus, stare semper ex parte Sedis Apostolicæ in omnibus eventibus, Pontificique præsto esse quovis momento et modo quam maxime expedito, ad tractanda negotia etiam maxime ardua in salutem Ecclesiæ et in animarum lucrum ubivis terrarum suscipienda. Ad quod requiritur, ut per benevolentiam ipsius conjuncta sit ipsi uti instrumentum per ejus manus regendum, quomodocunque ei placeat.

1106 3. — Ne impediatur Generalis rebus alienis tractandis. — P. 9. c. 6. §. 4: „quod in universum in sexta Parte capite tertio dicitur, eos, qui de Societate sunt, negotiis sæcularibus, licet pia alioqui essent, implicari non debere: id Generali magis quam reliquis omnibus convenit, ne in eis vel aliis etiam rebus, piis quidem, sed ad Societatem non pertinentibus, ita occupari se sinat, ut tempus ac vires ad ea, quæ pertinent ad ipsius officium (quod quidem magis quam totum hominem requirit) eum destituant."

4. — Ut recte agat Generalis in rebus tam variis, necesse est, ut habeat etiam sufficientem notitiam rerum variarum, et proin ut debite de omnibus informetur. — Unde P. 9. c. 6. §. 2: „ejus autem crebrior communicatio inter Præpositos inferiores cum Provincialibus erit; horum autem cum Rectoribus et Præpositis localibus, ut melius subordinatio conservetur. Aliquando tamen Generalis, vel ut pleniorem rerum omnium notitiam habeat, vel propter alia quæ sæpius accidere solent, ipsemet cum Rectoribus et Præpositis localibus et particularibus etiam personis aget; eosdemque consilio, reprehensione et, si opus est, etiam correctione juvare studeat; quandoquidem ejus est munus, defectus Præpositorum inferiorum supplere, ac cum divino favore et auxilio, quod in ipsis perfectum non est, ad perfectionem perducere." — Idem omnino P. 8. c. 1. §. 4. 1107

5. — Ad subministrandam hanc Generali pernecessariam cognitionem tum personarum singularum, tum circumstantiarum, inserviunt varii Catalogi, de quibus P. 9. c. 6. §. 3: „[apud se habeat] Catalogum itidem unum omnium domorum et Collegiorum Societatis cum suis reditibus; et alterum personarum omnium, quæ in quavis provincia versantur, non solum Professorum, et Coadjutorum, qui formati, ac scholarium, qui approbati dicuntur; sed etiam eorum, qui in probationibus exercentur, ubi eorum nomina et qualitates scribantur; et hunc Catalogum renovandum singulis annis, si convenire videbitur, curabit. Et demum omnia perspecta habeat, ut in omnibus rebus melius possit, quæ ad divinam gloriam pertinent, providere." 1108

Nota. — Sunt etiam alii Catalogi, qui cum supra nominatis tertio quoque anno a Provincialibus ad Generalem mittendi sunt; de quibus in Ord. Gen. cc. 17., 18. et 19. Ita fieri non potest, ut Generalis careat cognitione satis accurata tum personarum tum rerum temporalium, unde ex suprema sua sede conspectum totius Societatis possideat atque omnibus prospicere possit in bonum Societatis.

6. — Adjuvatur demum Generalis per officiales subordinatos, qui eam partem curarum et laborum sibi assumant, quæ juxta rationem muneris sibi commissi in levamen Generalis ipsis incumbunt, vel ab eodem data occasione attribuuntur. — De quibus magis in genere c. 6. §. 6: „sic etiam in quavis provincia eos habeat Provinciales tam probatæ fidei, ut qui intelligit, magna ex parte ex his et localibus bonam gubernationem Societatis pendere. Cum autem illi tales fuerint, laborem cum illis in rebus, quæ id patiuntur, dividendo et de omnibus gravioribus certiorem se fieri curando, plus otii et temporis sibi relictum, ut rebus universalibus vacet, quæ solus ipse obire potest, intelliget: 1109

plus etiam lucis ad perspiciendum, quid in illis facto opus sit, si ipsius intellectus eam lucem, qua donatus est, ex parte non amiserit; ut iis accidit, qui plus æquo in rebus particularibus ac exiguis occupantur; unde opprimi et debilior reddi intellectus acies ad res universales perspiciendas solet."

Quod in §. 4. dicitur, ne Generalis rebus alioquin piis, sed ad Societatem non pertinentibus cum detrimento rerum propriarum occupari se sinat, ut vires eo magis suppetant ad res officii sui tractandas, eadem ex ratione ad hos quoque officiales refertur. — c. 6. §. 5: „sed nec in exsecutione ministeriorum particularium ad Societatem pertinentium, quæ per alios effici possunt, magnopere occupari deberet; cujusmodi esset peculiaris alicujus domus cura, quod ad sustentationem temporalem et gubernationem ejus attinet; quin potius, ut superius dicitur suos quovis in loco, etiam ubi ipse residebit, officiales habeat, in quos si totam curam non rejecerit, sublevetur certe ab eis, et hujusmodi curæ occupatione liberetur."

1110 7. — Adjuvetur, necesse est, Generalis etiam in rebus ad suum officium immediate pertinentibus. — §. 7: nec solum Præpositus Generalis ad res particulares, ut dictum est, ministris opus habet, sed etiam ad universales et sui officii proprias, ut eis bene ac suaviter possit satisfacere." — Hi ministri Generalem immediate adjuvantes in rebus sui muneris sunt tum Secretarius Societatis, tum Procurator generalis Societatis, tum Admonitor, demum Assistentes.

1111 *a.* — De Secretario habet c. 6. §. 7: „habeat igitur, necesse est, qui multa in memoriam reducendo, ad sollicitudinem curandi res tam multas officii sui; qui etiam consilio ad eas ordinandas; demum qui diligentia ac labore ad eas opere complendas adjuvet. Id enim compertum est, quod nec viri unius memoria tam multarum rerum recordationi satis sit; nec si id præstaret, unius intellectus ad easdem bene considerandas satis esset; nec, quamvis et hoc posset, vires unius ad easdem exsequendas sufficerent." — Decl. D: „quoniam qui cum tam multis hominibus, deque rebus tam variis et tanti momenti agere debet, si aliorum ministerio non juvaretur, onus ferret intolerabile, quod ne magna quidem cum distractione animi et sanitatis, ac longioris vitæ dispendio bene posset sustinere: et sic videre est, eos omnes, quibus gubernationum alicujus momenti cura est commissa, quo illis satisfacere possint, multis ad id auxiliis sublevari. Unde et Generalis, ut bene, expedite et suaviter suum officium faciat, eisdem indiget auxiliis." — Eum constituit ipse Generalis. — P. 9. c. 3. §. 16.

Nota. — Adjunguntur Secretario singuli pro singulis Assistentiis Patres, qui a 1112
vicaria, quam ei præstant ope, dicuntur Substituti. Funguntur suo munere plerumque per triennium, missi a singulis Provincialibus Assistentiæ per vicem succedentibus. Tum pro Secretario Societatis tum pro ejus sociis particulares exstant regulæ ad singula horum munera descendentes; unde hoc loco agitur de iis tantum generaliter.

b. — Alter, cujus ope sublevatur Generalis in fungendo suo munere, 1113
est Procurator generalis, quem ipse, eodem quo Secretarium modo, constituet. — P. 9. c. 3. §. 16. De hoc est c. 6. §. 12: „in tertio auxilio, videlicet diligentiæ ad exsequendum vel complendum, quod ad res Societati necessarias fuerit constitutum, cujusmodi essent negotia, quæ ad domos vel Collegia pertinent, expedire; tum etiam, quæ illorum sunt, defendere: et generatim ad res omnes agendas, multum conferet, imo necessarium est, unius Procuratoris generalis Societatis auxilium, qui quidem Romæ resideat, ac prudentia, fidelitate et dexteritate cum hominibus agendi, et omnibus aliis dotibus polleat: non tamen Professus sit nec in domibus Societatis professæ habitet, sed in alia (de qua dictum est in quarta Parte), qui suis etiam auxiliis ac ministris ad ea negotia, quæ solus non potest conficere, necessariis sublevetur." — Quum etiam Procurator generalis suas regulas habeat, non requiritur neque expedit, hoc loco de ipsius officio longius disserere.

c. — Tertio loco venit Admonitor. — P. 9. c. 4. §. 4: „cum etiam 1114
viris perfectis" etc. cf. n. 1103. — Exstant etiam pro ipso regulæ speciales.

d. — Utilissimum vero adjumentum afferunt Generali Patres Assistentes, de quibus propterea fusius agemus articulo sequenti.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ASSISTENTIBUS.

1. — Instituti sunt Assistentes ob duplicem rationem: primo, ut 1115
erga Præpositum Generalem eam providentiam, quam Societas exercere debeat, exerceant. — P. 9. c. 4 §. 1. et A. — c. 5. §. 2: „in iis, quæ ad sumptus et curam corporis ejus et res alias minus graves pertinent, Congregatione opus non est; sed ut Societas viros quatuor ei Assistentes, qui discretione ac zelo communis boni Societatis polleant, constituat; qui quidem apud Præpositum manentes, in conspectu Creatoris ac Domini sui dicere ac efficere, quidquid circa tria prima in præcedenti capite dicta ad majorem DEI gloriam fore senserint, teneantur." — c. 6. §. 10: „secundum auxilium, videlicet consilii ad

res graves, quæ se offerunt, ordinandas et constituendas, quam sit Generali Præposito necessarium, ex earum multitudine et ex humani intellectus natura, qui tam multas in partes consideratione dividi nequit, vel certe ad id quod oportet, in eis partibus dispiciendum ac providendum non sufficit, potest intelligi. Videtur ergo pernecessarium, ut aliqui sint apud Superiorem viri litteris et omnibus aliis DEI donis clari, qui ei assistant; et considerandi peculiari sollicitudine res universales Societatis a Generali commissas curam habeant; quam illis posset dividere, quo accuratius res omnes perspiciant... Quisque autem ex eis peculiari oratione, et suis in sacrificiis recordatione, DEO partem illam sibi specialiter commissam commendare debet; et considerare, quid in ea magis, ad id consequendum, quod sibi Societas proponit, juvare posset. Conferendum etiam cum aliis esset, si quid ad rem facere magnopere videretur. Res autem inter se discussas Generali referre possent. Iidem etiam attenderent iis rebus quæ vel a Præposito, vel etiam a Secretario Societatis proponerentur, ut magis inter ipsos discussæ Superiori referantur. Et in universum in considerandis et tractandis rebus, tam ad doctrinam quam ad praxim pertinentibus, quæ altiorem considerationem postulant, juvare Præpositum ac sublevare debent. Præter id autem, et quod rebus multis melius provideri per illos poterit, prædicationi, lectioni, confessionibus audiendis et aliis bonis ac piis operibus ad DEI gloriam et animarum auxilium vacare poterunt."

C. 1. D. 80: „cumque iidem consiliarii Præpositi esse, et in rebus ad doctrinam et ad res gerendas pertinentibus eundem sublevare, et alioqui in lectione, prædicatione, et aliis piis operibus juxta Societatis Institutum exerceri debeant, bonos, fideles, Societatis et communis boni amatores, discretionis dono præditos, in rebus agendis versatos, et ad conversationem cum hominibus idoneos esse eos oportere, visum est; et eligendos ab iisdem esse electoribus, qui Præpositum Generalem elegerant; et quidem inter absentes et præsentes, inter Professos vel qui apti essent ad professionem emittendam, et si fieri posset, ex variis provinciis eligi eos debere."

1116 2. — Numero quatuor, nec plures nec pauciores olim eligendi erant; P. 9. c. 5. §. 2; electique diu sunt, rejecto etiam postulato peculiaris Assistentis pro Galliarum et Flandriæ provinciis; donec summa omnium electorum voluntate concessus est quintus Assistens pro Gallia; cui sextus postea adjunctus est pro Polonia et Lithuania reliquis quinque par in omnibus. — C. 6. D. 1, — C. 18. D. 10. —

Porro in restituta Societate quatuor tantum Assistentes elegit C. 20. D. 4., quos C. 21. D. 4. statuit, juxta antiquum morem nominandos esse Assistentes Italiæ, Germaniæ, Galliæ et Hispaniæ. At C. 22. D. 11. quintum Assistentem pro provinciis lingua Anglica utentibus constituit, eumque Angliæ Assistentem nuncupandum esse decrevit. Quinque igitur eligendi Assistentes in præsenti sunt ex quinque nationibus, in quantum fieri potest; scilicet ex Italia unus, alter ex Germania, alius ex Gallia, alius ex Hispania, alius ex Angliæ et Americæ septentrionalis provinciis.

Electio hujusmodi Assistentium eorum erit, qui Præpositum eligunt, quando ad id congregantur. — P. 9. c. 5. §. 3. — At si quis ex electis Assistentibus vel mortem obiret, vel abesse a Generali diutius cogeretur, Generalis alium substituet; qui cum approbatione majoris partis Provincialium, qui sunt in Europa, manebit in defuncti vel absentis loco. Non est igitur Assistentis, sibi aliquem substituere; nec aliqui a Congregatione generali designandi, qui subrogentur, si opus fuerit; aut plures Provincialibus a Generali proponendi; sed unum aliquem Præpositus nominare ac substituere etiam potest ante Provincialium approbationem, aliquam informationem de eo transmittens iis, quibus notus non esset. — Substitutus autem a Generali in locum Assistentis demortui aut absentis non habet suffragium in Congregatione Generali seu Procuratorum, vel ad dissolvenda Collegia aut domos Societatis, nisi prius constet de approbatione prædicta Provincialium. — C. 4. D. 25.

3. — Assistentium munus nec prælaturam continet, nec dignitatem; 1117
est tamen in Societate gravissimum et multis gaudet prærogativis. Dimittere officium datum a Societate sine ejus consensu non possunt; qui etiam consensus exspectandus, si quis Assistens eo loco indignum se præstaret. Suspensio autem ab exsecutione officii infligi potest a Præposito Generali; cui ceteroquin competit judicium de Assistentis indignitate vel inhabilitate propter senium aut gravem infirmitatem, servata juris nostri forma. — C. 17. D. 8. — C. 1. D. 87.

Sunt ordinarii consiliarii Generalis in rebus gravioribus; statuendi tamen facultas penes unum Præpositum erit; salvo suffragio decisivo, quod competit Assistentibus in nonnullis casibus et in iis omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem Generalem. — C. 5. D. 16. — Et eorum est, judicium ferre, an Generali adhuc viventi, sed ad gubernationem Societatis inutili sit substituendus Vica-

rius. — C. 8. D. 28. — Ad quod judicium non requiritur unanimitas, sed satis erit, si eorum pars major consentiat. — C. 12. D. 55.

1118 4. — In Congregationem Generalem, quacunque ratione cogatur, admittuntur æque ac Provinciales; nec ab ea excluduntur, qui in eadem officio suo defuncti sunt. Quin si contingat Generalem in ipsa Congregatione aut paulo post decedere, nullo nominato Vicario, antiquissimus professione votorum Assistentium Congregationi et electioni præsideret. — Habent pariter jus suffragii in Congregatione Procuratorum, C. 2. D. 19. — et ad electionem Vicarii, etiam seclusa professionis antiquitate, si præsentes fuerint. — Ipsorum litteræ Nostrorumque vicissim ad illos, non possunt ab ullo Superiore, excepto Generali, reserari. — C. 7. D. 14.

ARTICULUS QUARTUS.

De vicario generali.

Præter ordinarios ministros, a quibus Generalis juvatur in gubernatione universali Societatis et de quibus hucusque, superest adhuc alius, Vicarius scilicet, cui totius regendæ Societatis munus, vel vivo adhuc Præposito Generali, vel etiam vita functo, potest obtingere. Etiam pro hoc munere rite fungendo exstant regulæ satis particulares et minutæ, sub titulo: „Officium Vicarii Generalis;" unde pro nostro fine sufficit hoc loco, hujus muneris summa quædam capita tangere.

1119 1. — Vicarius Generalis vel nominatur a Præposito Generali ipso ad hoc: aut ut ipsi per morbum impedito in administratione sui muneris assistat, aut ut, ipso vita functo, regat Societatem, usquedum novus Generalis electus sit. Vel etiam eligitur Vicarius modo in Constitutionibus præscripto ad hoc: aut ut Generalis ad regendum incapacis vel indigni vices gerat, donec Societas ipsa provideat; aut ut, quando Generalis decesserit e vita, non nominato Vicario, regat totam Societatem usque ad electionem novi Generalis factam. Potest Societas in casu quo eligere Vicarium vel cum jure succedendi vel sine eo; attamen semper requiritur, ut qui eligitur, sit Professus quatuor votorum.

1120 2. — Potestas competens Vicario ad gubernandam Societatem in genere est ea, qua fruitur ipse Generalis; pendet tamen Vicarius in rebus non paucis a suffragiis Assistentium, juxta pluralitatem suffragiorum, habente ipso suum suffragium. Eorum tamen numerus, si unus vel plures deficiunt, completur per electionem eodem modo

factam, quo ipse constituitur, habente ipso pariter suum suffragium in tali electione. — Similiter, quod jam supra dictum est n° 837, restringitur ejus potestas exercenda quoad Professos mittendos, maxime ante Congregationem generalem et durante ea, ne ipsorum jura per Vicarii ordinationem lædantur. — Imo in nonnullis casibus gravissimis res devolvuntur ad Congregationem generalem.

3. — Habet Vicarius facultatem celebrandi contractus, non tamen 1121
alienandi aut vendendi bona stabilia Societatis, nisi res sit in evidentem utilitatem, et quæ moram non patiatur; et cum consensu Assistentium ad plura suffragia. — C. 2. D. 53. — In alienando vel vendendo
eum teneri etiam iis, quæ dicta sunt n° 705. et 706. clarum est. 1122

4. — Potest admittere ad professionem et gradum eos, qui habent omnia ad id requisita, non obstante C. 4. D. 3., ex C. 12. D. 10. — Habet etiam potestatem dimittendi e Societate eamdem atque Generalis, etiam quoad Professos et formatos Coadjutores, sed ex causis gravissimis tantum et ad plura cum Assistentibus suffragia — C. 8. D. 46.

5. — Præcipua autem pars officii Vicarii est, Societatem ad elec- 1123
tionem Præpositi convocare; et, decreto loco et die, Missas et orationes pro felici electione indicere. Ipse in Congregatione generali, cui ante electionem præsidet, habet unum tantum suffragium; sed ceteris paribus qualitatem præcedendi. Per electionem vero Præpositi cessat ejus officium, non autem jus accedendi ad Congregationem generalem; ubi sedet inter Provinciales, juxta antiquitatem suæ professionis. — C. 3. D. 2. — In eventu mortis suæ non nominat successorem. — C. 9. D. 14

ARTICULUS QUINTUS.

DE VISITATORIBUS SEU COMMISSARIIS.

In P. 9. c. 3. §. 7. dicitur de Commissariis seu Visitatoribus: „eam 1124
[illi] partem hujus facultatis habebunt, quam ipsis Generalis communicaverit." — C. 1. D. 91: „responsum est, Commissarios [sive Visitatores] non esse debere officiales ordinarios, sed prout visum erit Præposito Generali expedire. Post mortem vero Præpositi exspirare Commissariorum potestatem, (i. e. intra Europam; vide infra, C. 4. D. 3.), nec eos habere suffragium ratione officii ad electionem successoris, nisi alioqui eligerentur inter illos ternos de quavis provincia." — C. 2. D. 11: „decrevit Congregatio, Commissarios ad visitandas provincias tertio vel quarto quoque anno, vel quando Præposito Generali videbitur, et cum qua auctoritate ac jurisdictione videbitur, mittendos

esse. De aliis, qui continuum et quasi ordinarium officium haberent in provinciis remotis, censuit Congregatio, re bis consultata, non esse illos in posterum constituendos...; sed quum necessitas vel utilitas magni momenti hoc officium judicio Præpositi Generalis requiret, pro re nata posse hujusmodi Commissarios ab eo institui; qui, cum satisfactum erit causæ, propter quam instituti fuerant, pro ejusdem Generalis arbitrio, eodem officio defungantur."

C. 4. D. 3: „declaravit Congregatio..., etiam Commissariorum et Visitatorum extra Europam [nominationes] non exspirare per mortem nominantis, etiamsi nondum exsecutioni mandatæ fuissent; sed robur suum obtinere, et esse omnino exsecutioni mandandas, quoadusque ejus successor aliud statuerit." — Facultates vero et obligationes in ordine ad exercendum munus suum petendæ potissimum ab Instructione, quæ circumfertur impressa; hujus serium examen cum aliqui faciendum censerent, Congregatio 7. D. 37. rem totam Patris Nostri judicio commisit. — Secundum hæc igitur dicendum est:

1125 1. — Munus Visitatoris est extraordinarium: mittit subinde Generalis Visitatorem sive Commissarium, qui loco sui provincias obeat, cum aliquis gravis casus alicubi hoc extraordinarium officium postulaverit; ipsa electio sive nominatio est penes solum Generalem exclusive. In Europa exspirat munus Visitatorum per mortem Generalis; at extra Europam minime, ubi nominationes eorumdem sunt exsecutioni mandandæ etiam post mortem Generalis, quoadusque hujus successor aliquid statuerit.

1126 2. — Visitator Provinciali superior est, cui tamen provinciam, sicut et aliis Superioribus suas domos gubernandas relinquet, nisi quid sibi reservaverit, aut per se faciendum duxerit. Debet tamen eorum auctoritatem tueri, et mutuam inter illos fovere charitatem. Particularia per se ipsum non ordinet; et Provinciali permittat, ut munere fungatur suo.

1127 3. — Serio audiat atque etiam inspiciat eorum, quos visitat, necessitates, ut ipsis subveniat. Commendantur vero Visitatori potissimum hæc: cognoscere et amputare malorum radices; nationum studia et quascunque dissensionum causas tollere; usum omnium spiritualium exercitiorum promovere. Eidem cordi sit, Regulas Ordinationesque in admittendis, probandis dimittendisque Nostris exacte servari; Scholasticos in pietate et litteris institui: concionatores non delicatos aut vanitatum in dicendo sectatores, confessarios bene instructos et maturæ ætatis adhiberi; in universis obedientiam, sui abnegationem, paupertatem, zelum animarum curari; missiones frequenter, etiam a confessariis stationariis haberi; Coadjutorum pietatem excoli.

4. — Rationem habeat bonæ tum apud domesticos, tum etiam apud 1128
externos existimationis Superiorum, et potius per Superiorem, quam per se ipsum, quæ ordinaverit, exsequatur; quin aliqua exsequi jubeat post suum discessum. — Ipsimet vero subditi, si quas facultates aut privilegia a Visitatoribus obtinuerint, ea rogati Provinciali indicare tenebuntur; quod si recusaverint, pro abrogatis habebuntur; eadem vero sibi indicata Provinciales nequeunt, nisi Generali admonito, revocare.

5. — Licet Generali mortuo, Visitatoris munus in Europa exspiret, 1129
liberum tamen ei relinquitur, aut provincialem Congregationem adire in ea provincia, in qua tum fuerit, aut redire ad suam. In utraque tam activum quam passivum suffragium habebit, ita tamen, ut ad ingrediendum in alienam, quam visitavit, debeat requisitam professionis antiquitatem habere, tum in sua tum in illa; et ingrediatur extra numerum. Si vero ad suam provinciam redeat, ut Congregationem ingrediatur, sufficit habere in ea professionis antiquitatem, et intra numerum ingrediatur.

6. — Visitatorem seu Commissarium alet ea domus vel Collegium, 1130
ubi erit; itineris vero expensas ii facient, in quorum bonum est illud iter; si tamen pro Societatis gubernatione vel negotiis iter faciat. — C. 2. D. 82.

Nota. — Hucusque igitur de officialibus, quibus Præpositus Generalis utitur magis immediate ad bene fungendum munere suo. De ceteris officialibus et Superioribus, tum provincialibus tum localibus, quorum ope in regenda Societate continuo juvatur, sed magis remote et indirecte, non est cur ingeramus hoc loco sermonem. Omnium enim horum munerum exstant regulæ speciales, imo specialissimæ, ad quas legendas recurrendum est, ut eorum natura obligationesque cognoscantur. Iis vero quibus ista munera conferuntur, injungitur, tum ut statim ab initio suarum regularum studio serio incumbant, tum ut earum memoriam sæpius renovent. Quod si fit, non potest non esse, ut omnia in regimine rite fiant.

Decima Pars Constitutionum.

De modo, quo conservari et augeri totum corpus Societatis in suo bono statu possit.

1131 Postquam Sanctus Ignatius in novem Constitutionum Partibus modo explicatis, incipiendo ab admittendis in Societatem et persequendo eorum cursum totum juxta omnes ejus conditiones, relationes et operationes, conspectum plenum et perfectum Societatis Jesu nobis proposuit, in hac decima Parte quam maxime ei est cordi, quasi uno conspectu et quam brevissime ea proponere, quibus hoc corpus in bono suo statu et conservetur et augeatur. Et quæ semper fuit s. Patris Nostri mens, referre præprimis ad supernaturalia tanquam ad maxime utilia et necessaria, etiam hic locum habet in primis jam hujus Partis verbis.

„Quia Societas, quæ mediis humanis instituta non est, per ea nec conservari nec augeri potest, sed per gratiam omnipotentis DEI ac Domini nostri JESU CHRISTI; in eo solo spem constitui oportet, quod conservaturus sit et promoturus hoc opus, quod ad obsequium et laudem suam et auxilium animarum inchoare dignatus est. Et juxta spem hanc primum medium et maxime consentaneum orationum et sacrificiorum erit, quæ hac cum intentione sancta offerri et singulis hebdomadis, mensibus et annis, in omnibus locis, ubi Societas residet, certa ordinatione institui debent."

Et prosequitur tunc ea enarrare, quibus instrumentum cum DEO conjungitur.

Transit dein ad naturalia, „quæ... in proximorum utilitatem instrumentum disponunt...," „si tamen et addiscantur et exerceantur sincere ad solum DEI obsequium; non ut illis fiducia nostra innitatur, sed potius, ut divinæ gratiæ juxta summæ providentiæ suæ ordinem per hæc cooperemur; qui ad gloriam suam tam dona naturalia, quæ ipse ut Creator, quam supernaturalia, quæ ut gratiæ auctor donat, vult referri."

Attamen quum in explicandis materiis per novem præcedentes Partes singula, quæ in hac decima scripta sunt, suis congruis locis jam inserta et exposita sint, non est necesse neque utile, ad eadem iterum per repetitam expositionem recurrere.

Finito igitur toto opere hujus in Constitutiones nostras commentarii, hoc unum restat, ut grato semper animo benignissimæ erga nos divinæ Providentiæ testificationem recolamus, quæ tam sanctæ vocationis participes nos effecit; et quidem mente simul et opere.

„Omnes igitur constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus, in absoluta omnium Constitutionum observatione, nostrique Instituti peculiari ratione adimplenda prætermittamus. — Quo DEI Domini nostri solida veraque cognitio atque amor nostros ad se animos penitus trahat; totoque vitæ hujus et quasi peregrinationis curriculo usque eo gubernet ac regat, dum nos demum aliosque complures, nostra opera exemploque adjutos, ad ultimum et felicissimum finem, nimirum ad beatitudinem sempiternam perducat."

Fiat! Fiat!

CAPUT UNUM.

De Tertia Probatione.

1132 TERTIA probatio, sive tertius probationis annus, vocatur in Societate Jesu ille annus, quo, finitis plerumque studiis, Scholastici more fere novitiorum, per varia exercitia et experimenta iterum probantur, ut demum, postquam Societas tantum temporis et sollicitudinis in iis erudiendis et formandis impendit, eorum educatio ad finem perducatur. Etenim conceditur iis hoc tempus recollectionis, ut rite se præparent ad emittenda ultima vota, quibus Societati definitive incorporentur. Vocatur autem tertia probatio, quia prima et secunda probatio præcedunt, quibus Societatis candidati et novitii statim ab initio ingressus incipiunt formari. Agimus de hujus probationis obligatione, fine, mediis.

ARTICULUS PRIMUS.

OBLIGATIO TERTIÆ PROBATIONIS.

1133 Disseritur de hac subeundæ tertiæ probationis obligatione in multis locis Bullarum, Constitutionum et Congregationum, quorum præcipui sequuntur.

Gregorius XIII. „Ascendente" 25 Maii 1584: tertium adhuc ulterioris probationis annum in devotionis et humilitatis exercitiis inpendunt, ut, si qua fortasse in re harum virtutum fervor per litterarum occupationem intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem ardentioremque divini auxilii invocationem recalescat."

Ex c. 1. §. 12: „et ut admittantur Scholastici ad quemvis ex prioribus gradibus, Professorum vel Coadjutorum formatorum, unum adhuc annum post absoluta sua studia exspectabunt, quod tempus, cum Superiori visum fuerit, poterit prorogari.

Ex c. 4. §. 16: „et in Scholasticis, studiis absolutis, præter tempus, quo probantur, ut Scholastici approbati censeantur, tertius alius annus, antequam ad professionem vel in Coadjutores formatos admittantur, in variis probationibus, et speciatim in dictis [si prius illis perfuncti non sunt, imo quamvis perfuncti fuerint] vel in nonnullis earum, ad majorem DEI gloriam exigetur." — Etiam §. 43.

P. 5. c. 1. §. 3: „sed qui antequam ad studia mitteretur, vel in

iisdem diu probatus fuisset, post illa absoluta, si ad professionem est admittendus, integrum adhuc probationis annum habebit, ut adhuc magis perspectus sit, antequam eam emittat. Et prorogari hoc tempus poterit..., cum Societas, vel qui ab ea hanc in Domino curam habet, plenius sibi satisfieri desideraret." — Statuamus singula.

1. — Qui ante ingressum in Societatem studia absolverit (i. e. 1134
superiora, philosophiam et theologiam) non obligatur ad faciendam formaliter hanc probationem. — C. 8. D. 9: „quod petebatur, ut ii, qui absolutis studiis Societatem inierunt, et in aliis ministeriis probati sunt, antequam promoveantur, ad gradum, mittantur ad domum tertiæ probationis, vel in Collegiis secedant ad aliquot menses colligendi animi causa: Congregatio non censuit exigendum; sed satis esse, si, quæ jam constituta sunt, et ex usu Societatis promotioni ad gradus præmitti solent, exacte serventur." — Accuratius adhuc in C. 20. D. 8: „quoniam plures Sacerdotes his initiis ingressi sunt Societatem, et ob circumstantias nullum aut fere nullum habuerunt tirocinium, decrevit Congregatio, ut ii, et quicunque alii unum saltem annum novitiatus non peregerunt, etiam si ante ingressum in Societatem omnia studia absolvissent, non admittantur ad gradum, quin tertium annum probationis absolverint."

2. — Dispensandi a tertia probatione facultatem non habet Provin- 1135
cialis, sed solus Generalis. — Ita C. 16. D. 34: „declarandum censuit Congregatio, non licere Provincialibus quemquam eximere a tertio probationis anno integre peragendo. Speratque fore, ut R. P. N. neminem, nisi ob rationes gravissimas, et ab aliqua tantum illius parte eximat." — Ratio autem, cur hæc dispensatio concedi possit, habetur in aliquo Resp. Germ. 1604: „ratio dispensandi circa tertium annum ex necessitate communi provinciæ petenda est, non ex privata conditione cujusque personæ." — Et in alio Resp. Germ. 1614: „tertio anno nemo liberandus ideo, quod non indigeat."

3. — Loco hujus tertiæ probationis accipitur munus Socii Magistri 1136
novitiorum per annum; sed hoc solum, et non aliud. — C. C. 1637: qui fuit Minister in novitiatu, non est propterea exemptus a tertia probatione." — Et aliud Resp. Austr. 1632: „non liberatur quis a tertia probatione, quod præfuerit junioribus in Collegio." — Econtra Resp. Rhen. infer. 1639: „loco tertiæ probationis haberi potest, si quis fuerit Socius Magistri novitiorum." — Et Resp. Campan. 1621: „non potest idem tertiam probationem et ibidem agere Ministrum."

1137 *Nota.* — Quodsi Superiores existiment, hanc probationem alicui fore necessariam vel utilem, possunt hunc mittere, ut eam subeat, quamvis alias propter causas exsistentes dispensandus esset. Sic. Resp. Germ. 1601: »ad tertiam probationem mitti possunt et debent, quicunque talis spiritus renovatione indigere videntur.« — Et resp. Rhen. super. 1630: »qui videntur egere, mitti possunt ad tertium annum, etsi studia foris absolverint.«

1138 4. — Valde urgetur in Societate, ut hic annus probationis omnino integer peragatur. — C. 18. D. 22. §. 5: „ut tertius probationis annus omnino integer eoque animi studio transigatur, ut inde Nostri, juxta mentem Sancti P. Ignatii magno propriæ perfectionis desiderio et animarum zelo incensi emittantur." — C. 20. D. 12. §. 5: „ut tertius annus probationis, in quantum fieri potest, integer peragatur ab iis, qui studia in Societate absolverunt." — C. 22. D. 44. §. 1: „ut tertius probationis annus integer [C. 20. D. 12. §. 5], neque pro forma dumtaxat, sed ut in Instituto, ac præsertim Ord. Gen. c. 3. præscriptum est, peragatur." — Præcipue in Ord. Gener. c. 3. per totum.

1139 5. — Quodsi currente anno appareat, eum, qui est in probatione, non debite proficere, tempus probationis ei prorogari potest. — P. 5. c. 1. §. 3: „et prorogari hoc tempus (3. prob.) poterit, ut in Examine dictum est, cum Societas, vel qui ab ea hanc in Domino curam habet, plenius sibi satisfieri desideraret."

Imo potest fieri, ut utile esse judicetur, hanc probationem ab aliquo totam repeti. — Ord. c. 3. pro Prov. §. 8: „si qui in hac probatione non proficiunt, mature illos educat [Provincialis], ut eam optare omnes discant sciantque, se interim in humilioribus officiis exercendos, nec ad ullum gradum promovendos, nisi denuo ad tertium probationis annum admissi Superioribus satisfecerint."

Ex his, quæ dicta sunt, facile intelliges, quantopere cordi sit Societati, ne quis, nisi perfecte probatus et perspectus, ei tanquam membrum definitive incorporetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUID SIT TERTIA PROBATIO, ET AD QUID.

1140 Quid tertia probatio sit et quem ob finem peragenda, ex verbis ipsis Instituti optime intelligitur. Remittimus primo ad ea, quæ ex Bulla Gregorii XIII. „Ascendente" jam supra prolata sunt (n° 1133). Dein videamus sequentia:

P. 5. c. 2. §. 1: „in schola affectus diligentius se exercere et in rebus spiritualibus et corporalibus, quæ ad profectum in humilitate et abnegatione universi amoris sensualis, voluntatis et judicii proprii, et ad majorem cognitionem et amorem DEI conferunt, insistere, ut cum in seipsis profecerint, melius ad profectum spiritus alios ad gloriam DEI et Domini nostri juvent." — Ord. c. 3. (pro iis qui tertium annum agunt) §. 2: „finem esse, in plena et absoluta sui ipsius abnegatione ita se cum divina gratia exercere, et cum eadem ad virtutes religioso dignas incumbere, ut fiat homo in vita spirituali perfectus, idoneumque Societatis instrumentum ad animas CHRISTO lucrifaciendas evadat." — cf. supra, C. 18. D. 22. §. 5.

Postquam ex his locis clare et distincte cognovimus, quis sit hujus probationis finis, consideremus etiam, quam apte a Societate omnia circa ipsam disposita et constituta sint.

1. — Absolutis studiis et remotis etiam aliis occupationibus et 1141 impedimentis, sequitur pro Sociis Societatis JESU hic annus quietis et laboris spiritualis, qui totus impendatur in propriam sanctificationem promovendam perficiendamque. Sapientissime hoc constitutum est, præcipue propter vocationis nostræ rationem specialem, secundum quam vitam agimus, quam vocamus mixtam, procurando præter propriam, etiam proximorum salutem et perfectionem, et quidem principaliter et vi Instituti. Atqui, dicit sanctus Thomas 2. 2. qu. 188. a. 4., religiosos profitentes hanc vitam apostolicam magis et diutius, quam ceteros, exercendos esse in vita contemplativa; sicut videre est in ipso Domino nostro, in sanctis Apostolis et in aliis viris, qui eos secuti sunt. Et hæc eadem est ratio, qua in Societate media ista, quæ spectant ad vitam spiritualem promovendam, tantopere multiplicentur et augeantur: datur nimirum statim ab initio ingressus duplex annus novitiatus, sequitur tertia probatio, fiunt renovationes votorum bis in anno, peraguntur ab omnibus exercitia octidua singulis annis, etc. Tam nutritur copiose et abundanter cibo spirituali, ut homo internus conservetur et confortetur in tantis laboribus subeundis tantisque periculis vitæ apostolicæ declinandis.

2. — Etiam tempus hujus probationis, si spectas ejus durationem, 1142 optime fini consequendo adaptatum est.

a. — Unus annus conceditur Sociis pro hac probatione perficienda, non plus; sufficit enim ad finem consequendum. Nam non sunt amplius novitii et pueri recens advecti, qui in hac probatione versantur; sed

viri jam maturæ ætatis et probatæ scientiæ, nec non fere semper Sacerdotes, qui habent intimam cognitionem necessitatis et utilitatis hujus rei, et more virorum viriliter res perficiendas aggrediuntur.

b. — Unus annus datur, non minus, i. e. decem plerumque menses, ut ea, quæ ex novitiatu adhuc restant acquirenda, tunc demum acquirantur; ea vero, quæ longo studiorum tempore vel diminuta sunt, vel prorsus perdita, iterum reficiantur et redintegrentur. Nemo enim nescit, longo isto studiorum tempore, dum ad acquirendas varias scientias omnes nervi intenduntur, fervorum spiritus fere semper intepescere; ex natura occupationis continuæ, dum semper intellectus pascitur, animus vero sæpius frigescit. Unde est, quod plerumque juvenes nostri tempus istud adesse desiderant, ratione finis acquirendi sat breve, quo iterum in Domino reficiantur; et quod non raro postea per totam vitam peractæ hujus probationis memoriam lætissimam retinent huncque annum in decursu vitæ religiosæ felicissimum fuisse, grato erga Deum animo palam prædicant.

c. — Unius anni tempus etiam requiritur pro vitæ nostræ apostolicæ fine attingendo, ut simus scilicet instrumenta apta in manu Dei ad lucrandas animas. Necesse est enim, ut viri apostolici, quales nos sumus, sint viri vere spirituales, in virtute firmati, qui spernant pericula imminentia et operentur in gaudio spiritus et cum justa spe boni successus, opitulante utique gratia divina. Et talis firmitas et talis aptitudo animi tum demum per tertiam probationem necessario acquirenda est; nam si tunc non fit, nunquam postea fiet, cum per varias occupationes religiosus continenter fere detineatur et a spiritualibus quasi abstrahatur, uti experientia docet.

1143 3. — Aptum est etiam hoc tempus tertiæ probationis ad alterum ejus finem prosequendum, ut sit nimirum probatio et præparatio ad ultima vota emittenda; unde etiam norma probationis desumitur. — P. 5. c. 2. §. 1: „illi ad professionem idonei habebuntur, quorum vita diuturnis ac diligentibus probationibus... perspecta valde et approbata fuerit." — Est proin hic annus probationis palæstra quædam practica virtutis exercendæ, præcipue orationis, abnegationis, humilitatis, contemptus mundi. Et cum vocatio nostra sit tam sublimis, non deterreamur necesse est ullis difficultatibus et impedimentis, licet natura abhorreat et obstacula prætendat. — Eo etiam magis, quia in nostra vita agenda desunt quædam, quæ in aliis religionibus hominem juvant in sanctificatione perficienda, in Societate autem propter graviores rationes desiderantur; nimirum in ratione vestitus, mortificationis externæ

et similibus. Societatis Sociis internum spiritus robur insit oportet, quo suppleantur alia quædam externa, ut non minus præbeamus nos lucernam in candelabro positam, quæ luceat omnibus, qui in domo sunt, ut videant homines opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in Cœlis est.

ARTICULUS TERTIUS.

MEDIA AD FINEM CONSEQUENDUM.

Media ad finem tertiæ probationis consequendum alia habentur in ipsa ratione vitæ, quam hoc anno juxta Constitutiones agimus; alia in nostra ipsorum animi dispositione et alacritate, qua res agere debemus. Sit igitur:

1 — Societas, dum statuit formam et modum hujus tertiæ probationis, jubens nos facere ea, quæ juxta hanc formam facienda sunt, eo ipso exhibet nobis media efficacissima ad finem ejus consequendum. Singula igitur breviter percurramus.

a. — Tanquam conditio prærequisita statuitur, quam vocamus, 1144
separatio, i. e. rem tio omnimoda ab externis occupationibus, in sacro ministerio exercendo, in studiis, in conversatione cum externis, etiam per litteras scriptas. — Ord. Gen. c. 3. pro Instr. §. 11. — Imo hæc seclusio valet etiam in ipsa domo, in qua versantur Tertiarii, sejuncti ab aliis Patribus et Fratribus, præter socios probationis. Et juste quidem; omnes enim in vita spirituali experti, sive scribunt sive loquuntur de ea, postulant hanc externam et internam separationem, quum nihil magis obstet perfectioni in spiritu, quam effusio ad exteriora et superflua conversatio cum externis hominibus. — Ord. c. 3. pro Tert. §. 10: „intelligant sibi non fore liberum, colloqui cum Nostris aliunde venientibus, aut cum externis absque facultate Instructoris; neque expedire, ad vitandas importunas distractiones, ut cum aliis etiam aut inter se indifferenter agant aut conversentur, sed cum iis tantum, quos Superior cuilibet assignabit." — §. 7: „a studiis omnino abstinebunt. Quare nec novi aliquid videre, nec præterita recognoscere debebunt. Poterunt tamen præter libellos spirituales usitatos legere aliquos similes Patres, qui in catalogo recensentur, non eo fine, ut conceptus aut sententias ad concionandum decerpant, sed ut devotioni tantum et spirituali utilitati serviant."

b. — Fiunt dein sex ista experimenta novitiatus. — Ib. §. 5: „in 1145

sex Societatis experimentis et aliis similibus, juxta novitiatus consuetudinem, exercebuntur, sumpto initio a spiritualibus exercitiis per integrum mensem." — cf. Ex. c. 4. §. 9 scqq.

Finis vero his experimentis subeundis perficiendus idem est atque pro novitiis; proin etiam eadem mentis intentione assumenda. — Ex. c. 4. §. 11: „ut magis se demittant et humilient, ac eo veluti argumento demonstrent [in xenodochiis], se prorsus ab hoc sæculo ejusque pompis ac vanitate recedere, ut omnino suo Creatori ac Domino pro ipsorum salute crucifixo serviant." — §. 12: „ut possint ad incommoditatem comedendi et dormiendi assuefieri; atque adeo ut omni spe illa abjecta, quam in pecuniis et rebus aliis creatis possent constituere, integre, vera cum fide et ardenti amore, eam in suo Creatore et Domino constituant." etc. —

1146 *c.* — Conceditur juxta ordinem diurnum quotidie tempus liberum non quidem ea ex causa, ut quis hoc tempore libere naturæ indulgeat et pro arbitrio agat; sed quod est de tota probatione, est etiam de hoc tempore libero; nimirum ut omnes etiam hoc tempore utantur juxta rationem tertiæ probationis, at libere, i. e. prout singulis Spiritus dictaverit, vel orando, vel legendo bonos ascetas, vel aliquid de Instituto et historia Societatis. — Huc refertur etiam Ord c. 3. pro Tert. §. 6: „orationis tempus idem habebunt quod novitii, tum matutinum, tum pomeridianum; et illud præterea, quod a communibus occupationibus vacuum propria cuique devotio, re cum Instructore communicata, subministrabit; cum is potissimum hujus anni finis sit, ut intimam illam familiaritatem cum DEO in spiritualibus devotionis exercitiis acquirant, quam Societatis operariis necessariam Constitutiones docent." — Monendi serio Patres statim ab initio, ne particulam hujus doni prætermittant; sed juxta ordinem coram DEO ab ipsis rite sibi constitutum procedant, prout singulorum conditioni convenit. Nam mirum omnino est, quantum fructum spiritus et mentis ille colligere possit, qui, spernendo naturæ inclinationem et pruritum, ratione præposita procedat in utendo diligenter tempore libero.

1147 *d.* — Opera manualia facienda sunt, ad exercendam humilitatem et obedientiam, simulque ad salubriter relaxandum spiritum perpetuo in spiritualibus occupatum. — §. 12: „in ministerio culinæ et ceteris corporalibus exercitationibus omnia præstabunt, quæ novitii solent, seu tempus spectetur, quo singula præstanda sunt, sive occupationis spatium, quo explenda est. In his vero sic se a Præfecto dirigi sinent, sicut ipsimet novitii." — Attamen dicitur §. 6. pro Instr.: „exercitia corporalia valde moderata sint et non qualia novitiorum; eademque ad

mortificationem potius mentaliumque avocationem quam ad defatigationem apposita; tametsi vilia indumenta et aliæ id genus mortificationes prætermitti non debent." — Etiam sibi mutuo in Sacris ministrare debent; quod expressis verbis edictum est. — 1647.

e. — Dein studium Instituti per decursum hujus anni imprimis atten- 1148
dendum est, ut ejus cognitionem solidam, comprehensivam, practicam acquiramus, per totam vitam subsequentem non deficientem. Afferamus hujus rei rationes externas et internas.

α. — Ut quam diligentissime incumbamus in hoc studium, Constitutiones ipsæ multoties nos hortantur, ne desint nobis, quibus egemus postea in tam variis vitæ nostræ religiosæ conditionibus et occupationibus. — Jam in P. 1. c. 1 §. 4., ut idonei simus ad recte capiendam informationem de candidatis Societatis; quod est negotium maximi momenti pro incolumitate et salute ipsius Societatis nostræ. — P. 3. c. 1. §. 28. requiritur cognitio Instituti, ut apti simus ad operandum juxta illud. — P. 10. §. 13: „demum omnes observationi Constitutionum studeant, ad quam easdem scire, saltem quæ ad quemlibet pertinent, necesse est. Quare legere vel audire easdem singulis mensibus oportebit." — C. 12. D. 56. §. 1: „ut jus Societatis in epitomen redigatur, ejusque variæ ac dispersæ leges, ad faciliorem earumdem notitiam et praxim, in unum, eo quo par fuerit ordine, colligantur." — Societati restitutæ summopere cordi fuit, ut solida Instituti cognitione omnes imbuantur. Sic C. 20. D. 15: „quoniam ex non sufficienti peritia Instituti et Constitutionum nostrarum nonnulla incommoda orta sunt et plura, ni remedium afferatur, orirentur, Patribus Instructoribus tertiæ probationis Congregatio commendat, ut studium Instituti summa cura promoveant, rationem de hoc studio ab iis, qui probantur, sibi reddi curent, ipsos examinent, et de uniuscujusque profectu in intelligentia Instituti frequenter Provincialem certiorem faciant; Provincialis vero informationes acceptas in libro adnotet. In fine autem anni probationis tum ipse Provincialis, tum P. Instructor ad R. P. Generalem scribant, quantum quisque profecerit in scientia adeo necessaria. Illi, qui peractis studiis Societatem ingrediuntur, nec proinde tertium probationis annum habent, huic studio incumbant secundo sui biennii anno, sive illum in domo tirocinii peragant, sive in Collegio; et Pater aliquis designetur, qui id fieri curet modo supra dicto." — Eadem est causa, ex qua obstringuntur omnes ad legendas vel audiendas regulas communes singulis mensibus, imo qui habent officia propria Coadjutorum ad legendas suas regulas huc spectantes singulis hebdomadis.

β. — Interna vero ratio, ut diligentissime incumbamus in studium

Instituti, ea præprimis est, quod hæc cognitio nobis omnibus tantopere utilis et necessaria est pro felici animæ propriæ conditione. Quo magis enim nobis persuademus, quam apte et pulchre omnia in Instituto composita et ordinata sint, eo pluris id æstimamus magisque amamus, eoque ardentiore accendimur desiderio peragendi omnia, quæ ibi nobis præscribuntur. In hac via, quæ ibi nobis ostenditur, incedentes, non potest non fieri, ut rectissime accedamus ad istam imperturbatam mentis pacem et felicitatem, quæ est sors beata omnium filiorum adoptionis Dei in hac vita, et pignus certissimum illius gaudii cœlestis, quod DEUS præparavit omnibus diligentibus se. Hujus rei exempla ante nos sunt innumeri isti Societatis nostræ Patres et Fratres, qui sancte viventes in spiritu Instituti nostri, hilari simplicitate, omnibus adversis superiores, spectaculum facti sunt DEO, et Angelis et hominibus, ad recreandos debiles animos nostros, si deficiamus, et accendendos, si necesse sit, agere strenue pro voluntate DEI perficienda.

1149 γ. — Demum pro exercendo cum fructu ministerio in salutem proximorum cognitio Instituti prorsus necessaria est. Quo altius enim ejus spiritum imbibimus, eo aptiores sumus ad operandum ex hoc spiritu ut veri Socii JESU, tum in scientiis, tum in actionibus practicis. Revera inde pendebat pendetque semper, et Societatis firmitas interna, qua in se subsistit imperturbata, et ubertas atque universalitas, qua in actionibus externis tantopere semper splendebat et splendet, in bonum totius Ecclesiæ. Non est, ut gloriemur inde; sed laus redundat in DEUM, qui omnium est auctor benignissimus.

f. — Ultimo loco inter media recensemus gubernationem Superioris, maxime Instructoris, ut ita dicam immediatam et singulorum conditioni adaptatam. Etenim conversatio frequens inter Patres tertiæ probationis et Superiores non potest non conjungere animos mutuo isto vinculo charitatis et reverentiæ, quo Societatis Socii tam felices redduntur et tam apti, ut unitis semper viribus tanta pro DEI gloria operari possint, modo facili et jucundo. — Ord. c. 3. pro. Prov. §. 2: „Superiorem illis seu Instructorem deliget, qui auctoritate valeat et alias gubernarit. Cujusmodi foret Provincialis officio suo defunctus, aut similis quispiam alius, quem magni facturi sint et a quo regi se facilius patiantur.“ — Et sicut Instructor supponitur esse vir prudens et pius magnæque experientiæ, sic Patres tertiæ probationis adiguntur, ex usu ejus sibi fructum capere uberem, cum simplicitate et sinceritate mentis se ipsos illi offerentes, persuasi, hanc esse DEI circa ipsos specialem providentiam, quod manu ducantur a viro, cui præterea pro munere suo in ipsorum salutem perfungendo speciale omnino a DEO auxilium gratiæ competat.

2. — Sicut Constitutiones per ea, quæ circa tertiam probationem peragendam statuunt, magnopere nos juvant, dum in ea versamur; ita ex parte nostra juvari nos tanquam medio prorsus requisito oportet ea mentis dispositione et voluntatis alacritate, ex qua omnia alia media vim et efficaciam suam hauriunt. Ita evenit, ut hæc ipsa animæ compositio, qua Patres probationem aggrediuntur, quaque per decursum anni hujus in omnibus ducuntur, sit medium præ omnibus aliis uberrimum et efficacissimum ad perfectionem status acquirendam. De hac re maxima statuamus, quæ sequuntur.

a. — Non sufficit aggredi hanc probationem cum quadam mentis 1150
resignatione uti rem, quæ a Sociis Societatis JESU declinari non possit. Concedimus quidem, talem resignationem, si propter DEUM fiat, ad perferenda omnia naturæ ingrata per hunc annum, et ad viriliter superandas difficultates necessario cum hac vita conjunctas, sperni non posse nec egere suo merito coram DEO. Sed accipiamus insuper necesse est hanc probationem tanquam beneficium, ex manu DEI per Societatem nobis oblatum; proin grato erga DEUM et Societatem animo, cum firmo proposito, utendi hoc beneficio, quantum in nobis est, omni ex parte in nostrum ipsorum bonum spirituale, et cum cordis magnanimitate ad ferenda pro DEO minima ista naturæ ingrata, quæ revera magis in nostra phantasia, quam in rerum veritate inveniuntur. Et de facto, quid, si modo sanæ mentis sumus, potest nobis esse gratius, quam ut, liberati ab omni cura et sollicitudine circa res externas (qua cura maxima pars hominum fere continuo obruitur cum periculo æternæ salutis), unice occupemur in hoc, quod dicit Salvator esse unum necessarium, imo margaritam istam pretiosam, quam venditis omnibus nobis comparemus. Revera hæc considerantibus non potest esse hæc tertia probatio nisi onus leve et jugum suave, imo suavissimum.

b. — Præter hanc animi dispositionem in genere, nonnulla adhuc in specie attinguntur, quibus penetrari nos in ingressu probationis, et quæ tenere fixa in animo per decursum ejus, sanctissime monemur. Sunt autem, quæ sequuntur.

α. — Sincera animi simplicitas, cum ardenti desiderio proficiendi ad 1151
finem probationis prosequendum. Hoc expressis verbis dicitur in Ord. c. 3. pro Tert. §. 3: „ad hunc finem consequendum duo esse potissimum necessaria. Unum, ut qui ad hanc probationem mittitur, non perfunctorie ad eam transigendam accedat, sed magna cum animi simplicitate, ardentique profectus sui desiderio; proponatque sibi, omnino

abhorrere ab omnibus, quæ profectum hunc possunt impedire; totisque ea viribus amplecti, quæ eum ad eumdem adjutura, Superioris judicio videbuntur." — Et revera, nonne esset stultissimum, habere tempus et media ad prosequendam rem nobis carissimam et utilissimam, i e. salutem et profectum animæ et veram cordis beatitudinem, cum firma spe gloriæ cœlestis, et nihilominus segnes esse et remissos in utendo occasione tam salubri nobis liberaliter a Societate, matre nostra sollicita, oblata? Quid dicit S. Paulus: „Nonne qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, etc." „Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos vero incorruptam."

1152 β. — Accedat oportet spiritus fidei et studium orationis, et quidem opere et veritate. Nihil igitur omittendum est, quod, ut bene fiat oratio, ex nostra parte ad rem tam nobilem assequendam conferre possumus; utique relinquentes DEO mensuram gratiæ nobis communicandæ. — Ord. c. 3. pro Tert. §. 6: „orationis tempus idem habebunt, quod novitii, tum matutinum, tum pomeridianum; et illud præterea, quod a communibus occupationibus vacuum propria cuique devotio, re cum Instructore communicata, subministrabit: cum is potissimum hujus anni finis sit, ut intimam illam familiaritatem cum DEO in spiritualibus devotionis exercitiis acquirant, quam Societatis operariis necessariam Constitutiones docent."

Hæc familiaritas cum DEO ejusque Angelis et Sanctis in devotionis exercitiis ubique in Constitutionibus supponitur omni cum diligentia appetenda ab omnibus Sociis JESU, quia est unicum solidum fundamentum, super quo Societas firmiter subsistat, et unica spes felicis in operando successus habendi. Unde est, quod hæc conversatio in cœlestibus, hic sapor eorum, quæ supra sunt, ab iis imprimis exigitur, qui ceteris præsunt. Vide, quæ habentur in Parte nona de Patre Generali; similiter in regulis Provincialis, Rectoris ceterorumque; ubique in capite libri dictum est, ut sint homines vere spirituales, qui piis suis desideriis totam provinciam, totam domum sustentare possint. Ne miremur proin, commendari et requiri hoc studium bene orandi eo maxime tempore, quo juniores Patres ad futura sibi contingentia præparantur. Ut verificetur per eos, quod habetur P. 10. §. 2: „ad conservationem et incrementum non solum corporis, id est, eorum quæ externa sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis, quem sibi præfigit, auxilii animarum ad ultimum et supernaturalem suum finem consequendum, media illa, quæ cum DEO instrumentum conjungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora sunt, quam quæ illud disponunt erga homines. Hujusmodi est probitas et virtus,

ac præcipue charitas et pura intentio divini servitii et familiaritas cum DEO in spiritualibus devotionis exercitiis." — Sine spiritu orationis et continua ejus exercitatione omnia alia vana sunt et inania, æs sonans et cymbalum tinniens, licet externum quemdam splendorem præ se ferant. Econtra vir orans vir perfectus est, secundum illud S. Augustini: „Qui bene orat, bene vivit." Quare in Ord. 3. pro Tert. §. 2: „vires spirituales instauret [Pater tertiæ probationis] solidarumque virtutum studio et profectu tanquam necessariis in futurum præsidiis se communiat." — Vere dicitur: „communiat;" nam experientia utique tristissima probavit semper semperque probat, ex remissione orationis remissionem omnis virtutis ortum ducere, omnesque, qui circa vocationem naufragium passi sint, plerumque sensim defecisse in facienda oratione cum ea diligentia et sinceritate, qua edocemur in Societate ab initio incumbere in nobilissimam hanc partem nostræ vitæ religiosæ. Et ne vocationem amissam sequatur ipsius salutis amittendæ periculum!

γ. — Tertio venit mortificatio et abnegatio, quæ requiritur in Patre 1153
tertiæ probationis, ut prosequatur, repressa natura, ea tantum, quæ fides et spiritus suggerunt, cum animi fortitudine paratus ad offerenda sacrificia nobilia suo Creatori ac Domino. — Ord. 3. pro Tert. §. 3: „nihil omnino, quod ad profectum in humilitate et abnegatione universi amoris sensualis, voluntatis et judicii proprii, et ad majorem cognitionem et amorem DEI conferat, prætermittendo; ut, cum in se ipso profecerit, melius atque efficacius alios ad DEI ac Domini nostri gloriam, juvare possit." — Etiam P. 5. c. 2. §. 1.

„Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris." Hoc proclamant cum Thoma Kempensi omnes vitæ spiritualis magistri. Rectissime quidem; nam per solam abnegationem submovetur illud naturæ pondus, quo homo, ceterum bonæ voluntatis, semper ad terrena et sensualia deprimitur et impeditur, quominus ad spiritualia et cœlestia elevet animum. Econtra, excussa hac mole, non potest non fieri, ut per gratiam DEI portatus et adjutus ascendat de virtute in virtutem, donec ad intimam istam cum suo Creatore ac Domino perveniat unionem, quæ est apex et culmen omnis solidæ sanctitatis. — Caveto tamen imaginari, hanc abnegationem exerceri potissimum per quasdam externas mortificationes vel austeritates, quibus factis mens quiescat in superba quadam complacentia sui ipsius: „nam etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum." Sed requiritur interna illa abnegatio, quæ, excluso omni interno affectu nedum inordinato sed mere naturali, offerat totam suam animam Spiritui Sancto, ut Hic solus inhabitet in ea, et moveat et dirigat eam

semper et in omnibus secundum sanctissimum beneplacitum divinum. Nam qui Spiritu Sancto aguntur, hi sunt vere filii Dei.

1154 *Coroll.* — Stat proin hæc conclusio finalis: prosequimur in hoc tertiæ probationis anno finem præ omnibus aliis nobilissimum et gloriosissimum; et utimur ad eum finem prosequendum, ex benignissima providentiæ divinæ dispositione, mediis abundantissimis et efficacissimis.

a. — Quanto igitur gaudio et quanta consolatione fruemur omnibus vitæ nostræ diebus, si conscii nobis sumus, nos gratiam hanc a Deo oblatam et grato animo accepisse et studiose fructificasse. Si vere dicitur: qualis novitius, talis religiosus; nonne a fortiori hoc valebit de bene transacta tertia probatione?

b. — Debemus etiam Societati, matri nostræ sollicitatæ, quæ per annos et annos in sinu suo nos fovebat nutriebatque, ut pro innumeris in nos beneficiis collatis, dum ultimum hunc nostræ educationis favorem accipimus, secundum ejus intentionem toti quanti incumbamus in sanctificationem nostram perficiendam.

c. — Sit igitur statim ab initio nostrum propositum: accedere animo sincero et candido placendi Deo in omnibus fortiter, accurate, perseveranter.

Addatur ad n°. 361.

Ex litteris P. Meschler, 13. Aug. 1001, ad Provincialem C. Schäffer. A. R. P. N. Ludovicus Martin approbavit sequentes regulas:

Regula generalis.

Quicumque ad professionem quatuor votorum admittitur, debet ante 1155
professionem præter decem annos vitæ religiosæ septem annos integros studiis impendere, et septennio studiis non impenso, erit ei exspectandum, donec numerus septem annorum explentur, ne æqualitas lædatur.

Regulæ speciales.

1. — Quicumque omnibus studiis absolutis Societatem ingressus est, debet præter decem annos vitæ religiosæ tot exspectare annos, quot ad septennium studiorum deficiunt. — P. Anderledy, 7 Aprilis 1 86.

v.g. — Studia extra Soc.	— tempus professionis.
7 annos	10 annos
$6^1/_2$ „	$10^1/_2$ „
6 „	11 „
5 „	12 „

2. — Quicumque studia omnia intra Societatem absolvit, debet semper septendecim annos expectare, sive septem annos sive minus studiis impendit. — cf. P. Roothaan ad P. Staudiger 17 Aprilis 1830; sed. c. 9. D. 42. exigit integros annos;

v.g. Intra Soc.	— tempus professionis
7 annos	17 annos
$6^1/_2$ vel $6^3/_4$ „	17 „
6 „	17 „
5 „	17 „

3. — Quicumque partim intra, partim extra Societatem studia absolvit, debet praeter decem annos vitæ religiosæ tot exspectare annos, quot in Societate studiis impendit. — N. B. si utroque studio septennium expletum non est, $1 + 5 = 6$, debet exspectare tot annos, quot ad explendum deficiunt.

v g. Extra. —	Intra. —	tempus prof.
1	6	16
1	5	16[1])
2	5	15
3	4	14
4	3	13
5	3	13
6	3	13
7	3	13
5	2	12
6	2	12
7	2	12
5	1	11 + 1 = 12[1])
6	1	11
7	1	11

Instructio A. R. P. Ludovici Martin, de bonis temporalibus Societatis in Missionibus exteris.

1156 „Quoniam in Missionibus curæ nostræ commissis dubia et controversiæ de titulis bonorum nostrorum temporalium oriri solent, Superiores et Procuratores monui, in Ordinatione de rerum temporalium administratione, summopere curandum esse, præsertim in Missionum locis, non modo ut ex codicibus primo aspectu appareat, quænam bona et reditus a Nostris possideantur, quænam vero a Nostris tantum procurentur, sed etiam ut inventaria supellectilis quam diligentissime componantur et asserventur. (Ordin. n. 43 ad fin.)

Idipsum jampridem statuerat Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII. mandans in Constitutione *Romanos Pontifices* „ut bona Missionum diligenter describerentur, ea secernendo, quæ propria Missionum essent ab iis quæ ad Sodalitia sodalesve singulos pertinerent." Ubi animadvertendum est, vocabulum istud *Missio* a Summo Pontifice intelligi de Missione, prout ab Episcopo, Vicario aut Præfecto Apostolico pro Sacra Congregatione de Propoganda fide administratur; non vero de Missione, prout est pars Societatis aut ad Provinciam pertinent Societatis: hoc altero sensu Missio in laudata Constitutione exprimitur per verbum *Sodalitia*.

[1]) Quia solummodo sex annos intra et extra Societatem.

De diversis ergo bonis ecclesiasticis quæ in Missione inveniuntur vel inveniri possunt, hæc decernit summus Pontifex: — 1. Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos qua regulares spectantium, rationem, Episcopo reddere non tenentur. — 2. Eorum tamen bonorum, quæ Missioni vel regularibus intuitu Missionis tributa fuerunt, Episcopi jus habent ab iisdem missionariis regularibus, æque ac a parochis cleri sæcularis, rationem exigendi. Deinde in definiendo, quæ bona intuitu Missionis oblata censenda sint, edicit Sanctitas Sua „religiosos ad leges Concilii Westmonasteriensis II sese affatim accommodare oportere."

Cum autem Constitutio *Romanos Pontifices* ad omnes Missiones exteras vel jam extensa, vel certo certius paulatim extendenda sit, Superiores nostri, tam ut summo Pontifici debitam exhibeant obedientiam, quam ut bona nostra in tuto collocent ac Societati conservent, dictas leges probe cognoscere easque sine cunctatione in praxim deducere tenentur, tum etiam decreta specialia anno 1886 a S. Congregatione de Propaganda fide super Missionibus Societatis Jesu edita.

Porro leges de re proposita a Concilio Westmonasteriensi (VII De Bonis ecclesiasticis) latæ, sic breviter ex ordine efferri possunt.

Et primo quidem principium generale statuit Concilium his verbis: — „Allaborandum ut omni modo determinetur, si dubium existat, intentio et animus donatoris testatoris .. Si vero hujusmodi intentio non constet ex aliquo certo documento, servandæ sunt regulæ sive canones, quibus de tali voluntate recti judicari possit." (l. c. II. III.)

Huic autem generali principio sequentes peculiares regulas subjungit.

I. — De Bonis Stabilibus: Fundis, Ecclesiis, Scholis, etc.

1ª Regula: — Quotiescumque erigatur aut provideatur ecclesia seu schola sive aliud quodvis ædificium usibus religionis destinatum, sive ex integro sive ex parte pecuniis collatis a fidelibus, vel etiam a quavis Societate piorum catholicorum eleemosynarum administratrice, ejusmodi ædificium habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum. Et quamvis missio, de qua agitur, sit ab aliqua corporatione religiosa occupata et administrata, eleemosynæ illæ præsumuntur non corporationi ipsi, sed DEI cultui promovendo et pauperum levamini fuisse collatæ. (l. c. IV.)

2ª Regula. — Similiter judicandum, si ab aliquo benefactore talia ædificia alicubi provideantur, nisi certissime constet declarasse se in tali erectione non loci ejusque fidelium commodum respexisse, sed ordini illi domum voluisse conferre. (l. c. V.)

N.B. — Regulæ sub numero præcedenti et sub hoc traditæ (1ª et 2ª) quoad jus in fundationes, sunt applicandæ ad novas tantum fundationes (ibid.)

3ª Regula. — E converso, si certissime constet benefactorem declarasse se Ordini donum voluisse conferre, vel si fundus emptus sit aut ædificium constructum sumptibus alicujus familiæ religiosæ, horum dominium ad ipsum Ordinem pertinet. (Cf. l. c. V, VII.)

II. — De Bonis Mobilibus, Supellectili, etc.

1ª Regula. — Si generatim proventibus Ecclesiæ, vel donis sive collectis Congregationis.... fuerint hæc conquisita, omnino missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti (aut familiæ religiosæ) ea sibi vindicare. (l. c. XII, 2°.)

2ª Regula. — Communiter etiam censendum, nisi contrarium patet, juxta regulam in jure traditam, ea, quæ ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse missioni donata. (l. c. XIII.)

3ª Regula. — Ea vero quæ personalem habent usum, ipsi data reputantur, sicuti etiam res sacræ, si expresse veluti grati animi et affectus pignus a Congregatione sacerdoti cuivis donantur. (Ibid.)

4ª Regula. — Ea quæ sive ex proprio peculio, sive familiarum sibi bene affectarum donis, sive tandem ex ea parte proventuum Ecclesiæ quæ sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quæ accepit. (l. c. XII. 1°.)

III. — De Proventibus, Reditibus, Honorariis, Juribus Stolae.

1ª Regula. — Pecuniæ quæ a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendæ sunt pro bonis Ecclesiæ, non pro muneribus datis sacerdoti (aut familiæ religiosæ): (l. c. IX.)

Modi a Concilio recensiti sunt sequentes :

a) Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis, a quibus compensatio determinata datur ecclesiæ; — *b)* Solutio nummi determinati (ubi hæc consuetudo viget) ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare; — *c)* Collectæ, ad offertorium factæ; — *d)* Conciones ab aliquo insigniore verbi Dei præcone, post quas generatim pro Ecclesia, vel pro aliqua ejus parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynæ, qui sæpe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt; — *e)* Collectæ quæ vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos aut per Societates et Confraternitates legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei

nuncupata, vel quæ a ditioribus statutis temporibus aut singulis annis solvuntur. (l. c. IX, X.)

N.B. — Ex ea pecunia (quæ his modis colligitur) honestæ Sacerdotis Missionarii sustentationi... providendum est. (l. c. IX.)

2ª Regula. — Ad sacerdotis (seu familiæ religiosæ) peculium pertinent: — *a)* Honoraria missarum; — *b)* Ubi viget usus temporibus solemnibus Paschæ et Nativitatis Domini singulis sacerdotibus munuscula dandi, hæc ad ipsos (familiam religiosam) de jure pertinent; — *c)* Proventus ex Juribus Stolæ derivantes ordinario sacerdotibus (familiæ religiosæ) adjudicentur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur. (l. c. XIV, XV.)

Denique his omnibus decretum S. Congreg de Prop. Fide addendum est, die 18 Januarii 1886 editum, quod ita sonat: „Ex pensionibus Cappellaniarum militarium (si quæ in Missione habeantur) quod honeste eorum (Cappellanorum) sustentationi superest, a Superioribus regularibus totum tradatur Vicario Apostolico.

Atque hæ sunt regulæ particulares secundi concilii Westmonasteriensis, ad quas Romanus Pontifex nos omnes remittit, ut suorum verborum sensum assequi possimus.

In praxi ergo hæc a Provincialibus et Missionum Superioribus præstanda sunt:

I. — Diligenter inquirendum, quænam bona in Missione, sive immobilia sive mobilia, ad hoc usque tempus Societas habuerit tamquam propria. Quem in finem: *a)* Examinanda sunt instrumenta publica, testamenta, legata; documentorum verba ponderanda, et attendendæ circumstantiæ in quibus confecta sunt; *b)* Quodsi ex documentis scriptis quæstio dirimi nequeat, applicandi sunt canones in jure sanciti; exploranda donatorum mens adhibitis testibus quibus de ea constare potest; investigandum quænam bona pecunia Societatis empta fuerint; ad quid impensa sint honoraria Missarum, proventus ex juribus stolæ, etc.

II. — Ad casus dubios quod attinet, Sacra Congregatio statuit, Episcopos et Superiores regulares communi consensu eos solvere debere: quum vero diversæ opiniones conciliari nequeunt, controversiam ad Sanctam Sedem referendam esse, pro Societate Jesu per Præpositum Generalem. (Resp. Congr. de Prop., 16 Jul. 1889.)

III. — In posterum vero singula instrumenta contractuum, emptionis, donationis, testamentorum et legatorum, aliaque documenta quæ de titulis bonorum publicam faciant fidem, tam accurate cauteque

concipiantur, ut jura a Societate nostra quovis modo acquisita nullatenus in dubium vocari possint. Quorum documentorum (si ullo modo bona respiciunt Societatis) exempla authentica Romam mittantur, in archivio Societatis servanda. — (C. 1. D. 103. — Reg. 6 Secr. Soc. — Reg. 78. Prov. — Reg. 14. Proc. Dom. Prof. — Reg. 21. Proc. Coll. — Instruc. 9. n°. 15.

Sicubi Societas quominus quidquam possideat lege civili excipitur, ac proinde bona sua nomine alieno possidere ac vindicare cogitur, instrumento publico addantur, et una cum eo Romam mittantur, litteræ seu scripta privata authentica, quibus in foro conscientiæ atque in tribunalibus ecclesiasticis jura nostra et benefactorum voluntas dilucide probari valeant. Quod tunc maxime attendendum est, quando non Missioni vel Episcopo, sed nominatim Societati vel uni ex Patribus nostris bona quæcumque ea conditione donantur vel legantur, ut fidem in Missione promoveant, ut pauperes sublevandos curent, et similia. Quo in casu Societas, quamdiu in Missione permanserit, ea bona ad designatum finem fideliter impendere tenebitur, nec ea alio adsportare vel aliis usibus applicare poterit.

Si vero aliqua Missio fundatur exclusive sive longe majore ex parte sumptibus nostris, et deinde Missio relinquenda sit et ad alia loca justis de causis migrandum fuerit, curetur „ut pactio clara fiat inter Episcopum et Superiorem quid hoc in casu sit agendum, ne jura ex una parte lædantur, neve scandalum ex altera oriatur et grave animarum damnum emergat." — (Conc. West., II., l. c. VII.)

IV. In omnibus domiciliis, et maxime in iis, quæ non sunt propria Societatis, inventaria rerum mobilium, supellectilis, etc., fidelissime componantur et asserventur, „unde clare videatur quænam res ad Societatem .... pertineant." — (Vid. Ordin. de rer. temp. adm. n. 43 ad fin; cfr. etiam Conc. Westm. II. l. c. VII.)

V. Debito tempore reclamentur et Societati vindicentur quæcumque ex proventibus ecclesiæ, ex honorariis Missarum, ex juribus stolæ, etc. Missionariis nostris legitime obvenire poterunt. „Etenim quum hæc omnia sint bona Societatis, nefas est de iis disponere... absque licentia Superioris qui ea applicare potest."[1] — (Vid. Ord. de rer. tem. adm. n. 37 ad fin.) Proventus vero qui ex ipsa Missione Societati obveniunt, non extra Missionem sed in bonum ejusdem impendenda sunt: singulisque

[1] Quæ ibi præscribuntur minime dissonant ab his quæ rescribebat supra n. 87, R. P. Roothaan, 14 martii 1850; hic enim præ oculis habebat casum quo Nostri non potiuntur dispensatione ad accipiendum stipendium.

trienniis Superior regularis S Congregationi rationem de iisdem reddere tenetur.

VI. Nulla pecunia, Societati quovis titulo acquisita, ita ut liberam dispositionem sibi vindicare possit, mutuo detur sive Ecclesiæ aut scholæ sive alii cuicumque operi, quantumvis pio, cujus dominium perfectum ad Societatem non pertineat, nisi prius debita, secundum Ordinationem de Administratione rerum temporalium n° 25, obtineatur licentia. Quodsi, præhabita facultate debita, aliquid mutuo detur, ita fiat, ut ex documentis authenticis clare constet quantum Societas ex suo fœneraverit

VII. Singulis annis a Procuratore Missionis relatio bonorum omnium Societatis cum rationibus expensorum et acceptorum (per Provincialem si Missio sit dependens a Provincia) ad Præpositum generalem mittatur. (Vid. ordin de rer. temp. adm. n° 45.)

Hæc sunt quæ pro officii mei munere præscribenda esse duxi. Id unum rogo atque obtestor omnes Provinciarum ac Missionum Præpositos, ut fideles sese administratores et adjutores exhibeant in re tanti momenti, super qua et mea et eorum conscientia gravissime oneratur. — Romæ, die 25 dec. 1895."

Addatur ad n° 981 i. ad finem:

Ex Constitutione Leonis XIII. „Officiorum et Munerum" 25 Jan. 1157
1895 n° 35. approbatio librorum pertinet ad Ordinarum loci, *in quo publici juris fiunt.* — n° 36: regulares, præter licentiam Episcopi meminerint teneri ex sacri Conc. Trid. decreto, operis in lucem edendi facultatem a Prælato, cui subjacent, obtineri. — Utraque autem concessio *in principio vel in fine operis imprimatur.*

Facultates ex Compendio Privilegiorum excerptæ.

(Littera C. remittit ad novum Compendium Privilegiorum, quod habes in vol. III. „Instituti Soc. Jesu Florentiæ 1886-1891." Vel vol. I ed. 1892).

I. — Facultates, pro quarum usu nullus requiritur spe- 1158
cialis ad Superiores recursus:

1. — Absolvendi a casibus Episcopis *jure ipso* reservatis (C. n. 5

et 6). Sume *tres* casus excommunicationi subjectos a Pio IX. Constit. „*Apostolicæ Sedis*" Ordinariis reservatæ, qui sunt: 1. procuratio abortus, effectu secuto; 2. matrimonii attentatio post votum solemne sive professionis religiosæ sive ordinis sacri, vel cum persona tali voto ligata; 3. usus litterarum Apostolicarum falsarum, ejusve criminis cooperatio.

2. — Absolvendi peragentes exercitia vel diem præparationis ad mortem a casibus cuilibet præter R. Pontificem reservatis, non tamen a censuris et pœnis *ab homine* latis (C. n. 10).

In exercitiis Monialium facultas ista datur: *a*, directori exercitiorum; et *b*, sociis a Superiore adjunctis, si modo approbati sint ad audiendas Monialium confessiones. (ib.)

N B. Hanc facultatem hoc n. 2, positam erga peragentes exercitia, Superiores ita extendere possunt, ut: 1. Missionarii eâ fruantur erga quoslibet fideles „*in actu Missionum quarumcunque;* 2. tradentes exercitia sociique a Superiore adjuncti eâ fruantur, quum „tempore vel occasione exercitiorum confessiones excipiunt." (Bened. XIV. „*Dedimus sane*" 16 Maji 1753.)

3. — *Commutandi* vota non reservata, vel juramenta, vel etiam vota jurata: sed non cum præjudicio juris tertii. (C. n. 110.)

4. — In excipiendis confessionibus, etiam in publicâ ecclesiâ, utendi solâ stolâ sine superpelliceo (C. n. 131.)

5. — In benedictionibus utendi formulis quibuscumque etiam pro locis specialibus tantum approbatis, dummodo indubie constet de approbatione a S. Rit. C. facta. (C. 76, 77.)

6. — Benedicendi aquam S. Ignatii. (C. n. 69.)

Quam facultatem in locis Missionum „Superiores Missionum pro respectivis locis" communicare poterunt viris ecclesiasticis sæcularibus id singillatim petentibus, ita tamen, ut his uti eâ facultate non liceat sine consensu sui Ordinarii diœcesani. (Ib. ex facultate decennali die 28 Julii 1891 renovatâ.)

7. — In itinere ex quâvis causâ suscepto, et in Missionibus vel exercitiis vel triduis vel aliâ continuatâ prædicatione: celebrandi in oratoriis, quæ exsistant in domibus privatorum, sine præjudicio privilegiati et etiam sine ejus aliorumve de familiâ præsentiâ. (C. n. 439.)

N.B. Facultas Missam celebrandi etiam de Nostris Beatis in aliena ecclesia (C. n. 404) abrogata est per decr. 9 Jul. resp. 9 Dec. 1895, quo præscribitur, ut in celebranda Missa norma ubique sit kalendarium ecclesiæ in qua celebretur. Nostrum igitur privilegium non amplius valet nisi in oratoriis *non publicis*.

8. — Applicandi moribundis sub consuetis conditionibus indulgentiam plenariam, porrigendo proprium crucifixum ad id semel electum tangendum vel osculandum. (C. n. 354: *omnes* Nostri, non sacerdotes tantum, hac facultate uti possunt, de licentia Superioris saltem præsumpta.)

Insuper MISSIONARIIS est facultas:

9. — Benedicendi et erigendi crucem Missionis in fine vel decursu Missionum, utendo formulâ approbatâ. (C. n. 71.)

10. — Dandi in fine Missionis Apostolicam benedictionem cum indulgentiâ plenariâ: (uti debent *unico* crucis ductu). (C. n. 72 et 73.) *Vel:* loco sui delegandi ad hoc digniorem ex clero sæculari. (ib.)

II. — Facultates, pro quarum usu recurrendum est ad Superiorem localem: 1159

1. — Absolvendi a casibus Papalibus ordinario modo reservatis. (C. n. 4. ex fac. vicennalibus.)

2. — Dispensandi in irregularitate ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario (intellige etiam abortum fœtus animati), mutilatione et bigamia, in foro autem conscientiæ tantum.

Item: Dispensandi in *quâlibet* irregularitate ex delicto occulto, etsi alias expressa et individua mentio requiratur, sed solum communicabilis: *a*, *Missionariis*, dum tradendis sacris Missionibus vel publicis exercitiis incumbunt; *b*, idque in foro conscientiæ *et actu sacramentali confessionis tantum*. (C. n. 174.)

3. — Dispensandi in votis Papæ non reservatis. (C. n. 179).

4. — Dispensandi cum incestuosis, ut iis restituatur jus petendi debitum conjugale. (C. n. 182.)

5. — Dispensandi, si expedire videtur, in usu carnium et lacticiniorum tempore jejuniorum. (C. n. 177. ex fac. vicenn.)

6. — Celebrandi ante vel post tempus per se legitimum. (C. n. 409 et 410), scilicet:

a, quovis anni tempore et quovis legitimo loco *horis duabus ante auroram vel post meridiem;*

b, pro Missionariis in Missione ex causâ: itineris, devotionis propriæ vel populi, distribuendæ S. Communionis — *horâ secundâ post mediam noctem;*

c, in nostris ecclesiis, pro Nostris et pro sacerdotibus exteris, ob aliquam justam causam celebrandi *horâ secundâ post mediam noctem* vel *horâ tertiâ post meridiem.*

7. — Benedicendi rosaria, cruces, numismata etc., cum annexione indulgentiarum Papalium [pro rosariis simul ind. Brig.] (Communicari hæc facultas potest cum operariis excurrentibus et cum uno alterove in domo.) (C. n. 67. ex fac. vicenn.)

8. Benedicendi sacra utensilia pro usu nostrarum ecclesiarum. (Quæ facultas *ex fac. vicenn. delegari* potest a Superiore. — C. n. 61.)

1160 III. — Facultates, quæ requirunt recursum ad Præp. Provincialem:

1. — Absolvendi a casibus R° Pontifici *specialiter reservatis* (exceptis tamen semper: absolutione complicis et falsâ accusatione sollicitationis.) (C. n. 3 et 4 ex fac. vicenn.)

2. — Dispensandi in votis *Papæ reservatis*, cast. et relig. — neque tamen, si agitur de jure tertii. (C. n. 179 ex fac. vicenn.)

3. — Dispensandi etiam in voto castitatis conjugum ad petendum debitum conjugale (cum monitione, ut maneat votum atque reviviscat mortuo comparte.) — (C. n. 181.)

4. — Applicandi indulgentiam plenariam in articulo mortis, vel neoconversis ex hæresi ad fidem. (C. n. 353 ex fac. vicenn.)

5. — Tempore seu in actu Missionis in domo, ubi habitant, celebrandi in altari portatili, certioratis tamen Ordinariis respectivis et ceteris servatis servandis. (C. n. 28.)

6. — Legendi libros prohibitos. (C. n. 381.)

N. B. Usum altaris portatilis in cubiculo infirmorum concedere, reservatur PRÆPOSITO GENERALI. (C. n. 33 et 34.)

IV. — Facultates, quae erga Nostros exerceri possunt: 1161

1. — CONFESSARII NN. ORDINARII (et ipsi Superiores) possunt Nostris:

a. commutare vel *dispensare* vota non reservata, etiam jurata. (Nota: Hoc idem possunt etiam *alii* quibus *Superior* id commiserit.) — (C. n. 112 et 179. Fac. *dispensandi* est ex fac. vicenn.)

b. commutare officium divinum: 1. adversâ valetudine utentibus in alias preces breviores; 2. iis, qui impediti sunt sive infirmitate, sive curâ infirmorum, sive pietatis operibus, sive studio sacrarum litterarum, in 7 *psalmos* divisim dicendos et cum illis universim 7 *Pater* et 2 *Credo*;

3. — graviter ægrotis in 1 *Pater* et 7 *Ave*;

4. — Missionariis, ut in Missione, triduis, novenis aliâve continuatâ prædicatione et in itinere ad Missiones loco officii consueti recitare possint *officium parvum B. M. V.* (C. n. 118.)

c, judicare de justâ causâ, ex quâ liceat horâ secundâ meridianâ anticipare Matutinum et Laudes: (quod et confessario et Superiori concessum est.)

d, dispensare Fer. II. post Domin. I. Quadrag. in foro conscientiæ ab omni irregularitate — exceptâ eâ, quæ orta sit ex homicidio, mutilatione, bigamiâ — ita tamen, ut dispensatio valeat tantum pro tempore quo dispensatus manserit in Societate. (C. n. 165.)

2. — SUPERIOR MISSIONIS potest, si Superior localis vel Provincialis ad id consensum dederit, Missionariis ex juxtâ causâ permittere, ut loco officii divini dicant preces suo (i. e. Superioris Missionis) arbitrio determinandas. (C. n. 117 et 118.)

3. — SUPERIOR DOMUS dispensare potest cum Nostris in lege ecclesiasticâ, ut Episcopus cum suis. (C. n. 176.)

4. — PRÆP. PROVINCIALIS dispensare insuper potest, aliisque committere ut dispensent, ab omni irregularitate — exceptâ eâ, quæ oritur ex voluntario homicidio et abortu vel mutilatione, bigamiâ — (C. n. 165.)

In quibus casibus exceptis datur cum restrictione quâdam facultas dispensandi PRÆPOSITO GENERALI; cui etiam reservatur dispensatio in aliis inhabilitatibus. (C. n. 172.)

Congregationes Generales.

	Apertæ			Clausæ.		
1ª	19	Jun.	1558	10	Sept.	1558
2ª	21	Jun.	1565	3	Sept.	1565
3ª	12	Apr.	1573	16	Jun.	1573
4ª	7	Febr.	1581	22	Apr.	1581
5ª	3	Nov.	1593	18	Jan.	1594 [1]
6ª	21	Febr.	1608	29	Mart	1608 [2]
7ª	5	Nov.	1615	26	Jan.	1616
8ª	21	Nov.	1645	14	Apr.	1646
9ª	13	Dec.	1649	23	Febr.	1650
10ª	7	Jan.	1652	20	Mart	1652
11ª	9	Maii	1661	27	Jul.	1661 [3]
12ª	22	Jun.	1682	6	Sept.	1682
13ª	22	Jun.	1687	7	Sept.	1687
14ª	19	Nov.	1696	16	Jan.	1697 [4]
15ª	20	Jan.	1706	3	Apr.	1706
16ª	19	Nov.	1730	13	Febr.	1731
17ª	22	Jun.	1751	5	Sept.	1751
18ª	18	Nov.	1755	28	Jan.	1756
19ª	9	Maii	1758	18	Jun.	1758
Societas in Russia 1ª	10	Oct.	1782	18	Oct.	1782
2ª	1	Oct.	1785	13	Oct.	1785
3ª	27	Jan.	1799	4	Febr.	1799
4ª	15	Oct.	1802	25	Oct.	1802
5ª	8	Sept.	1805	19	Sept.	1805
20ª	9	Oct.	1820	10	Dec.	1820 [5]
21ª	30	Jun.	1829	17	Aug.	1829
22ª	22	Jun.	1853	31	Aug.	1853
23ª	16	Sept.	1883	23	Oct.	1883
24ª	24	Sept.	1892	5	Dec.	1892

[1]. Jussu Clementis VIII.

[2]. Ex decreto Procuratorum.

[3]. [4]. Ex decreto Innocentii X.

[5]. C. G. dilata a Card. Vic. aperta ex rescripto S. Pontificis.

Præpositi Generales.

Nomen.	Electi.			Defuncti.		
S. P. Ignatius, ab approb. Soc. . .	27	Sept.	1540	31	Jul.	1556
P. Jac. Laynez	2	Jul.	1558	19	Jan.	1565
S. Franc. Borgia	2	Jul.	1565	1	Oct.	1572
P. Ever. Mercuriano	23	Apr.	1573	1	Aug.	1580
P. Claud. Aquaviva	19	Febr.	1581	31	Jan.	1615
P. Mut. Vitelleschi	15	Nov.	1615	9	Febr.	1645
P. Vinc. Carrafa	7	Jan	1646	8	Jun.	1649
P. Fr. Piccolomini	21	Dec.	1649	17	Jun.	1651
P. Alex. Gottifredi	21	Jan.	1652	12	Mart.	1652
P. Gosw. Nickel	17	Mart.	1652	31	Jul.	1664
P. J. P. Oliva (Vicarius).	7	Jun.	1661	26	Nov.	1681
P. Car. de Noyelle	5	Jul.	1682	12	Dec.	1686[1]
P. Th. Gonzalez	6	Jul.	1687	27	Oct.	1705[2]
P. Mich. Ang. Tamburini	31	Jan.	1706	28	Febr.	1730
P. Fr. Retz	30	Nov.	1730	19	Nov.	1750[3]
P. Ign. Visconti	4	Jul.	1751	4	Maii	1755
P. Alois. Centurione	30	Nov.	1755	2	Oct.	1757
P. Laur. Ricci	21	Maii	1758	24	Nov.	1775
Societas in Russia: P. St. Czerniewicz (Vic. G.) . .	17	Oct.	1782	18	Jul.	1785
Societas in Russia: P. Gabr. Lenkiewicz (Vic. G) .	8	Oct.	1785	10	Nov.	1798
Societas in Russia: P. Fr. H. Karen (Vic. G. / Præp. G. in Rus.)	1	Febr.	1799	10	Aug.	1802
Societas in Russia: P. Gabr. Gruber (Præp. G.) . .	21	Oct.	1802	7	Apr.	1805
Societas in Russia: P. Th. Brzozowski	14	Sept.	1805	5	Febr.	1820
P. Aloys. Fortis	18	Oct.	1820	27	Jan.	1829
P. Joan. Roothaan.	9	Jul.	1829	8	Maii	1853
P. Petr. Beckx	2	Jul.	1853	4	Mart.	1887
P. Ant. M. Anderledy (Vic. G. . .)	24	Sept.	1883	18	Jan.	1892[4]
P. Ant. M. Anderledy (Præp. G. .)	4	Mart.	1887			
P. Lud. Martin	2	Oct.	1892			

1), 3) Unanimis electio.

2) Electio plus quam 1/2; 3° scrut.

4) Vicarius cum futura successione; 1° scrut, fere 3/4 suffr.

Summi Pontifices

qui ab ineunte Societate rexerunt Ecclesiam.

Nomen.	Elect.	Def.	Nomen.	Elect.	Def.
Paulus III . .	1534	1549	Clemens X . .	1670	1676
Julius III . . .	1550	1555	Innocentius XI .	1676	1689
Marcellus II . .	1555	1555	Alexander VIII.	1689	1691
Paulus IV . .	1555	1559	Innocentius XII.	1691	1700
Pius IV . . .	1559	1565	Clemens XI . .	1700	1721
S. Pius V . .	1566	1572	Innocentius XIII	1721	1724
Gregorius XIII .	1572	1585	Benedictus XIII	1724	1730
Sixtus V . . .	1585	1590	Clemens XII .	1730	1740
Urbanus VII .	1590	1590	Benedictus XIV	1740	1758
Gregorius XIV .	1590	1591	Clemens XIII .	1758	1769
Innocentius IX .	1591	1591	Clemens XIV .	1769	1774
Clemens VIII .	1592	1605	Pius VI . . .	1775	1799
Leo XI . . .	1605	1605	Pius VII . . .	1800	1823
Paulus V. . .	1605	1621	Leo XII . . .	1823	1829
Gregorius XV .	1621	1623	Pius VIII. . .	1829	1830
Urbanus VIII .	1623	1644	Gregorius XVI .	1831	1846
Innocentius X .	1644	1655	Pius IX . . .	1846	1878
Alexander VII .	1655	1667	Leo XIII. . .	1878	
Clemens IX . .	1667	1669			

Index rerum Alphabeticus.

(Secundum numeros marginales.)

A.

Collateralis.

Collatio casuum.

Collegia.

Collegii erigendi licentia.

Communio.

Complex.

Concionari. Concionatores.

Confessarius.

Confessarii Nostrorum.

D.

Declarationes.

Decreta.

Defectus.

Defunctus.

Denuntiatio delicti

Denuntiatio, partes Superioris.

Deposita.

Detractiones.

Devotionis.

Dignitas.

Dimissio. Dimittendi.

Dimissionis causæ.

Dimissio Schol. et Coadj.

Dimissio professorum.

Dimissionis petitio.

Dimissionis modus.

Disciplina domestica.

Discordiæ.

Doctrina.

Domus.

Donationes.

E.

Ecclesia.

Educare juvenes.

Eleemosynæ.

Elevati ad dign. eccl.

Eucharistia.

Examen conscientiæ.

Examen.

Excommunicatio.

Exequiæ.

Exercitia spiritualia.

Exhortatio.

Litteræ.

Litteræ humaniores.

M.

Magister Novitiorum.

Magristri.

Magnates.

Mahometani.

Majoratus.

Manifestatio.

Matrimonium.

Meditatio.

Mendicare.

Militia.

Minister.

Ministeria.

Missæ.

Missio.

Mittendi, qui.

Missionis labores.

Missionarii.

Modestia.

Moniales.

Morbus.

Mulieres.

Munera.

Mutuo.

N.

Natalium defectus.

Negotia aliena.

Negotia in specie prohibita.

Negotiatio.

Novitiatus.

Novitii.

O.

Obedientia.

Obedientiæ votum.

Obedientiæ votum in Societate.

Obedientiæ virtus in Societate.

Obediendi modus.

Obligatio.

Officium divinum.

Opiniones.

Oratio.

Ordinationes.

Ordinem relinquentes.

Ordines sacri.

Orphanotrophia.

P.

Parœciæ.

Pater spiritualis.

Paupertas.

Paup. voto contraria.

Paup. variarum classium.

Paupertatis regulæ.

Paupertas in ministerio sacro.

Paupertatis præscripta positiva.

Paupertas communitatum.

Paupertas dom. professarum.

Paupertas Residentiarum.

Paupertatis practica.

Peculium.

Peregrinatio.

Perfectio.

Perspicilia.

Philosophia.

Photographiæ.

Pœnitentiæ.

Pœnitentiæ sacramentum.

Politicæ res.

Pontifex.

Professio

Professionis prærequisita.

Professionis emitt. actus.

Professio trium votorum.

Professionis vota singula.

Professores.

Promissio.

Proprietas.

Provincia.

Provincialis.

Provinc. quoad vota.

Provinc. dimissio.

Provinc. Collegia.

Prov. Scholastici. Studia.

Prov. bonorum administratio.

Prov. bonorum abdicatio.

Prov. Confessarii.

Provinc. ratio conscientiæ.

Provinc. missionarii operarii.

Sellæ.

Seminarium.

Silentium.

Societas Jesu.

Societatis propria.

Socius.

Sodalitas.

Studia.

Studium phil. et theol.

Studiorum directio et media.

Substantialia.

Substituti.

Suffragia pro defunctis.

Superintendens.

Superiores.

Superiorum officia.

Superiores subordinati.

Superpellicium.

T.

Tactus.

Tertia probatio.

Testamenta.

Theologia.

Universitates.

V.

Vacationes.

Valetudo.

Vestitus.

Viaticum.

Vicarius generalis.

Victus.

Virtus.

Visitatio.

Visitator.

Vita communis.

Votum.

Vota religionis.

Vota Scholasticorum.

Votorum Schol. effectus.

Vota Coadjutorum.

Vota professorum.

Votum quartum obedientiæ.

Vota professi simplicia.

Votum non ambiendi.

Votum manifestandi.

Votum audiendi Generalem.

Vota hæc quinque.

X.

Xenodochium.

Z.

Zelus animarum.